2.3.235

HISTORIA ECCLESIASTICA

VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA

AUCTORE

FR. IGNATIO HYACINTHO AMAT DE GRAVESON.

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA ECCLESIASTICA
VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA,

UBI PRO THEOLOGIÆ CANDIDATIS

Res præcipuæ , non ſolum ad Hiſtoriam , ſed etiam ad Dogmata , Criticam , Chronologiam , & Eccleſiæ Diſciplinam pertinentes , per breves Interrogationes , & Reſponſiones perſtringuntur , & in præclaro ordine collocantur.

OPUS NOVEM TOMIS COMPREHENSUM;

AUCTORE

FR. IGNATIO HYACINTHO AMAT
DE GRAVESON

Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo, Ord. FF. Prædicatorum.

EDITIO NOVISSIMA

Luculentiſſimis additionibus , perpetuiſque adnotationibus illuſtrata , & continuatione uſque ad annum MDCCLX. locupletata

A P. JOANNE DOMINICO MANSI

Congregationis Matris Dei Lucenſi.

TOMUS PRIMUS
COMPLECTENS

QUATUOR PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA.

VENETIIS,
MDCCLXII.

EX TYPOGRAPHIA REMONDINIANA.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN NOVAM EDITIONEM

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

P. GRAVESON,

JOANNIS DOMINICI MANSI

PRÆMONITIO.

CUm Hiſtoriam Eccleſiaſticam P. Ignatii Hyacinthi Amat de Graveſon, Ord. Præd. communibus eruditorum votis depoſci diſtractis jam fere omnibus priorum editionum exemplaribus intelligeret Typographus honeſtiſſimus Joannes Baptiſta Remondini, me etiam atque etiam rogavit ut expoliendo, ornandoque operi intermiſſis tantiſper curis aliis Typographicis quibus detinebar, manus admoverem. Exorari me tandem, ægre licet, paſſus ſum, atque ex eorum quæ in adverſariis meis contuleram, portione adnotationes meas confeci in editionis hujuſce ornamentum. Conſtant autem adnotationes iſtæ plerumque ex anecdotis poſt obitum P. Graveſonii vulgatis, quorum plures ætas noſtra vidit. Ex his additamenta ſunt quædam conciliaria ad illuſtrandam priorum Conciliorum hiſtoriam, emendandos, augendoſque canones, verumque eorum ſenſum explicandum. Plura etiam ad hiſtoriam tum ſacram tum prophanam in meliorem lucem collocandam valeat.

Uſus ſum etiam in eam rem excuſis Scriptorum voluminibus, tum & Recentiorum diſſertationibus, quæ hiſce noſtris diebus paſſim prodeunt, quibuſque ætas noſtra mirifice juvatur. Quis enim unquam tam multa ſcivit de Hiſtoria Literaria Scriptorum me-

mediæ & infimæ latinitatis, quam modo ſcimus ex Fabricii ; Mazzuchellii, Degli Aguſtini Libris edocti ! nequid dicam de Scriptoribus ultramontanis, de catalogis Bibliothecarum inſignium, Venetæ E. G. Taurinenſis, Ricchardianæ ! Juvit etiam Bibliothecas non ſane raras meis hiſce oculis in variis per Italiam excurſionibus meis inviſiſſe.

Tam multis adjumentis fultus longe majus opus conficere potuiſſem, niſi me intra arctiores limites continuiſſet conſilium, quod ſibi Auctor hujus hiſtoriæ propoſuerat, ſynopſim ſcilicet Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, non hiſtoriam plenam tradendi. Conficiendæ igitur mihi erant adnotationes quæ ſynopſi convenirent, minora pleraque reticendo, majora curſim tangendo.

Inſuper minus nota mihi indicanda ſtatuens ea omiſi quæ propius ad noſtrum ſeculum accedebant, quæque paſſim ſtudio Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ addicto tyroni obvia & præ manibus haberi poterant. Hinc factum ut ad Seculum XIII. pertingens a ſcribendo deſtiterim; cum præſertim priſtinæ ſcribendi curæ alio me advocarent, metueremque ne ætatis jam ſenilis curriculus, pene ad finem properans, non ſatis ſpatii relinqueret totum, quod jam ante ceperam, perficiendi.

Quo tamen plenior eſſet hiſtoria, appendicem in fine adjeci ad ea ſupplenda quæ P. Graveſonius, morte occupatus, intacta reliquit. Datur in ea Supplementum hiſtoriæ ab obitu circiter Clementis XI. quouſque Hiſtoria P. Graveſonii pertingit, ad noſtra uſque tempora, ideſt ad exordia Pontificatus Clementis XIII. nunc feliciter regnantis, quem fore plenum illuſtribus ac felicibus factis, ex iis quæ modo tenemus, auguror.

Illud denique Lectorem monere debeo, me, ut adnotationes meæ ab Auctoris textu diſtinctæ forent, meliuſque dignoſcerentur, commatibus in margine appoſitis illas inſigniendas curaviſſe.

MO-

Digitized by Google

MONITUM AD LECTOREM

Præfixum Venetæ primæ iſtius Operis Editioni.

QUOD hanc Hiſtoriam Eccleſiaſticam, variis Colloquiis digeſtam, & a R. P. F. Ignatio Hyacintho Amat De Graveſon, Doctore Sorbonica, ac Collegii Caſanatenſis Theologo, Ordinis Prædicatorum, paucis abhinc annis Romæ publici juris factam, prælo noſtro ſecundis curis excudendam curaverimus, in cauſa potiſſimum fuit hujus Operis utilitas, quam ad rerum, diſciplinarumque Eccleſiaſticarum Candidatos pervenire poſſe, non tantum ex celerrima illius venditione, ſed ex publica ejus apud viros eruditos, & æquos rerum æſtimatores commendatione, facili negotio intelleximus. At enim, viri eruditi commendarunt haud mediocriter expeditam hujus Operis methodum, ſtylique perſpicuitatem, qua Auctor, utilitati eorum, qui Hiſtoriam & Diſciplinam Eccleſiaſticam necdum a limine ſalutarunt, unice conſulere volens, omnia, quæ univerſam Hiſtoriam & Diſciplinam tam Eccleſiaſticam, quam Monaſticam, ſpectant, Monumenta breviter quidem deſcripſit, ſed ſingula, majoris claritatis ergo, in ſuis literariis Colloquiis, ſuo quæque loco ſic ordinate diſpoſuit, ac concinnavit, ut juvenes, qui, poſt emenſum Theologiæ curriculum, ad Hiſtoriæ & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudium, geſtiunt appellere animum, poſſint ex ipſa ſola lectione, & citra ullum Magiſtri præſidium, nare, ut vulgo ajunt, ſine cortice, ſeu fa-

cile addiſcere Chriſtianæ Religionis incunabula primordiaque, progreſſus & incrementa; præclara Geſta Sanctorum Patrum, virorumque illuſtrium, quorum ſudore & ſanguine parta nobis traditaque eſt per manus Religio; varias perſecutiones, quibus a Tyrannis Imperatoribus exagitata eſt Eccleſia; leges, quibus fundata, & ſanctiones, quibus tam in Conciliis Oecumenicis, quam Nationalibus firmata eſt; Omnium Hæreſum, quæ in Eccleſia emerſerunt, ortum, progreſſum, caſum, atque interitum; Auguſtiſſimos fontes, e quibus haurire debeant genuinam Sanctorum Patrum doctrinam, Pontificum Decreta, Conciliorum Canones, primigeniæ Diſciplinæ ſinceram, & incorruptam effigiem; Omnium Romanorum Pontificum, Imperatorum tam Orientis, quam Occidentis, & Chriſtianorum diverſarum nationum Regum continuas ad hæc uſque noſtra tempora ſucceſſiones; Jura denique omnia, quæ jam inde a principio Chriſtiani nominis tam ſapienter a Majoribus noſtris fuerunt comparata.

At, non minori laude & commendatione Auctorem iſtius Operis dignum eſſe judicarunt viri eruditi, quod ad calcem ſuæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ quatuordecim accuratiſſimas attexuerit Tabulas Chronologicas, & duos Indices Geographicos, ut, ſemel præfixis locis & temporibus, certior haberetur rerum Eccleſiaſticarum notitia, poſſetque facilius Lector tuto inoffenſoque pede univerſam Hiſtoriam Eccleſiaſticam perluſtrare. Sunt enim (*ſicut noſter Auctor, poſt* Gerardum Joannem Voſſium *in Iſagoge Chronologiæ Sacræ, appoſite obſervat*) Geographia & Chronographia germanæ ſorores, immo quaſi ocelli duo Hiſtoriæ, quorum altero ſi orbetur, luſca fiat, utroque extincto, cæca ſit oportet. *Cum igitur ex ea virorum eruditorum publica commendatione nobis innotuerit, iſtud opus ei probari, & ex pulcherrimarum rerum, quas complectitur, cognitione multum cum dignitatis ut amplitudinis, tum, quod caput eſt, emolumenti atque utilitatis ſtudioſam juventutem percipere poſſe, operæ pretium facturos nos eſſe duximus, ſi in rem eorum, qui Hiſtoriam & Diſciplinam Eccleſiæ addiſcere in votis habent, novam iſtius Operis Editionem, typis noſtris adornatam, publica luce donaremus, eam in ſpem erecti, fore ut noſtros in juvandis ac provehendis Eccleſiaſticæ Antiquitatis ſtudiis, quæ Clericis, aliiſque Viris* Deo *Sacris apprime neceſſaria ſunt, qualeſcumque conatus æqui bonique conſulat eruditus Lector.*

Huic autem novæ Editioni Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quam inſcio & inconſulto Auctore, moliti ſumus, nihil proprio marte addendum eſſe cenſuimus, ſed ad amuſſim ſecuti ſumus priorem Editionem quæ Romæ prodiit, & ab ea ne latum quidem unguem deſcivimus. Quia tamen Auctor uſque ad annum dumtaxat MDCCXXI. *Hiſtoriam Eccleſiaſticam perduxit, & ab hoc anno, uſque ad annum, quem decurrimus* MDCCXXV. *nonnulla contigerunt, quæ ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam*

cam

Digitized by Google

cam ſpectantia, ſcitu digna eſſe videntur, ideo, ne quid huic Operi deeſſet, quod lector deſiderare poſſet, morem ultro geſſimus conſiliis quorumdam virorum eruditorum, qui, in publicum Rei litterariæ bonum collimantes, nobis auctores fuerunt, ut Facta illa Hiſtorica ſimul collecta in fronte iſtius Operis ob oculos lectoris poneremus, quæ ei haud ingrata fore autumamus.

In primis, Auctor iſtius Operis in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam Sæculi XVII. *&* *ineuntis* XVIII. *ſeriem tenens Romanorum Pontificum, qui univerſam Eccleſiam id ætatis gubernarunt, hanc ſeriem terminat in Summo Pontifice* Innocentio XIII. *qui, dum Auctor Operi ſuo coronidem impoſuit, clavum Eccleſiæ adhuc regebat. Cum igitur ultra* Innocentium XIII. *Pontificem Maximum non progrediatur Auctor, hæc ſub finem iſtius ſecundi Colloquii ſunt addenda.*

Mortuus eſt Innocentius XIII. die VII. menſis Martii, Sancto Thomæ, Doctori Angelico ſacra, anni MDCCXXIV. ejuſque Novendialibus Juſtis, ut moris eſt, abſolutis, Cardinales, Vaticanum Conclave ingreſſi, non tam humano ducti arbitrio, quam divino afflati Numine, die XXIX. menſis Maii anni MDCCXXIV. in Romanum Pontificem elegerunt Cardinalem Fratrem Vincentium Mariam Urſinum, Archiepiſcopum Beneventanum, Ordinis Prædicatorum, cujus præclaras dotes, ab ipſo ineuntis ætatis ejus principio, hic, ne in immenſum diffundar, ſummatim delibare ſufficiat.

Natus eſt Vincentius Maria Urſinus Gravinæ die 2. menſis Februarii anni MDCXLIX. in Sacris undis dictus Petrus Franciſcus. Filius eſt primogenitus Ferdinandi Urſini, Ducis Gravinæ, & ejus lectiſſimæ conjugis, paris nobilitatis feminæ, Joannæ de Frangipanis. Non hic certe immorabor in celebranda antiquiſſima Gentis Urſinæ origine; eamdem quippe illam eſſe atque Aniciam, nemo, tantiſper in Hiſtoria verſatus, ignorare poteſt. Familiam vero Aniciam fuiſſe poſt hominum memoriam ex omnibus Patriciis clariſſimam in confeſſo eſt apud omnes. Miſſis itaque ampliſſimis honoribus, quibus ornata Familia Urſina plures feminas potentiſſimis Regibus nuptui tradidit, & clariſſimas olim duas obtinuit Septem-Virorum Auguſtalium Sedes, Brandeburgum videlicet, & Saxoniam, in quibus viginti Urſinæ Familiæ Principes, geminato ad Romanum Imperium ſuffragio, illiuſque potiundi jure floruerunt. His, inquam, & aliis id genus prætermiſſis honoribus, dicam tantum obiter, Familiam Urſinam, ſemper Heroum feraciſſimam, bene multos dediſſe Eccleſiæ Sacros Antiſtites, Cardinales ampliſſimos, ſed præcipue Sanctiſſimos Pontifices, de Chriſtiana Republica optime meritos, & Eccleſiaſticæ libertatis Aſſertores acerrimos, Ste-

pha-

Digitized by Google

phanum III. S. Paulum hujus nominis I. Stephani fratrem, Cæleſtinum III. & Nicolaum III. per quos Familiæ Urſinæ dignitas ad omnem poſteritatis memoriam longe lateque propagata eſt: Ex hac illuſtriſſima proſapia genus ſuum ducens Petrus Franciſcus Urſinus, nihil ſecundum Deum in juventute ſua prius & antiquius habuit, quam ut germanam æmularetur pietatem Majorum ſuorum, quos inter, unum & viginti Cælitum Faſtis adſcriptos referunt Sacri Eccleſiæ Annales. Hinc probus ille ac ſapiens juvenis (quem ſicut fortuna natu majorem ad ampliſſimum patrimonium jure hæreditatis obtinendum ſelegerat, ita in eum natura detulerat elegantem formam, perſpicax, vividum atque igneum ingenium, indolem ad magna molienda factam, eoſque mores, qui omnium amorem in ſe facile conciliarent) hic, inquam, probus ac ſapiens juvenis, vix ex Ephebis egreſſus, ſed literis humanioribus apprime jam excultus, prudenter veritus, ne opes, deliciæ, faſtus, aliæque Principum illecebræ ineſcarent animum ſuum, eumque frangerent, relicta paterna domo, & ſimulato inviſendæ Italiæ ſtudio, Venetias ſe contulit, ubi quod dudum votis omnibus tacitus expetiverat, die 2. menſis Auguſti anni MDCLXVII. Ordini S. Dominici (in quo nonnullos Majores ſuos, Cardinales videlicet Latinum Urſinum, & Matthæum Urſinum, literis, & vitæ ſanctimonia claruiſſe noverat) nomen dedit, indeque alio nomine, ſeu Fratris Vincentii Mariæ, cœpit appellari. Id ægerrime tulerunt illuſtriſſimi parentes, qui in juvene Urſino totam Familiæ ſuæ ſpem collocaſſe non immerito videbantur, &, ut eum a ſuſcepto propoſito deterrerent, apud Clementem IX. Pontificem Maximum conqueſti, obtinuerunt, ut, abjecta omni Cunctatione, Romam accerſiretur. Paruit actutum Religioſus adoleſcens Fr. Vincentius Maria Urſinus, & ad pedes ejuſdem Summi Pontificis provolutus, cauſam ſuam ſic coram peroravit, ut tandem Pontifex, tam excelſum Novitii, ſæculo nuncium remittentis, & terrena omnia generoſe deſpicientis, animum miratus, ejus propoſitum non tantum palam laudarit, & approbarit, verum etiam illud a vehementiſſimis propinquorum contentionibus egregie vindicarit. Poſt hanc adeptam victoriam, putabat Fr. Vincentius Maria Urſinus, ſe deinceps, ſub ſacris illis, quas induerat, S. Dominici veſtibus, tuto latitare poſſe, totumque nominis ſui decus Cœnobiorum latebris penitus obrutum iri. Sed illum fefellit eventus. Nam, poſt aliquot elapſos annos, ejus cum probitatis, & innocentiæ, tum doctrinæ & eloquentiæ fama ex anguſta cella erumpens, ſic per ora omnium volitare cœpit, ut Clemens X. Pontifex Maximus, Fr. Vincentium Mariam Urſinum, nihil minus co-

Digitized by Google

cogitantem, in Collegium Purpuratorum Patrum die XXII. menſis Februarii anni MDCLXXII. adſcripſerit. Hunc ſibi delatæ tantæ dignitatis nuncium, dum in Conventu Bononienſi Ordinis Prædicatorum degeret, maximo luctu accepit Fr. Vincentius Maria Urſinus; mutatus illico in vultu color, vox intercluſa faucibus præ animi dolore, vis lacrymarum, ex ejus oculis manantium, ingens, receptis tandem viribus, ſcripſit ad Clementem X. Pontificem Maximum, litteras, quibus eum etiam atque etiam pertinaci modeſtia obſecrabat, & obteſtabatur, ne graviſſimam hanc ipſi, ſuaviſſimas vitæ religioſæ delicias deguſtanti, figeret crucem. Sed tantum abſuit, ut hæc Summum Pontificem moverint, quin potius impulerint magis ad mittendum Bononiam cum litteris ſuis, humanitate & æſtimatione de eo pleniſſimis, ſupremum totius Ordinis Prædicatorum Generalem Magiſtrum Reverendiſſimum P. Thomam de Rocaberti, ex cujus auctoritate, ore, nutuque cum omnino penderet Fr. Vincentius Maria Urſinus, Religioſus poſt homines natos obedientiſſimus, tandem aliquando ceſſit, & ne violaret religionem Sacramenti, quo Religioſi homines ſuperiorum ſuorum dicto audientes eſſe debent, Mandato Ordinis ſui Magiſtri Generalis ſumma animi demiſſione obtemperavit.

Hac nova dignitate auctus Fr. Vincentius Maria Urſinus, nihil plane in ſeverioris vitæ ratione, cui in Monaſterio aſſueverat, immutavit. Eadem ex lana veſtis interior, idem habitus plerumque uſu tritus & aſſutus, eadem a vino & lautis epulis abſtinentia, eadem, a Feſto exaltationis S. Crucis uſque ad Paſcha, continuata jejunia, eaſdem vigilias, idem denique ſingulare perfectæ obedientiæ, ſuique incredibilis contemptus ſtudium, quod, ſive ad pedes & oſcula manuum Generalis Magiſtri Ordinis ſui, catulorum inſtar, provolutus, ſive ea in Cœnobio agens, quæ aliquando detrectant infimi homines, non raro prodere geſtiebat. Ad Epiſcopatum Sipontinum a Clemente X. Pontifice Maximo provectus eſt Cardinalis Vincentius Maria Urſinus anno MDCLXXV. Exinde ab Innocentio XI. (cujus memoria ſemper in benedictione erit) die XVII. menſis Januarii anni MDCLXXX. ad Eccleſiam Cæſenatenſem translatus eſt; & ab eodem Summo Pontifice die XVIII. menſis Martii anni MDCLXXXVI. ei ampliſſimæ Eccleſiæ Beneventanæ regimen fuit demandatum. In his porro regendis Eccleſiis, & in procuranda ſalute animarum, quarum curam ei concrediderat Deus Optimus Maximus, ſe abſolutiſſimum Pontificem, & veterum exprimentem Antiſtitum effigiem, ſemper exhibuit. At enim ut breviter dicam, ubi labor requirebatur, erat patientiſſimus; ubi cura, diligentiſſimus; ubi prudentia, ſapientiſſimus; ubi conſtan-

tia,

tia, intrepidus; ubi comitate devinciendi erant animi, manſuetiſſimus, & ad bene de omnibus merendum natus. Gregem ſuum ſæpius inviſebat, errantes oves in ovile reducere jugi ſollicitudine ſatagebat, lapſos in ſpem veniæ erigebat, pacem inter diſſidentes componebat, eleemoſynas in ſinus pauperum, quos in pectore ſuo geſtabat, plena manu effundere non prætermittebat, Synodos frequenter cogebat, ut Diſciplinam Eccleſiaſticam ſartam tectam conſervaret, morum licentiam comprimeret, graſſantia vitia profligaret, & optimis legibus conſtitueret Sacri Ordinis decus. Templorum religionem amplificavit, Xenodochia, Monaſteria, & Collegia fundavit, Seminaria erexit, in quibus Clerici ad Sacrorum normam Canonum vitam ſuam dirigere, & aureorum Eccleſiæ Sæculorum mores induere poſſent. Verbo dicam, nullum eorum, quæ Epiſcopo & plurima & graviſſima incumbunt, munus omiſit. Et tamen, quod rarum eſt, tot inter curas Cardinalis Vincentius Maria Urſinus non tantum plura, eaque doctiſſima lucubravit Opera, quorum ampliſſimum Catalogum texuit Jacobus Echardus, Ordinis Prædicatorum Tomo 2. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad pag. 814. ſed etiam priſcorum Antiſtitum veſtigiis indefeſſo zelo inſiſtens, frequenter, & per integrum quandoque Quadrageſimalis temporis curriculum, Conciones habebat, mirifica Spiritus Sancti unctione, & cæleſti doctrina perfuſas, quibus Clerum Populumque ſuum ad amorem Dei accendebat, & ad vitam ſecundum Evangelium inſtituendam incredibili vi, doctrina atque eloquentia flectebat, & in admirationem rapiebat.

Hæc ardua Paſtoralis dignitatis officia, quæ per plures annos in Tribus Epiſcopalibus ſedibus tanta Charitate, virtutum omnium Regina, exercuit Cardinalis Urſinus, præludia fuerunt ad graviores labores, & ad primam totius Orbis Chriſtiani Sedem, ad quam illum cælitus fuiſſe deſtinatum Deus ipſe demonſtrare voluit evidenti miraculo, quo, dum elapſo proxime ſæculo Beneventanam Civitatem ingens terræmotus inopinato concuſſiſſet, ſoloque æquaſſet, hunc S. Cardinalem, collabentis Palatii ſui Epiſcopalis laquearibus, cæmentis ac ruderibus ſepultum, ſed Sancti Philippi Nerii icone tectum, dignatus eſt mediis in ruinis hoſpitem & incolumem ſervare, ut per eum hominibus ſalutem, Orbi terrorem felicitatem, & Eccleſiæ, quam acquiſivit ſanguine ſuo, pacem ac ſempiternam gloriam conciliaret. Illuxit tandem felix fauſtaque illa dies, ſeu vigeſima nona menſis Maji anni MDCCXXIV. qua Purpurati Patres, poſt obitum Innocentii XIII. in Conclavi Vaticano concluſi, & in varias partes antehac diſtracti, quaſi derepente Spiritus Sancti gratia, quæ tarda molimina neſcit, immutati, concordibus votis ac ſuffragiis Cardi-

nalem

Digitized by Google

dinalem Urſinum in Pontificem Maximum elegerunt. Renuit quidem, & manibus pedibuſque detrectavit Cardinalis Urſinus oblatum ſibi a' Purpuratis Patribus ſupremum Pontificatum ſuſcipere. Doluit vicem ſuam, in lacrymas ſeſe effudit, &, ſicut ad ſumendam Purpuram nonniſi Clementis x. imperio ægre adduci potuerat, ita, ut ſummum acciperet Pontificatum, debuerunt Eminentiſſimi Cardinales precibus & auctoritate certare cum illo, omneſque adhibere machinas, quibus victa pertinax ejus modeſtia cederet omnium votis. Intonuit tandem aliquando læta illa vox, qua Cardinalis Urſinus, Divinæ voluntati obediens, Pontifex Maximus, aſcito ſibi Benedicti XIII. nomine, fuit renuntiatus. At, audita ſemel hac voce, quæ tum, Deum immortalem! publica omnium geſtientium lætitia? qui plauſus? quæ feſtivæ acclamationes? quæ occurſantium totius Urbis Ordinum pompæ fuerunt celebratæ? Nam quid ego non referam, omnem ætatem, ſexum, & Ordinem ad piiſſimi iſtius Pontificis conſpectum effuſiſſimo gaudio correptum, immo magis extra ſe raptum fuiſſe? Quid etiam in præſentia commemorem incredibili apparatu inſtauratos in auguſtiſſima Urbe triumphos, tot feſtivas faces, tot cera collitas tædas, tot impoſitos ſtipitibus ignes, tot ad omnes angulos, ad omnia compita, parata ſpectaculorum miracula, milleque id genus, quibus Senatus, Populuſque Romanus, effervescenti lætitia geſtiens, huic Sanctiſſimi Pontificis electioni gratulatus eſt, ſupinis manibus Deo Optimo Maximo immortales gratias agens? Crevit poſtea omnium lætitia, nec amplius intra præcordiorum ſinus continere ſeſe potuerunt exundantium æſtus gaudiorum, quandò Sanctiſſimus ille Pontifex Benedictus XIII. ablegato omni faſtu, civium oculis circumſpiciendum ſe præbuit. Tunc enim neminem omnino neque ætatis imbecillitas, neque cura rei familiaris, neque pudor, neque valetudo domi potuit alligare, quominus oculos tam ſanctis, tam ferventibus ſingulorum votis deſiderati Pontificis, expleret ſpectaculo. Procurrebant parvuli, proſiliebant adoleſcentes, effundebant ſeſe juvenes, prorepebant jam morbum obliti ægroti; plerique per viarum ambages, ad alia atque alia compita tranſcurrebant, ut Benedictum XIII. Pont. Sanctiſſimum, videre liceret, lætis gratulationibus, fauſtis precationibus, aliiſque ſummæ alacritatis indiciis palam ſignificantes, ſe, quo plus vultum tam Sancti Pontificis, veram ſpirantem pietatem, eamque aliis inſtillantem, perſpiciebant, eo minus expleri, ſed magis ac magis intuendo ſitire. Nec Romam tantum, ſed & totum qua late patet, Orbem Chriſtianum electio Benedicti XIII. Pont. Max. immenſo gaudio perfudit, omneſque modo ſummis lætitiis inceſſunt, quod videant, aut ſaltem ſciant, Romanæ Eccleſiæ nunc præeſſe Pontificum,

ab

Digitized by Google

ab omni faſtu & elato ſupercilio abhorrentem, qui infimæ plebis hominum, ad ſacra Religionis monumenta adeuntium, pedes abluit, ſuis manibus alimenta præbet, concuſſa valetudine miſeros ope ac cibo recreat, mortem in tuguriis & Xenodochiis obeuntibus adminiſtrat Eccleſiæ Sacramenta, atque, dum hæc ſcribimus, pro reſarcienda Eccleſiæ diſciplina, probiſque moribus in omnes ordines propagandis, celebrat Romæ hoc anno MDCCXXV. Concilium Provinciale Lateranenſe, in quo Sanctiſſimas Leges, maturo Patrum conſilio, condit, & alias a Deceſſoribus ſuis jam latas, ſapientiſſime confirmat.

Deo igitur Omnipotenti, qui nos tanto beneficio donavit, illas, quas tot nominibus ei debemus, grates rependamus, illum obnixe deprecantes, ut, qui Vota noſtra audivit pro Summi Pontificis Benedicti XIII. electione, ea nunc benigne accipiat, quas pari ſtudio pro ejuſdem Pontificis incolumitate nuncupamus, ut videlicet quem electum Pontificem plauſu tanto excepimus, pari gratulatione eum diu Eccleſiæ clavum feliciter regentem proſequamur, & quem votis ac precibus nacti ſumus, votis itidem & orationibus retineamus, in quo terrarum Orbis felicitas, & maximum Eccleſiæ decus & ornamentum continentur.

Auctor in Colloquio primo in Hiſtoriam Sæculorum XVII. *& ineuntis* XVIII. *ſeriem quidem Regum Hiſpaniæ perduxit uſque ad* Philippum V. *ſed nullam mentionem facere potuit de ea, quæ anno* MDCCXXIV. *in ſerie Regum Hiſpaniæ contigit, mutatione; quia, ſicut antea obſervavimus, Hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticam Auctor uſque ad annum dumtaxat* MDCCXXI. *produxit. Quocirca, hæc in ſerie Regum Hiſpaniæ ineuntis Sæculi* XVIII *ſunt addenda.*

Philippus V. Hiſpaniarum Rex, anno MDCCXXIV. generoſo rerum mundanarum contemptu ſeſe Hiſpanico Regno abdicavit, ejuſque moderandi habenas filio ſuo primogenito LUDOVICO, Principi omnibus ſuis numeris abſoluto, tractandas reliquit, ut conſtat ex Litteris, quas ſuper hac re publicavit Philippus V. quaſque religioſiſſimo Rege dignas jure optimo judicarunt omnes veræ pietatis cultores. Gratulabantur, applaudebant, atque felices ſeſe clamitabant Hiſpani, quod novum nacti eſſent Regem Ludovicum I. quo florentiorem exoptare haud poterant, quique Patris ſui indolem ſic expreſſe, ſic abſolute referebat, ut moderatione, clementia, liberalitate, & niveo vitæ candore, cæteriſque id genus Chriſtianis virtutibus, & ad pacem factus, & ad fortitudinem inſtitutus videretur. Has præclaras virtutes, quæ in hoc juvene Rege mirum in modum præfulgebant, ſummis laudibus efferebant Hiſpani, atque majora perfectæ virtutis exempla progreſſu temporis ab ipſo expectabant. Sed o fallaces hominum

Digitized by Google

num ſpes! dum Ludovico I. Hiſpaniarum Regi, nihil ad ſummam proſperitatem deeſſe videretur, dum illum ætas integra in ſpem diuturnæ vitæ vocaret, dum denique præſtantiſſimis virtutibus ſic adoleſceret, ut Regni moderatione, & maxime ſtudio Catholicæ Fidei tuendæ & amplificandæ, formam optimi Regis exprimeret: Ecce acerbiſſima mors, quæ nullum neque ſexus, neque ætatis, neque roboris, neque formæ novit diſcrimen, ex inſidiis illico erumpens, hunc Regem, qui erat amor populi, Regni ſalus, æqui rectique tenaciſſimus cultor, ex ſummo rerum faſtigio in humum præcipitavit, illumque, annos XVII. natum, poſt deguſtatum per ſeptem circiter menſes Hiſpaniarum Regnum, die XXI. menſis Auguſti anni MDCCXXIV. Mundo eripuit. Uxorem duxerat Ludovicus I. Hiſpaniarum Rex, filiam Philippi, Ducis Aurelianenſis, Galliarum tum temporis Regentis, qui nuperrime vitam cum morte commutavit. Sed ea viduata marito, relicta Hiſpania ad natale ſolum, proprioſque lares reverſa eſt: Philippus V. mortuo filio ſuo Primogenito Ludovico I. recepit die 6. menſis Septembris anni MDCCXXIV. Regni Hiſpaniarum gubernacula, quæ etiamnum ſapientiſſime moderatur, totumque orbem optatiſſimæ pacis, quem hoc anno MDCCXXV. cum auguſtiſſimo Imperatore Carolo VI. inivit, munere fortunavit.

Ad finem ejuſdem Colloquii primi in Hiſtoriam Sæculorum XVII. *& ineuntis* XVIII. *addenda ſunt hæc ſequentia, quæ ſpectant ſtatum civilem ac politicum, quæque contigerunt, poſtquam Auctor ſuam Hiſtoriam Eccleſiaſticam jam in publicam lucem emiſiſſet.*

Anno MDCCXXIII. e vivis exceſſit celſiſſima Anna Chriſtina Ludovica Palatina de Sulzbach, Sereniſſimi Principis Pedemontii Caroli Emmanuelis conjux, præclaris dotibus tum a gratia, tum a natura abunde cumulata. Eminebat quippe in ea, præter eximiam in Deum pietatem cum egregia morum probitate conjunctam, ſingularis affabilitas, qua de ſingulis bene mereri cupiens, omnium animos ac voluntates nullo negotio ad ſe rapiebat. Laudabatur in Aula, placebat omnibus, ſummis æque ac infimis cara erat, & virtutes, cæteroquin disjunctiſſimas, in ſe arctiſſimo vinculo ſociabat, ſublimem ſcilicet dignitatem cum modeſtia, exquiſitam prudentiam cum candore, & miram benignitatem cum integerrima æquitate. Moriens reliquit filium dictum Victorium Amedeum Theodorum, Auguſtæ Prætoriæ Ducem, cui diuturnam vitam apprecamur. Carolus Emmanuel Pedemontii Princeps, defuncta priori conjuge, ſibi matrimonio copulavit Poliſenam Chriſtinam Joannam de Haſſia Rheinfeld Rottembourg.

Eodem anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo tertio die XXXI. menſis Octobris abiit e vivis Magnus Dux Etruriæ Coſmus III. in quo certatim quaſi de palma contendebant animi cel-

celſitudo, vero digna Principe, rara prudentia, inſignis moderatio, mentis incredibilis vis, tamque amabilis omnium virtutum harmonia, & popularis affabilitas, ut vix unus uni carior ſit, quam ille eſſet his omnibus, quibus imperabat, & quorum utilitatibus ita provide conſulebat, ut nullus in tota Etruria eſſet locus, quo non ille curarum & cogitationum partes non derivarit. Fuit Catholicæ Fidei acerrimus vindex, totus pietatis exercitiis deditus, Regularis Diſciplinæ inſtaurator, Æqui juſtique amantiſſimus, veræ eruditionis cultorum Mœcenas munificentiſſimus, Pater pauperum, pupillorum ac viduarum, quibus plena manu eleemoſynas larglebatur, necnon puellarum, quarum pudicitia, ob inopiam, periclitari poterat, protector ac liberator magnificus. Succeſſorem in Etruriæ Ducatu reliquit Joannem Gaſtonem, filium ſuum, qui paterni nominis gloriam eximiis ſuis virtutibus illuſtrat, & in ſe mirifice exprimit quidquid ille præclarum habuit & eximium.

Anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quarto die XV. menſis Martii ultimum diem clauſit celſiſſima Princeps Maria Joanna Baptiſta De Nemours, Sabaudiæ Duciſſa, præſtantiſſimis exornata virtutibus, quarum ſplendore inclytiſſimam Sabaudiæ Proſapiam, ex qua ipſa oriunda erat, maxime illuſtravit. Mortuo Carolo Emmanuele II. cui nupta erat, Regii filii ſui, Victorii Amadei, quem ex his nuptiis peperit, quique adhuc impubes erat, tutelam ſuſcepit, ejuſque nomine totius Sabaudiæ Ducatum tam feliciter gubernavit, tam ſingulari prudentia in negotiorum adminiſtratione, & in procurandis ſuorum ſubditorum tam in civili, ſeu politico, quam in militari ſtatu degentium commodis adeo indefeſſa vigilantia emicuit, ut omnium amorem, & admirationem ſibi facillime conciliaverit. A publica gerenda Ducatus Sabaudiæ adminiſtratione libera hæc Sereniſſima Princeps, Regio filio ſuo Magno Victorio Amadeo II. (quem nunc ſumma rerum potientem, & heroicis actionibus, quas belli, paciſque temporibus geſſit, ubique clariſſimum; utinam Deus Optimus Maximus ſoſpitem diu & incolumem ſervet) regnandi habenas reliquit, ſeſeque totam pietatis operibus addixit; opes ſuas in pauperes diſtribuit, nubilibus virginibus, ingenuis hominibus, integriſque familiis, occulta, eaque duriori egeſtate oppreſſis, præſentiſſimam opem ferebat, atque ſingulorum pudori conſulebat. Solebat ſtatis quibuſdam hebdomadæ diebus in regium Monialium Thereſiani Ordinis Cœnobium, velut in ſolitudinem ſecedere, ubi omnibus ſæculi curis ac negotiis ſoluta Aſceticorum librorum lectioni, orationibus, piiſque meditationibus unice vacans, nihil reperiebat, in quo mens ſua libentius conquieſceret, quam in arcanis, dulciſſimiſque cum Deo Colloquiis, ex quibus tantam animi vim & alacri-

cri-

Digitized by Google

critatem hauriebat, ut in arduis & adverſis rebus ſibi ſemper conſtans, æquam jugiter mentem ſervarit. Plurima eximiæ pietatis ſuæ monumenta ad perpetuam temporum memoriam reliquit, videlicet Xenodochia, & Noſochomia, quæ excitavit, & ampliſſimis reditibus auxit ac locupletavit; Altaria, quæ in honorem Beatæ Mariæ Virginis, S. Joſephi, & S. Thereſiæ erexit, multiſque ſtatuis, columnis marmoreis, unionibus, gemmis, aliiſque id genus lapidibus pretioſis ditavit, ſed præcipue magnificentiſſimum in Regio Palatio ſacellum, quod opulentiſſima ſupellectili, innumeriſque pene vaſis, candelabris, & inſtrumentis Sacris, auro, argento, & monilibus diſtinctis, exornavit; tandem meritis plena, ac Cælo jam matura, anno ætatis ſuæ octogeſimo migravit ad Deum, quem in vita ſua unice dilexerat.

Poſtremo, Auctor in Colloquio tertio in Hiſtoriam Sæculorum XVII. *& ineuntis* XVIII *multa quidem profert Decreta, quibus Summi Pontifices* Alexander VII. Innocentius XI. *&* Alexander VIII. *proſcripſerunt plures, quæ id temporis circumferebantur, aut laxiores, aut rigidiores in doctrina morali opiniones; ſed inſerere haud potuit Literas, quas Sanctiſſimus* D. N. Benedictus XIII. in forma Brevis *ſcripſit ad univerſos Fratres Ordinis Prædicatorum Profeſſores*, adverſus calumnias doctrinæ SS. Auguſtini, & Thomæ intentatas, *cum ejuſmodi Literas Summus ille Pontifex publicarit die* VI. *menſis Novembris anni* MDCCXXIV. *poſtquam Hiſtoria Eccleſiaſtica, a noſtro Auctore lucubrata, publicam jam lucem adſpexiſſet. Rem itaque ſtudioſo Lectori gratam facturos nos eſſe arbitrati ſumus, ſi hic apponeremus prælaudati Pontificis Maximi Literas, quibus plurimum commendatur avita Sanctorum Patrum, præſertim SS.* Auguſtini, *&* Thomæ, *duorum Eccleſiæ luminarium, de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, atque de Prædeſtinatione gratuita ante prævisionem meritorum doctrina, quam probarunt Summi Pontifices* Innocentius I. Zozimus, Bonifacius, Cæleſtinus, Sixtus, Leo, Felix, Gelaſius, Hormiſdas, *& cæteri eorum ſucceſſores, quamque univerſus Prædicatorum Ordo in celeberrimis Congregationibus* De Auxiliis, *coram Summis Pontificibus* Clemente VIII. *&* Paulo V. *habitis, pro aris ac focis propugnavit, eam ad noſtra uſque tempora illibatam in Schola Thomiſtica conſervavit, &, auxiliante Deo, ad ſeram uſque poſteritatem tranſmiſſurum ſe confidit.*

Sanctiſſimi D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia PAPÆ XIII. Literæ in forma Brevis ad univerſos Fratres Ordinis Prædicatorum Profeſſores adverſus calumnias Doctrinæ SS. Auguſtini, & Thomæ intentatas.

Dilectis Filiis Univerſis Fratribus Ordinis Prædicatorum Profeſſoribus BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEmiſſas preces, & æquiſſimas conqueſtiones veſtras, quas Dilectus Filius Auguſtinus Pipia totius Ordinis Magiſter Generalis, Religioſæ vitæ exemplis, ac doctrina, prudentiaque commendatiſſimus, ſupplici libello ad Nos detulit, ea benignitate complexi ſumus, quam & veſtra in Catholicam Religionem ampliſſima merita, & noſtra quam dudum profeſſi ſumus erga Ordinem Prædicatorum obſervantia filialis, noſtræque demum humilitati impoſitum paternæ caritatis, & ſollicitudinis officium poſtulabant. Quod igitur ægre admodum, ut par eſt, moleſteque feratis, erroribus a felicis recordationis Clemente Papa XI. Prædeceſſore noſtro per Conſtitutionem, quæ incipit: UNIGENITUS DEI FILIUS, ſaluberrimo, & ſapientiſſimo judicio rejectis, damnatiſque Auguſtinianæ, & Angelicæ Doctrinæ nomen obtendi; indeque audere nonnullos Apoſtolicæ auctoritati, ac veſtræ exiſtimationi detrahere, quod ipſa veſtrarum ſententiarum capita ejus Conſtitutionis cenſuris, notiſque inuſta eſſe calumnientur; juſtam quidem animorum veſtrorum offenſionem laudi damus; qua nimirum Vos germanos Sancti Thomæ diſcipulos maxime probaſtis. Magiſterio enim tanti Doctoris imbutos nihil decet magis, quam ut in addictiſſima huic Sanctæ Sedi Fide, obedientiaque præcipuum Studiorum ſuorum fructum, & laudem collocent; & abſonas, refragantesque Apoſtolicis decretis opiniones, non averſentur modo, ſed per arma etiam lucis, & veritatis diſſipent, & evertant. Tantum tamen abeſt, ut vicem veſtram doleamus, ut vobis potius gratulemur, quod hac etiam in parte cauſa veſtra ab hujus Sanctæ Sedis ratio-

Digitized by Google

rationibus ſejuncta eſſe non potuerit ; quodque alienæ prorſus calumnioſæque interpretationes ad conflandam memoratæ Conſtitutioni invidiam temere excogitatæ ad injuriam quoque veſtri nominis redundarint. Cæterum non adeo Vobis erat, aut dolendum, aut mirandum, quod cum ipſis Divinorum librorum oraculis, & Apoſtolicis definitionibus pro impotenti, obfirmatoque partium ſtudio paſſim vis afferatur hæc eadem contentionis, pervicaciæque licentia Angelicam Doctrinam attentare non dubitaverit. Illud potius jure mirandum, quod tam præpoſtero conſilio in hac cauſa locus eſſe potuerit ubi Sancti Thomæ exploratiſſimis ſententiis damnati errores diſertiſſime confutantur. Quandoquidem Omnipotentis Dei providentia factum eſt (*a*), ut Angelici Doctoris vi, ac veritate Doctrinæ, non ſolum innumeræ, quæ vel ipſius ætate, vel antea graſſatæ ſunt, ſed multæ etiam quæ deinceps exortæ ſunt hæreſes, confuſæ, & convictæ diſſiparentur. Magno igitur animo contemnite, Dilecti Filii, calumnias intentatas ſententiis veſtris, de Gratia præſertim per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita Prædeſtinatione ad gloriam ſine ulla præviſione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuiſtis, & quas ab ipſis SS. Doctoribus Auguſtino, & Thoma ſe hauſiſſe, & verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Conciliorum decretis, & Patrum dictis conſonas eſſe Schola veſtra commendabili ſtudio gloriatur. Cum igitur bonis, & rectis corde ſatis conſtet, ipſique calumniatores, niſi dolum loqui velint, ſatis perſpiciant, SS. Auguſtini, & Thomæ (*b*) inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata nullis prorſus antedictæ Conſtitutionis cenſuris eſſe perſtricta; ne quis in poſterum eo nomine calumnias ſtruere, & diſſenſiones ſerere audeat ſub canonicis pœnis diſtricte inhibemus. Pergite porro Doctoris veſtri opera Sole clariora ſine ullo prorſus errore (*c*) conſcripta, quibus Eccleſiam Chriſti mira eruditione clarificavit (*d*), inoffenſo pede decurrere, ac per certiſſimam illam (*e*) Chriſtianæ Doctrinæ regulam Sacroſanctæ Religionis veritatem, incorruptæque diſciplinæ ſanctitatem tueri, ac vindicare. Hæc ſunt enim, Dilecti Filii, quæ Prædeceſſores noſtri de Sancti

b 2 Tho-

(*a*) *Pius V. in Bulla* Mirabilis Deus. 1567.
(*b*) *Alexander VII. in Brevi incipiente* Litteras. 1660.
(*c*) *Clemens VIII. in Brevi incipiente* Dilecti Filii. 1603.
(*d*) *In Collecta Feſt.*
(*e*) *Pius V. in Bulla ut ſupra.*

Digitized by Google

Thomæ Doctrina ſenſerunt, & prædicarunt; quæque nos, non modo ad curarum veſtrarum lenimentum, ſed ad animi quoque noſtri ſolatium libentiſſime uſurpamus, & præconio Apoſtolicæ vocis efferimus. Inclytus enim Ordo iſte, cui nomen dedimus, & quem expreſſe, Domino miſerante, profeſſi ſumus, eodem Angelicæ Doctrinæ lacte nos aluit, ac licet impari inſtitutionis fructu, ad gerendam Eccleſiarum ſollicitudinem eduxit; ut privato etiam diuturnoque colendarum artium experimento ediſcere potuerimus, quod ex Apoſtolatus ſpecula per haſce literas annunciamus. Deum interea, qui pacem, & veritatem diligendam præcipit, ſupplices rogate, ut ſincero Angelici Doctoris ſtudio omnes in ſimplicitate cordis nitantur, quæ ille docuit, intellectu conſpicere, atque in unitate ſpiritus, & caritate fraternitatis, quæ ille egit, imitatione complere. Ac Vobis, Dilecti Filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die VI. Novembris MDCCXXIV. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Carolus Archiepiſcopus Emiſſenus.

B.R.A.

Digitized by Google

PRÆFATIO
EDITIONIS ROMANÆ.

CUM primum ætas noſtra, qua nulla fortaſſe fuit expolitior, a barbarie reſpirare cœpit, tam ardenter in ſtudium ſacræ antiquitatis incubuit, ut inter liberales hujus ſæculi diſciplinas, hæc præ cæteris una dominetur, & apud omnes, qui de Religione bene mereri ſtudent, principem locum optimo jure obtineat. At vero pene jacuit olim, (proh dolor!) Artium Domina, Reginaque Theologia, contagione quadam ita deformata verbis, ita rebus infuſcata, ſucco & ſanguine ita decolorata, ut in frigidis, ac ſpinoſis dumtaxat quæſtionibus plurimum occuparetur. Sed nunc (quod ætati noſtræ impenſe gratulemur) purior demum, atque defœcatior meliori ſidere tandem reſtituta eſt Theologia; quippe quæ in differendi ſubtilitate ita quidem verſari amat, ut ſimul ad eruditæ vetuſtatis ſpeciem expreſſa, ad Sanctorum Patrum directa normam, ad Hiſtoriæ, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ veritatem exacta, mirifica Critices artis adjumenta, & univerſæ eruditionis theſauros in omnes cultarum gentium Scholas liberaliter effundat. Hunc præclarum Theologiæ additum ſplendorem, acceptum referre debemus indefeſſo ſtudio virorum eruditorum, qui germana Theologia, & omnigenæ doctrinæ copia cumulatiſſime inſtructi immenſa non minus mole, quam eruditione volumina hac tempeſtate ediderunt, quibus adoleſcentum animos veræ flagrantes deſiderio ſapientiæ ad antiquitatis ſtudium, ad Hiſtoriæ Sacræ notitiam comparandam; admotis velut calcaribus, ſtimularunt, ac vehementer inflammarunt. Extat etiam doctiſſimi Patris *Mabillonii*, quem ſacræ antiquitatis bono natum lubens hic honoris cauſa nomino, aureus liber *de Monaſticis ſtudiis*, qui ſanioris Theologiæ Magiſtris regiam plane viam ſternit, cui maxima cum Theologici nominis commendatione utiliter inſiſtant; quam qui ſecuti ſunt ex Religioſiſſima Congregationis Sancti Mauri Familia viri celeberrimi, eruditis ſuis lucubrationibus & Sanctorum Patrum Theologiam, & Eccleſiam illuſtrarunt hactenus, & modo feliciter illuſtrare per-

gunt. Quæ cum ita ſint, probari nentiquam poſſunt hi, qui in literaria Palæſtra, tot, tamque egregiis virorum doctorum Operibus abunde locupletata, adhuc barbariem mordicus retinere, ſiccis quæſtionibus indulgere, & in antiquitatis totius ignoratione verſari volunt; digni profecto, qui Tullianis verbis arguantur: veluti qui *perverſe poſt inventas fruges, glande veſci perſeverant*. Sane, negare haud poſſunt illi, qui abſtractis quæſtionibus, velut deliciis, unice delectantur, Theologum, ut ſuis omnibus numeris abſolutus ſit, præſidiis inſtructum eſſe oportere, hiſque armis uti debere, quibus Eccleſiæ inſervire, & fidei hoſtes retundere, ac vincere poſſit. Jam vero hæc arma, hæc præſidia potiſſimum petenda ſunt ex Sacris Scripturis, ex divinis, Apoſtoliciſque Traditionibus, quæ Summorum Pontificum decretis, Sanctorum Patrum Operibus, Conciliorum, Hiſtoriæ, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ monumentis continentur. Quo pacto autem ejuſmodi arma tractare, eorumque vim penitius introſpicere poterit Theologus, qui antiquitatem cum Sacram, tum Eccleſiaſticam ne primoribus quidem labiis præguſtaverit? quo pacto veterum Patrum ſcripta genuina a ſuppoſititiis ſecernet, ſi in eorum Operibus peregrinus, & hoſpes omnino ſit, vel ſaltem ſi nunquam legerit lucubrationes illuſtrium hujus temporis virorum, qui in ſano Artis Criticæ ſtudio, & in Scriptorum Eccleſiæ Catholicæ voluminibus ita hactenus inſudarunt, ut jam nullum pene ſit neque tam obvium, neque tam reconditum antiquorum Monumentorum genus, quod juſtis Criticæ artis ponderibus non librarint, non graviter examinaverint. His, & aliis bene multis rationibus, quibus conſulto ſuperſedeo, permotus ipſe, hæc edidi Colloquia, in quibus rerum Eccleſiaſticarum notitiam ex innumeris voluminibus hauſtam compendioſe trado, & expono ad conſulendum utilitati permultorum ſtudioſorum, qui citra prolixam temporum diuturnitatem, & graviores in comparandis multis voluminibus expenſas, facili negotio poterunt brevioris iſtius Operis noſtri præſidio totam brevi temporis ſpatio perluſtrare, ac addiſcere Hiſtoriam, & Diſciplinam Eccleſiæ, eoque utentur compendio tamquam clavi, & manuductione ad facilius aſſequenda, altiuſque ſtabili memoriæ infigenda, quæ prolixius, & uberius alii libri complectuntur.

Verum, ut candide fatear, iſtud qualecumque Opus eo potiſſimum fine lucubravi, ut promoverem ſtudia Excellentiſſimi Principis *Franciſci Burgheſii* fidei meæ curæque concrediti, qui, poſt emenſum magna cum laude Philoſophiæ & Theologiæ Thomiſticæ ſtadium, voluit ut de rei Eccleſiaſticæ ſtudio leges, ac bre-

brevem expeditamque ei præſcriberem methodum, cujus beneficio ad neceſſariam totius Hiſtoriæ, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ notitiam poſſet faciliorem nanciſci aditum. In hujus ſtudioſiſſimi Principis, qui ob præclaram, quam ſortitus eſt, indolem, & eximias, quibus fulget, virtutes, ſibi in dies omnium amorem, ac benevolentiam conciliat, excolendo ac perpoliendo eleganti ingenio totus incumbo. Quare ejus votis lubentiſſime annui, & hanc arduam licet & operoſam provinciam eo lubentius in me ſuſcepi, quod probe ſcirem, innumera pene, & immenſa de Hiſtoria, & Diſciplina Eccleſiaſtica extare volumina, quæ a viris quidem eruditis maxima, ut par eſt, animi oblectatione perleguntur, a juvenibus tamen, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam necdum a limine ſalutarunt, & quibus diuturnum juxta ac tædioſum ſtudium haud placet, nunquam, aut raro, aut ſine fructu lectitantur. At enim, ut obiter dicam, vix numerari poſſunt Scriptores, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam aut literis mandarunt, aut doctiſſimis lucubrationibus, hac præſertim tempeſtate illuſtrarunt. *Euſebius* Epiſcopus Cæſarienſis Hiſtoriam Eccleſiaſticam a Chriſto nato uſque ad annum CCCXXV. adornavit, quam poſtea ad ſua uſque tempora continuarunt *Rufinus* Presbyter Aquilejenſis, *Socrates*, *Sozomenus*, *Theodoretus*, *Philoſtorgius*, *Evagrius*, *Theodorus* Lector, Auctor Hiſtoriæ Tripartitæ ex Sozomeno, Socrate, Theodoreto collectæ, ab *Epiphanio* Scholaſtico latine verſæ, & a *Caſſiodoro* in Compendium redactæ. Hos ſequitur *Nicephorus Callixtus*, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam a Chriſti ortu ad annum uſque DCX. produxit. Ex iſtis, aliiſque Scriptoribus, qui variis in ſæculis partem aliquam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ attigerunt, Eminentiſſimus Cardinalis *Baronius*, ſæculo ſuperiori elapſo, ut Magdeburgenſium Hæreticorum Centurias contra Eccleſiam Catholicam ſcriptas refelleret, Annales Eccleſiæ duodecim Tomis adamantino pectore, & labore pene ſupra vires humanas digeſſit, quos poſtea ab anno milleſimo centeſimo nonageſimo octavo, in quem deſiit Baronius, continuarunt *Abrahamus Bzovius* Ord. Prædicat. *Odoricus Raynaldus* Congreg. Oratorii Presbyter, & *Henricus Spondanus* Apamiarum Epiſcopus. Magnam rerum Eccleſiaſticarum cognitionem promoviſſe Baronium, & complura, quæ antehac denſis tenebris erant circumfuſa in manifeſtam lucem eduxiſſe certum eſt apud omnes, negari tamen non poteſt, eum in aliquot circa Hiſtoriam, & Chronologiam impegiſſe errores, quos retexerunt, & emendarunt Catholici Scriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ bono nati Cardinalis *Noriſius*, *Antonius Pagius*, *Tillemontius*, & alii. In Annales etiam Baronii calamum acuerunt inter Heterodoxos *Iſaacus*

Digitized by Google

Caſaubonus, *Richardus Montacutius*, *Joannes Henricus Hottius*, *Samuel Baſnagius*, qui tamen lucubrationes ſuas, ut ſolemne eſt Hæreticis, multis erroribus fœdarunt. Infinitus profecto eſſem, ſi alios doctiſſimos hujus ætatis Scriptores Catholicos *Thomaſſinum*, *Mabillonium*, *Petavium*, *Sirmondum*, *Goarum*, *Combefiſium*, *Valeſium*, *Baluzium*, *Bollandum*, ejuſque Continuatores de Hiſtoria, & Diſciplina Eccleſiæ optime meritos vellem impræſentiarum recenſere. Satis ſit hic obſervaſſe, ingentem eſſe copiam Scriptorum, qui Hiſtoriam, & Diſciplinam Eccleſiaſticam illuſtrarunt immenſis Voluminibus, quæ ob ſummam quam complectuntur eruditionem, apud viros eruditos in maximo pretio jure merito habentur, ad captum tamen juvenum, ut libere dicam, ob nimiam prolixitatem non mihi videntur ſatis accommodata. Quapropter, ipſe Excellentiſſimi Principis *Franciſci Burghefii* utilitati pro virili conſulturus, non eos Hiſtoricos Eccleſiaſticos mihi imitandos propoſui, qui vel in ſuis Annalibus, vel in Operibus, quæ de Hiſtoria Eccleſiaſtica ediderunt, bene multa, quæ ad Theologiam, Controverſias Fidei, Sacræ Scripturæ interpretationem, Jus Canonicum ſpectant, & alia hujuſmodi argumenta ad res ſacras, & poteſtatem cum Eccleſiaſticam, tum Civilem pertinentia promiſcue inſeruerunt, & prolixis Diſſertationibus pertractarunt, ſed potius his omnibus, quæ revera Hiſtoricus Eccleſiaſticus tanquam a ſuo ſcopo aliena reputare debet, valere juſſis; neceſſarium dumtaxat eſſe duxi, res ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis in diverſis Orbis partibus actas compendioſe narrare, hoc eſt, Hiſtorici partes agere, non vero Theologi, aut Polemici officium uſurpare, ne videlicet Opus, quod aggredior, videretur aggregatum quodpiam ex Theologia, Controverſiis Fidei, Sacræ Scripturæ interpretatione, Jure Canonico, & aliis id genus quæſtionibus res ſacras ſpectantibus, quæ tamen nonniſi ex occaſione, raro, & quaſi perfunctorie ab his, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam deſcribendam ſuſcipiunt, examinari, aut ventilari debent. Alioquin nullis limitibus circumſcriberetur Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſed ad immenſam excreſcerent molem omnia quæ de illa procuderentur Opera. Ut autem facili ac perſpicua methodo procederem, Hiſtoriam omnium Eccleſiæ ſæculorum variis digeſſi Colloquiis, in quibus interlocutores ſunt *Magiſter*, & *Diſcipulus*. Qua in re inſtiti veſtigiis *Alcuini*, qui Caroli Magni Imperatoris præceptor fuit. Extant quippe inter Opera Alcuini tres Dialogi, in quorum uno, qui eſt *de Grammatica*, non alii interlocutores inducuntur, quam *Magiſter*, & *Diſcipulus*. In altero Dialogo, qui eſt *de Rhetorica*, & in tertio, qui eſt *de Dialectica*, interlocutores ſunt *Carolus Magnus*, & *Alcuinus*,

Digitized by Google

cuinus, & in his Carolus Præceptorem & Magiſtrum ſuum Alcuinum ſemper appellat. Ad hanc, inquam, *Alcuini* Dialogorum normam iſta in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Colloquia in rem dumtaxat & uſum Excellentiſſimi Principis *Franciſci Burgheſii* horis ſubciſivis elaboraveram, eaque cum nemine alio communicare animus erat. Sed, cum viri eruditi, quos impenſe veneror, hujuſmodi Colloquia ſtudioſæ juventuti utilia eſſe poſſe judicaverint, conſenſi tandem ut publicam lucem adſpicerent, ea tamen lege, ut fructum, ſi quem in his lectitandis excerpant Theologiæ Candidati, hunc totum non mihi, ſed Excellentiſſimo Principi *Franciſco Burgheſio*, qui mihi Opus iſtud injunxit, gratis animis acceptum referant.

In hac autem tradenda Hiſtoriæ, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ notitia, duos præſertim ſcopulos, ad quos multi appellere ſolent, majori, qua potui, diligentia declinare ſtudui; nimiam credulitatem dico, quæ in optimi cujuſque mentem irrepit facillime; & delicatiſſimum quoddam faſtidium, ſive effrœnatum illud Critices ſtudium, quo morbo complures noſtræ ætatis viros non parum laborare vix auſim inficiari. A noſtris igitur Eccleſiaſticis Colloquiis, quemadmodum credulitas, ſic aberit faſtidium, & inter utrumque ſcopulum, veluti Scyllam inter & Charibdim, bene fortunante Deo, ibimus medio tuti. Dabo etiam operam, ut ſtudioſæ juventuti probentur hæc noſtra Colloquia. Nam ſi quas illecebras habet brevitas; res tam multas, tam diſſipatas, tam undique accerſitas, & in grandibus Voluminibus hac illac diſperſas, in ſingulis Colloquiis ſub uno adſpectu breviter, quoad ejus fieri poterit, contraham, ſicque moleſtæ lectionis incommoda brevitatis falce ita reſcindam, ut tamen obſcurus non fiam, dum brevis eſſe laboro. Si juvat Ordo ſerieſque rerum; non deſultoria levitate per ætates omnes volitabimus, ſed auſpicabimur a tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis, dein per omnes ætates ibimus. Demum, ſi perſpicuitas in amore eſt; in hanc curam totus incumbam, ut dilucidus & negligenter quoque legentibus apertus ſcribendi modus non tam poſſit intelligi, quam ne omnino poſſit intelligi, neminemque a noſtrorum Colloquiorum lectione deterreat, & præpoſtera rerum confuſio, & moleſta ſtyli barbaries atque obſcuritas. Sex, aut ad ſummum ſeptem Tomis in 8. totum iſtud Opus comprehendam, quorum hic primus quatuor priorum Eccleſiæ ſæculorum Hiſtoriam ac Diſciplinam exhibet. Alter vero Tomus, qui jam ſub prælo ſudat, & duorum Eccleſiæ ſæculorum quinti videlicet & ſexti Hiſtoriam & Diſciplinam complectitur, propediem in lucem prodibit, eumque, ſi Deus Optimus Maximus me ſoſpitem & incolumen

lumen ſervet, alii Tomi, breviſſimo interjecto temporis intervallo, excipient. Ultimus Tomus continebit Tabulas Chronologicas omnium Romanorum Pontificum, Imperatorum, Illuſtrium Scriptorum, Hæreſum & Conciliorum cujuslibet ſæculi, necnon locupletiſſimum Indicem rerum, quæ in univerſo Opere pertractantur. Æqui igitur bonique conſule, erudite lector, hoc qualecumque Opus, quod in rem tuam publici juris facio, quodque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum Matris ac Magiſtræ, atque Sedis Apoſtolicæ judicio lubens ſubmitto, aureum iſtud uſurpans *Sancti Paciani* Barcinonenſis Epiſcopi dictum: *Chriſtianus mihi nomen*, cognomen *Catholicus* Epiſtola 1. ad Sempronianum, Deumque obſecrans & obteſtans, ut mihi tribuat Scientiæ donum, ſimul & ſtudium ac virtutem operandi bonum. *Quod ſi voluntas, ſtudium, virtuſque operandi bonum non proſequitur ſcientiæ donum; ſatis mihi eſt, Domine, ſtultum hebetemque eſſe. Neque enim ideo patriam parenteſque reliqui, ut mihi ſcientiæ dona largireris, ſed ut perfectione virtutum ad vitam æternam perduceres. Nolo certe hanc commutationem. Quod ſi utraque non mereor, doctrinam ſcilicet ac operationem: aufer, quæſo, doctrinam, tantum ut tribuas operationem virtutum.* Verba ſunt Sancti Abbatis *Ambroſii Authperti* natione Galli, & octavi ſæculi Scriptoris ad calcem lib. 10. in Apocalypſin.

NOS

Digitized by Google

NOS FR. ANTONINUS
CLOCHE

Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Fratrum Prædicatorum humilis Magiſter Generalis & ſervus ſalutem.

TEnore præſentium noſtrique auctoritate Officii licentiam facimus Reverendo admodum Patri Fratri *Ignatio Hiacyntho Amat de Graveſon* in Sacra Facultate Pariſienſi Doctori ac in Collegio Caſanatenſi Conventus Sanctæ Mariæ ſuper Minervam de Urbe Theologo, Provinciæ noſtræ Provinciæ Alumno typis edendi Opus in plures Tomos diſtributum, cui titulus eſt: *Hiſtoria Eccleſiaſtica variis Colloquiis digeſta, &c.* dummodo prius approbatum fuerit a duobus Ordinis noſtri in Theologia Magiſtris, & aliis ſervatis de jure ſervandis. In quorum fidem &c. Datum Romę in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 8. Martii 1717.

Fr. Antoninus Cloche Magiſter Ordinis.

Regiſtr. fol. 79.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Bernardus d' Arcet Magiſter, & Socius.

A p-

Digitized by Google

APPROBATIO.

SI Theologus tantum curæ impendit & vigiliarum in quæſtionibus ſpeculativis ſæpe ſpinoſis, & interminabilibus, quanto juſtius & utilius, & Theologo vero dignius cenſendum eſt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notitia pulcherrima imbui, quæ traditioni confert & pietati, per aliquot otii ſui horas navare Operam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, vitæ Magiſtræ, prudentiæ ſubſidio, luci veritatis, & potiſſimo vitæ, & conſociationis humanæ inſtrumento, quod locupletum auctorum teſtimoniis innixum eſt, in quo nil ſuperſtitioſe atque aniliter, ſed ſingula gravi conſtantique ſibi ratione narrantur: quibus ſi homines minime crederent, humana profecto ſocietas interiret. Si teſte S. Auguſtino *lib. 2. de Doctr. Chriſt.* ipſæ Ethnicorum Hiſtoriæ ad Sacræ Scripturæ intellectum non mediocriter conferunt, ex earumque ignoratione auctores alioquin graves non ſemel ceſpitarunt, ut maniſeſtiſſimis illuſtrari exemplis abſque negotio poſſet: quanto magis Eccleſiaſtica Hiſtoria Theologo nedum perutilis, ſed pernecеſſaria cenſenda eſt, tum in diſputatione adverſus Fidei Catholicæ hoſtes, tum ad ſpeculationes exemplis locupletandas, tum in moralibus caſuum deciſionibus quidpiam juſtum eſſe perſuadeat, vel injuſtum; prout a viris aut probis, aut improbis uſurpatum eſt. Bono litterarum, & ſtudioſæ juventutis natus Reverendus admodum Pater Fr. *Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon* vir ſumma doctrina, ingenio præſtanti, florido eloquio, lucubrationibus ſuis in lucem editis orbi litterario haud ignotus, aggreditur ſex Voluminibus, beſſibus foliis, ſtylo facili, brevi, terſo Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcribere, res eidem ſubjectas Colloquiis ſex, nomine Diſcipuli, & Magiſtri, haud perfunctorie perſequi, controverſiaſque pro re nata emergentes tribus verbis pertractare juxta Canones a viris doctis, nariſque emunctioris probatos cum Hiſtoriæ, tum Critices, & Chronologiæ. In uno perpulchre depingit immanium perſecutionum procellas, quibus Eccleſia exagitata eſt, & fuit ſemper victrix, ſemper triumphans, tot ornata palmis, quot fuit infidelium armis, & irruptionibus laceſſita. In altero ſeriem Antiſtitum illuſtriorum Sedium Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, Conſtantinopolitanæ repræſentat. In tertio hæreſeon deſcribit ortum, progreſſum, interitum. In quarto exhibet Concilia quibus vel Hæreſes profligatæ, vel mores inſtituti, vel diſciplina ſancita, vel Schiſmata reſtincta ſunt. In quinto ponit ob oculos Lectoris viros ſcriptis,

ac,

ac pietate inſignes. In poſtremo adumbrat fidem Orthodoxam, Chriſtianam Ethicam, politiam Eccleſiaſticam cujuſque ſæculi. Juſſu Reverendiſſimi Patris Antonini Cloche Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri ſedulò, ſummaque animi oblectatione perlegi duo priora volumina Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ priora ſex ſæcula complectentia, nihilque in ipſis offendi, quod fidei regulæ, boniſque moribus apprime non conſentiat, nec in eis vel apicem habent tetrici, ac moroſi Scriptorum cenſores, quem arrodant. Hujus itaque aurei Operis primam partem cenſeo digniſſimam, quæ luce publica donetur.

Romæ in Conventu & Collegio Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 26. Februarii anni 1717.

Fr. Antonius Bardon, Ordin. Prædicat. Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, & Cathedraticus Caſanatenſis.

APPROBATIO.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudium, cum Viris Eccleſiaſticis omnibus, tum potiſſimum Theologis perquam neceſſarium eſſe, nemo eſt, quod ſciam, qui id in dubium revocare velit. Enimvero, hoc ipſum ut paucis perſtringam, nonne ex ſaluberrimis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fontibus hauſtum deductumque habemus, quid circa Fidem, Mores, diſciplinam Eccleſiaſticam, & Hæreſes in Conciliis ſancitum fuerit? Quid a Sanctis Patribus, aliiſque Scriptoribus Eccleſiaſticis in commune Eccleſiæ commodum litteris proditum, ſeræque poſteritati tranſmiſſum ſit? Quid tandem, ut cætera mittam, præclara Sanctorum geſta, ad quorum normam vir Eccleſiaſticus vitam ſuam exigat, neceſſum ſit, ſpectet attineatque? Hæc cum ita ſint, ſæpe mecum cogitare ſoleo, quid cauſæ ſit, quamobrem pauci adeo ſint, qui utiliſſimo huic atque jucundiſſimo ſtudio incumbere operamque navare minime ſatagant. Multa hanc in rem animo pervolventi, iſtud demum occurrit, quod, niſi mea me fallat opinio, in cauſa eſt, cur plerique ab hujuſmodi ſtudio deterreantur. Scilicet prægrandia ſive veterum, ſive recentiorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ concinnatorum Volumina, quibus haud perfunctorie decurrendis, & otii quam plurimum, & maxima memoriæ tenacitas deſiderantur, cum a primo, quod ajunt, limine, vix ſalutaverint, ecce aui-

ce animum confeſtim deſpondere, curamque omnem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capeſſendæ penitus abjicere non dubitant. Graviſſimo hoc genus offendiculo medelam ut afferret, atque viam ad frugiferam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cognitionem comparandam ſterneret, complanaretque Reverendus admodum Pater Fr. *Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon* Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus Methodum hanc facilem, claram, limpidam, ac compendioſam excogitavit, quam ſi manibus terant viri Eccleſiaſtici, id in me recipio futurum, ut Eccleſiaſticam, qua late pateat, Hiſtoriam, nullo negotio ediſcere poſſint. Hujus methodi Tomum primum, quatuor priora Eccleſiæ ſæcula complectentem, cum ex præſcripto Reverendiſſimi Patris Generalis Antonini Cloche ſedulo ac diligenter lectitaverim, nihil in eo obſervavi, quod ſanam doctrinam non ſapiat. Nihil, quod bonos mores non ſpiret. Nihil, quod ſanctiorem Eccleſiæ diſciplinam non ſonet. Nihil, quod ſingularem in rebus Eccleſiaſticis eruditionem non redoleat. Nihil denique, ut alias præcellentes Clariſſimi Auctoris in ſcribendo dotes ſilentio prætereą, quod lacteum quemdam Eloquentiæ fontem non indigitet. Quare opus iſtud, ut prælo citius committatur, & cenſeo, & percupio, ne Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſi præclaro ſane, ac proficuo Opere diutius orbentur. Reliquum eſt, ut iidem notitiæ Eccleſiaſticæ peramantes, vota, preceſque Deo Optimo Maximo nuncupent, quo Doctiſſimus Auctor prolixa vita, incolumique valetudine donatus, quam auſpicatus eſt Eccleſiaſticam Hiſtoriam, ad umbilicum uſque, feliciſſimumque exitum perducere valeat. Ita fiet, ut quidquid in priſcis Eccleſiæ Hiſtoricis reconditum magis, quidquid etiam in modernis ſelectum, ſcituque dignum reperitur, totum hoc pleno, nobili, gratoque calamo ſit ipſe Orbi Eccleſiaſtico propinaturus.

Datum Romæ die 7. menſis Martii anni 1717.

Fr. Patricius Plonket Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Theologus Caſanatenſis Ordin. Prædicat.

DIS-

Digitized by Google

DISTRIBUTIO OPERIS.

PARS PRIMA

CONTINENS QUATUOR PRIORES TOMOS.

TOMUS PRIMUS

Complectens quatuor Priora Eccleſiæ Sæcula.

TOMUS SECUNDUS

Complectens duo Eccleſiæ Sæcula, Quintum, & Sextum.

TOMUS TERTIUS

Complectens tria Eccleſiæ Sæcula, Septimum, Octavum, & Nonum.

TOMUS QUARTUS

Complectens tria Eccleſiæ Sæcula, Decimum, Undecimum, & Duodecimum.

PARS SECUNDA

CONTINENS ALIOS TRES TOMOS.

TOMUS QUINTUS

Complectens duo Eccleſiæ Sæcula, Decimum tertium, & Decimum quartum.

TOMUS SEXTUS

Complectens Sæculum Eccleſiæ Decimum quintum.

TOMUS SEPTIMUS

Complectens Sæculum Eccleſiæ Decimum ſextum.

PARS TERTIA

CONTINENS DUOS POSTREMOS TOMOS.

TOMUS OCTAVUS

Complectens Sæculum Eccleſiæ Decimum ſeptimum.

TOMUS NONUS

Complectens quatuordecim Tabulas Chronologicas, necnon duos Indices, unum Rerum notabilium, alterum Geographicum.

IN-

INDEX COLLOQUIORUM

Quæ continentur in hoc primo Tomo.

COLLOQUIA

In Hiſtoriam trium priorum Eccleſiæ Sæculorum.

COLLOQUIUM I.

IN quo deſcribitur Hiſtoria perſecutionum, quæ tribus prioribus ſæculis Eccleſiam exagitarunt, & texitur ſeries Imperatorum, qui tribus primis Eccleſiæ ſæculis ſummæ rerum potiti ſunt. pag 3.

COLLOQUIUM II.

De continua ſerie Epiſcoporum, qui præcipuas Eccleſiæ Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, & Hieroſolymitanam in tribus primis ſæculis rexerunt. 14

COLLOQUIUM III.

In quo exhibentur Hiſtoria Judæorum ab obitu Herodis uſque ad ultimam Urbis Hieroſolymitanæ cladem, eorumque referuntur Sectæ, & funeſta poſt excidium Hieroſolymitanum conditio. 22

COLLOQUIUM IV.

In quo texitur Hiſtoria Hæreſum, quæ tribus primis ſæculis Eccleſiam infeſtarunt. 28

COLLOQUIUM V.

De Conciliis, quæ in tribus primis Eccleſiæ ſæculis fuerunt celebrata. 39

COLLOQUIUM VI.

De Viris Illuſtribus, qui in tribus primis ſæculis Eccleſiam doctrina, & pietate illuſtrarunt. 47

COLLOQUIUM VII.

De Doctrina, Diſciplina, & Morali trium priorum Eccleſiæ ſæculorum. 58

COLLOQUIA

In Hiſtoriam Eccleſiaſticam V. Sæculi.

COLLOQUIUM I.

DE ſtatu Eccleſiæ in quarto ſæculo. pag. 68

COLLOQUIUM II.

De Schiſmatibus, & Hæreſibus, quæ in quarto Eccleſiæ ſæculo emerſerunt. 75

COLLOQUIUM III.

De Conciliis, quæ in quarto Eccleſiæ ſæculo ad tollenda Schiſmata, configendaſque Hæreſes variis in locis fuere celebrata. 89

COLLOQUIUM IV.

De Viris Illuſtribus, ſeu de Scriptoribus, qui doctrina, vitæque ſanctimonia quartum Eccleſiæ ſæculum illuſtrarunt. 103

COLLOQUIUM V.

De continua ſucceſſione, ſeu ſerie Epiſcoporum, qui in quarto Eccleſiæ ſæculo præcipuas Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, & Hieroſolymitanam tenuerunt. 118

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Diſciplina, & Morali quarti Eccleſiæ ſæculi. 129

HI-

HISTORIA
ECCLESIASTICA
I. II. & III. Eccleſiæ Sæculorum

Variis Colloquiis digeſta.

SEptem circa Hiſtoriam trium priorum Eccleſiæ Sæculorum colloquia inſtituam. In primo, referam perſecutiones, quæ tribus prioribus Sæculis Eccleſiam exagitarunt, ibidemque, juxta acuratiſſimam Chronologiam, ſeriem Romanorum Imperatorum, qui tribus primis Eccleſiæ Sæculis ſumma rerum potiti ſunt, attexam. In altero, exhibebo continuam ſeriem Epiſcoporum, qui præcipuas Eccleſiæ Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, & Hieroſolymitanam in tribus primis Sæculis tenuerunt. In tertio, texam Hiſtoriam Judæorum ab obitu Herodis uſque ad ultimam Urbis Hieroſolymitanæ ſub Veſpaſiano Imperatore cladem, eorum Sectas, & funeſtam poſt Hieroſolymitanum excidium conditionem itidem deſcribam. In quarto, proferam in medium Hæreſes, quæ tribus primis Sæculis Eccleſiam infeſtarunt. In quinto, agam de Conciliis, quæ in tribus primis Sæculis fuerunt variis in locis celebrata. In ſexto, differam de Viris illuſtribus, qui in tribus primis Sæculis Eccleſiam doctrina, & pietate illuſtrarunt, eorumque genuina opera a ſpuriis, & ſuppoſititiis juxta artis Criticæ Regulas ſecernam In ultimo, perſtringam, ac ſummatim delibabo Doctrinam, Diſciplinam, & Moralem trium priorum Eccleſiæ Sæculorum.

Digitized by Google

rum. Conſulto autem prætermittam nonnullas difficultates, quæ in primo Eccleſiæ Sæculo vulgo ventilari ſolent, videlicet, de anno, quo Chriſtus Dominus noſter natus, baptizatus, & mortuus eſt; quia ejuſmodi difficultates jam diſcuſſi, & pleniſſime elucidavi in Tractatu, quem edidi, *de Myſteriis, & annis Chriſti*. Miſſas etiam faciam quæſtiones, quæ ſpectant libros ſacros novi fœderis, eorumque Authores, qui afflati Spiritu Sancto cæleſtem doctrinam in primo Eccleſiæ Sæculo literis conſignarunt. Has quippe quæſtiones tam late expendi in alio Tractatu, quem publica luce donavi, *de Scriptura Sacra*, ut otio lectoris abuterer, eique iteratis repetitionibus faſtidium ingererem, ſi denuo eas hic excutiendas ſuſciperem. Nunc igitur permittamus vela ventis, Deumque Optimum Maximum obnixe deprecemur, ut curſum noſtrum ſplendidiſſima gratiæ ſuæ luce dirigere, ac bene fortunare dignetur.

Digitized by Google

COLLOQUIUM PRIMUM.

In quo deſcribitur Hiſtoria Perſecutionum, quæ tribus prioribus Sæculis Eccleſiam exagitarunt, & texitur ſeries Imperatorum, qui tribus primis Eccleſiæ ſæculis ſumma rerum potiti ſunt.

MAGIST. VOtis tuis abunde me feciſſe ſatis autumo, dum in his, quas non multos abhinc annos publici juris feci, lucubrationibus, omni argumentorum genere adverſus Judæos, & Ethnicos evici, Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam Prophetarum vaticiniis prædictum, totamque Servatoris noſtri, Deumque inter & homines Mediatoris vitæ Æconomiam, mortem, ad vitam reditum, & glorioſum in Cælos aſcenſum lato calamo ſum proſecutus. Supereſt nunc, ut difficultates, ſi quas inter legendum nactus es, quæ tibi aliquid negotii faceſſant, in iſtis, quæ mox inſtituimus, litteratis colloquiis ſingillatim mihi proponas, ut his ſemel diſcuſſis, atque dilucidatis, major tibi lux affulgeat, & omnis tuo adhuc hærens animo ſcrupulus, admota veritatis luce penitus eximatur.

D. Tam expedita methodo Myſteria Jeſu Chriſti Servatoris noſtri pertractaſti, ſiniſtras interpretationes, queis obſtinati Judæi utuntur, ut ſacra Prophetarum de venturo Meſſia Oracula perperam detorquere, & in Chriſto fuiſſe completa inficias ire poſſint, tam ſolide confutaſti; poſtremo, Ethnicorum, aliorumque hujus furfuris hominum, qui, ne Chriſtum eſſe verum Meſſiam fateri cogantur, omnem omnino Revelationem, Inſpirationem, Antiquitatem, & Authoritatem Sacrorum cum veteris, tum novi fœderis librorum impie negare præſumunt, decantata ſæpius argumenta ea perſpicuitate eliſiſti, ut uberiori explicatione opus in præſentiam non habeam, ſed, ſicut vulgari fertur Adagio, *nare ſine cortice* poſſim. Quocirca te etiam atque etiam rogo, ut me, Myſteriorum Jeſu Chriſti veri Meſſiæ notitia plene imbutum, Hiſtoriam Eccleſiæ, quam ſuo pretioſo ſanguine fundavit Chriſtus Dominus, edocere pergas, delibando, ac ſummatim attingendo omnia, quæ a jactis Eccleſiæ fundamentis ad hanc uſque ætate ſcitu digna contigerunt, quæque a Scriptoribus probatiſſimæ fidei memoriæ prodita ſunt, ac litteris conſignata.

M. Rem ſane arduam, aleæque plenam poſtulas, dum univerſam, quam late patet, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, me ductore, perluſtrare deſideras. Non poſſum tamen quin laudabile iſtud, quod te Hiſtoriam Eccleſiaſticam addiſcendi inceſſit ſtudium, vehementer meo calculo approbem. Quæ enim, amabo, doctrina homini Theologo cordi magis, ac curæ eſſe debet, quam Religionis antiquitatem inde uſque a Chriſto profectam callere, quam veterum Sacrorum Monumentorum replicare memoriam, Eccleſiæque faſtos ſæpius lectitare, ut ex his fontibus haurias conſulta Patrum, Conciliorum Decreta, Edicta Pontificum, Martyrum Acta, illuſtria veteris Sanctitatis exempla, Eccleſiæ Doctorum immortalia facta, Majorum inſtituta, leges, Cæremonias, Sacrorumque Religiones, aliaque id genus bene multa, quæ ſacræ doctrinæ ſtudioſis pietatem, & eruditionem inſtillare poſſunt? Tuæ igitur utilitati conſulturus hanc operoſam licet, meiſque viribus imparem provinciam ſuſcipio, & quia perſpicuitas cum brevitate conjuncta tibi in amore eſt, id pro virili agam, ut breviter juxta ac dilucide diſſerens, viam facilem ſternam, qua totam poſſis inoffenſo pede decurrere Hiſtoriam Eccleſiaſticam.

D. Bene haber. Facis omnino ut decet optimum Magiſtrum. Sed obſecro te, pro ea ſingulari, qua me dignaris, benevolentia, ut mihi in primis exponas, quænam fuerint Eccleſiæ incunabula, primordiaque? qui progreſſus, & incrementa? qui caſus, laboreſque? quibus defuncta periculis fuerit? quibus fundata legibus, quibus ſanctionibus firmata? quot emerſerint Hæreſes? quot ad illas profligandas celebrata Concilia? quibus gradibus fluxa illa, ſolutiorque, quæ poſtea increbuit Diſciplina, a primitiva deſciverit. De his omnibus in quibus, ut candide fatear, peregrinus plane, & hoſpes ſum, a te eruditi percupio: nam nudius tertius in celebri virorum doctorum corona de his interrogatus hæſi ad aquas, ac ne verbum quidem ullum ignorantiæ meæ probe conſcius hiſcere, aut muſſitare potui.

M. Ut pedetentim progrediamur, operæ pretium eſt, ut in anteceſſum ſcias, quod Eccleſia, cujus fundamenta jecit Chriſtus Dominus, & quam Apoſtoli per totum pene Imperium Romanum propagarunt, doctrinam fidei, & morum, quam ab ipſomet Chriſto omnium Gentium Doctore accepit, ad nos uſque ſartam tectam jugiter conſervavit. Tentarunt quidem, immo omnem moverunt lapidem, Ethnici Imperatores, ut naſcentem Eccleſiam quaſi in cunis præfocarent, ferro, flammaque ſæviendo in Chriſtianos. Quin, & ipſamet Eccleſia perduelles interdum peperit Filios, qui virulentas doctrinas, ſeu Hæreſes, diraque Schiſmata invehentes, viperino dente ejus ſi-

num proſciderunt, ejuſque inconſutilem tunicam varias in partes diſtraxerunt. Infernus denique quoſdam male feriatos evomuit homines, qui typho ſuperbiæ tumidi, philoſophia armati, inſtructi eloquentia, favore Principum formidabiles contra Eccleſiam aperto marte vexillum erexerunt, illiuſque ſacroſanctam authoritatem facta manu, atque conglomerato agmine oppugnarunt. Aſt tamen, juxta Chriſti Domini Oraculum, Portæ Inferi adverſus Eccleſiam conjuratæ prævalere haud potuerunt. Stetit ſemper invicta Sponſa Chriſti tutiſſimo ſanæ doctrinæ munita præſidio, avita ipſius fides ſacris Conciliorum definitionibus, quibus furentium Hæreticorum repreſſa eſt audacia, permanſit illibata, ac perdoctis Sanctorum Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum illuſtrata operibus, glorioſum de his omnibus, qui in ejus perniciem certatim conſpirabant, triumphum reportavit.

D. Craſſiori, ſi placet, Minerva exponas mihi velim, quid ſit Eccleſia? quarumve rerum notitiam præcipue complectatur Hiſtoria Eccleſiaſtica?

M. Eccleſia, ſicut in confeſſo eſt apud omnes Catholicos, eſt Cœtus Fidelium baptizatorum, qui ſub legitimis Paſtoribus uni Supremo viſibili Capiti in terris, ſeu Pontifici Romano, ſubordinatis congregantur, quique ſpe æternæ beatitudinis conſequendæ, Charitatis vinculo, ejuſdem fidei, & doctrinæ profeſſione, cultus externi, & ſignorum ſenſibilium, ſeu Sacramentorum participatione tanquam ejuſdem Corporis Myſtici membra connectuntur. Hæc Eccleſia eſt una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica, ſub Capite ſuo viſibili Romano Pontifice ſemper indefectibilis, Traditionis Cuſtos, omnium Controverſiarum Judex. Complectitur in ſuo gremio Peccatores ut membra languida, & infirma, arcet a ſua Communione Hæreticos, Schiſmaticos, & Excommunicatos, atque inter cæteros veritatis characteres, quibus ejus doctrina inſignitur, hic unus inſtar omnium eſt, quod non vi armorum inſtituta, conflata, ac propagata fuerit, non fluxis vitæ deliciis, non humanæ eloquentiæ lenociniis in Orbem invecta, ſed ab Apoſtolis, nempe duodecim Piſcatoribus, qui alios fallendi, ac fraudes concinnandi artem penitus ignorabant, ſimplici, rudique ſermone prædicata, ad extremos Mundi fines tam felici exitu brevi tempore diffuſa ſit, ut iidem Piſcatores omnibus exoſi, omnique protſus humano deſtituti præſidio, Philoſophorum ſupercilia, Oratorum eloquentiam, Principum ſceptra ſubjugarint, & pro defenſione doctrinæ, quam prædicabant, atque innumeris miraculis confirmabant, acerbiſſima tormenta, mortemque ipſam conſtanter oppetentes, induxerint mortales vitiis, & Idolorum cultui deditos ad amplectendam Fidem Myſteriorum, quæ rationi impervia ſunt, & perpetuum ſenſibus bellum indicunt. Hic fuit Eccleſiæ triumphus, qui magis ac magis reſplenduit in variis perſecutionibus, quibus Ethnici Imperatores, & nefarii Hæretici eam exagitarunt. Ethnicis ſiquidem Imperatoribus Chriſtianorum ſanguinem ubique effundentibus miram dumtaxat patientiam, ſummamque in adverſis æquanimitatem oppoſuit Eccleſia. Ad compeſcendos vero tumultuantium Hæreticorum impetus non arma ſumpſit, ſed Sanctiones Summorum Pontificum, & Conciliorum adhibuit, quibus antiquæ fidei, morumque doctrinæ optime conſultum eſt, extinctæ Hæreſes, ſancita diſciplina, conditæ Regulæ pro pacifico ipſius Politico, ſeu externo Regimine, cui viri doctrina, & pietate conſpicui maximum ſplendorem omni ævo contulerunt.

Harum rerum notitiam præcipue complectitur Hiſtoria Eccleſiaſtica. Quapropter in hiſce Colloquiis Eccleſiaſticis primum tibi ob oculos ponam ſtatum ſeu conditionem Eccleſiæ in ſingulis ſæculis ſub Imperatoribus, aut Principibus ſive Ethnicis, ſive Chriſtianis. Dein, continuam, & nulla temporum ſerie ab ipſis Apoſtolorum temporibus interruptam exhibebo Epiſcoporum in præcipuis Sedibus ſucceſſionem. Poſtea, omnia diſſidia, quæ circa doctrinam, & diſciplinam exorta ſunt, necnon Concilia, quæ illis enatis litigiis ultimam diem impoſuerunt, referam; omnium Hæreſum initium, progreſſum, caſum, atque interitum compendioſe narrabo; vitam Illuſtrium Virorum, qui doctrina, & vitæ ſanctimonia variis Eccleſiæ temporibus floruerunt, delibabo; doctrinæ, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, juxta ſæculorum ſeriem, Synopſim exhibebo. Horum omnium notitia tibi ad ſtudium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ animum appellenti, multam, ut ſpero, lucem circa præcipua illius capita affundet, & non contemnendam ſuppeditabit eruditionem. Dabo autem operam, ut ea, quæ in medium adducam, facta hiſtorica, ſint extra omnem dubitationis aleam poſita, teſteſque habeant locupletiſſimos, & omni exceptione majores. Si quæ tamen interdum proferam, quorum fides nutare poſſit, ea indicare haud pigebit, ne dubia, & incerta, pro certis & indubitatis obtrudere, & promiſcue in eumdem faſciculum congerere videar: Quæſtiones etiam, quæ ad Critices, & Chronologiæ diſciplinam ſpectant, obiter, & quaſi primoribus labiis, ne tibi faſtidium ingeram, attingam. Tu interim fac, ut arrectas aures, & animum præbeas attentum, totuſque in eam curam incumbas, ut me de ſingulis appoſite interroges, nihilque, quod non fuerit plene, planeque diſcuſſum, prætermittas.

D. Mirum! quantum mihi arrideat tam expedita methodus, tamque accommodata captui Juvenum, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam necdum a limine ſalutarunt. Me plane beaſti, ac nunc geſtit animus te ſecretiora Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pandentem arcana abjecta omni cunctatione auſcultare.

M. Age ergo auſpicemur a tribus prioribus Sæculis, & in iſto colloquio ſermonem inſtituamus de variis perſecutionibus, quibus ab Ethnicis Imperatoribus fuit agitata Eccleſia.

D. Ediſſere, quæſo, quo loco fuerint res Eccleſiæ in tribus primis Eccleſiæ Sæculis.

M. Jam a me audiſti, quo pacto Apoſtoli præcepto Chriſti Domini morem gerentes, per varias Imperii Romani Provincias doctrinam ipſius infracto, alacrique animo promulgarint, Eccleſias ubique conſtituerint, & innumeros pene homines denſiſſimis Idololatriæ tenebris immerſos ad fidem Chriſti adduxerint. Porro, vix credi poteſt, quot,

& quan-

& quantas tragedias ad impediendas doctrinæ Chriſtianæ ab ipſis Apoſtolis, eorumque Diſcipulis diſſeminatæ propagationem excitarint Ethnici, qui a falſa Religione, quam a ſuis Majoribus acceptam cum lacte ſuxerant, nullo pacto abduci poterant. Politicis ſiquidem conſiliis adducti Principes, & Populi vanis, impiiſque ſuperſtitionibus a Diabolo deluſi claſſicum canere cœperunt, & adverſus Sacri Evangelii Satores furiis invecti inſurrexerunt, nihilque intentatum reliquerunt, ut naſcentem Eccleſiam opprimerent, atque exterminarent.

Nero ſceleſtiſſimus poſt hominum memoriam Imperator, omnium Chriſtianæ Eccleſiæ Perſecutorum agmen ducit. Ille quippe ſibi male conſcius Tyrannus, omnibuſque inviſus, quod ardentem Trojam, uti a Poetis depingitur, adſpectare cupiens, Romam incendiſſet, in Chriſtianos culpam derivavit, iis crimen ſuum affinxit, atque crudelem in eos exercuit lanienam. Alios ſiquidem ferarum pellibus tectos a beſtiis membratim diſcerpendos curavit; alios pice, ſebo, & adipe illitos pro facibus ardere juſſit, & feralem nocturnis ſpectaculis exhibere lucem. Hanc a ſæculis inauditam Neronis immanitatem *Cornelius Tacitus* lib. 15. Hiſt. Roman. exprimit his verbis: *Neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo juſſum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Chriſtianos, actæque in innoxios crudeliſſimæ quæſtiones. Quin & novæ mortes excogitatæ, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent. Multi Crucibus affixi, aut flamma uſti. Plerique in id reſervati, ut, cum defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur.* Hæc Neronis perſecutio in Chriſtianos ardere cœpit anno Chriſti ſexageſimo quarto, qui connectitur cum anno undecimo Imperii Neronis, qui eodem anno Imperii ſui Decennalia celebravit, ſicut diſerte oſtendit *Antonius Pagius* in ſua Critica Baronii ad annum Chriſti 64. Imperii vero Neronis undecimum.

D. Quid ſibi volunt illa Decennalia, quæ Nero, ut mox dixiſti, dedit anno undecimo Imperii ſui?

M. Quinquennalia, Decennalia, Quindecennalia, & Vicennalia Imperatorum ſuam habuerunt originem ab Imperatore Auguſto, teſte Dione lib. 53. Auguſtus quippe Imperium ſibi omnium ſuffragiis adjudicatum, non perpetuum eſſe voluit ad magis ſibi conciliandum amorem Populi Romani, ſed illud tantum ad decennium aſſumpſit, quo exacto, accedente denuo Senatus, Populique Romani conſenſu, in quinquennium prorogavit, denique in plura decennia retinuit. Hoc Imperatoris Auguſti exemplum imitati alii Imperatores, Quinquennalia, Decennalia, Quindecennalia, & Vicennalia Imperii ſui ſolemni pompa celebrarunt. At enim in his ſolemniis Imperatores Ethnici novum Conſulatum inibant, nova Templa conſecrabantur, vel dedicabantur, Edicta in favorem Religionis, vel boni publici promulgabantur, perſecutiones in Chriſtianos indicebantur, vel, ſi jam motæ eſſent, ingraveſcebant; tributa tollebantur, aut laxabantur, Donativa Militibus, ac Populis dabantur, rei e carceribus dimittebantur, a præclariſſimis Oratoribus Panegyrici de Imperatoribus publice recitabantur, Convivia, Epulæ, Spectacula celebrabantur cum votis ſolemnibus, ludis, Circenſibus, Gladiatoriis, amphitheatralibus, Scenicis, Thimeliacis, & Sacrificiis, quæ vulgo *Hecatombæ* appellabantur, in quibus centum Hoſtiæ ad Aram mactabantur. Hunc morem etiam celebrandi Quinquennalia, Decennalia, Quindecennalia, & Vicennalia Imperatorum, pace per Conſtantinum Imp. Eccleſiæ reddita, retinuerunt Imperatores Chriſtiani, cum hoc tamen diſcrimine, quod antiquato ſuperſtitioſo Idolorum cultu, ad Aram Dei Opt. Max. pro Decenniis, & Vicenniis ſuis Sacrificia offerebant, vota nuncupabant, Edicta pro Chriſtianæ Religionis propagatione promulgabant, & Gladiatorum ludis omiſſis, vero Deo Templa extrui jubebant, ac Deorum Delubra ſolo æquari. Nero igitur, cum Decennalia Imperii ſui celebrare debuiſſet anno decimo Imperii ſui, ea uno anno dilata dedit anno undecimo Imperii ſui, eaque ut celebriora redderet, immanem in Chriſtianos perſecutionem excitavit.

D. Fuit ne univerſalis hæc Neroniana perſecutio?

M. Hanc Neronianam perſecutionem fuiſſe univerſalem, & non tantum Romæ, ſed in omnibus Imperii Romani Provinciis longe lateque graſſatam fuiſſe, luculenter colligitur ex *Lactantio*, qui lib. de mortibus Perſecutorum cap. 2. hæc habet de Neroniana perſecutione: *cum animadverteret*, (*Nero*) *non modo Romæ, ſed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu Idolorum, & ad Religionem novam, damnata vetuſtate, tranſire, ut erat execrabilis, ac nocens Tyrannus, proſilivit ad excindendum Cæleſte Templum.* Idem teſtatur Paulus Oroſius, qui lib. 7. cap. 5. hæc ſcribit: *Primus* (ſcilicet Nero) *Romæ Chriſtianos ſuppliciis, & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari perſecutione excruciari imperavit: ipſumque nomen extirpare conatus, Beatiſſimos Chriſti Apoſtolos Petrum Cruce, Paulum gladio occidit.* Fuit igitur univerſalis Neroniana Perſecutio.

D. Quo Imperii Neronis anno Petrus, & Paulus morti fuerunt traditi?

M. De anno Imperii Neronis, quo Petrus, & Paulus morti traditi ſunt, non una omnium eſt ſententia. Cenſet in primis *Euſebius*, Petrum, & Paulum martyrio Romæ fuiſſe coronatos anno decimo quarto exeunte Imperii Neronis, ſeu anno Æræ Chriſtianæ ſexageſimo octavo. Sed hæc ſententia omni probabilitate caret, quia annus decimus quartus Imperii Neronis, ſicut omnes ad unum fatentur periti Cronologi, cœpit die 13. Octob. anni ſexageſimi ſeptimi Æræ vulgaris, Conſulibus *L. Fontejo, & Cajo Julio Ruſo*, finemque accepit die 9. menſis Junii, Æræ vulgaris, ſeu Chriſtianæ, ſexageſimi octavi, Conſulibus C. *Silio Italico, & M. Galerio Turpiliano*. Hac ſiquidem die nona Junii ſibi necem conſcivit Nero. Cum igitur ex perpetua Eccleſiæ Romanæ traditione, & ex omnibus Kalendariis cum antiquis, tum recentioribus certiſſime conſtet, Petrum, & Paulum martyrii palmam fuiſſe adeptos ſub Nerone die 29. menſis Junii, manifeſto ſequitur, Petrum & Paulum morti non fuiſſe traditos anno

decimo quarto exeunte Imperii Neronis, ſeu anno Chriſti ſexageſimo octavo. *Baronius* autumat, Petrum & Paulum martyrium Romæ ſubiiſſe anno decimo tertio exeunte Imperatoris Neronis, ſeu anno Æræ Chriſtianæ ſexageſimo ſeptimo. Sed hæc Baronii opinio nihilo præcedenti probabilior eſt, quia Nero toto hoc anno decimo tertio Imperii ſui in Græcia commoratus eſt, Romamque dumtaxat rediit anno Æræ Chriſtianæ 68. Conſulibus C. *Silio Italico*, *&* *Galerio Turpiliano*, quos ipſemet Nero Conſulatu abdicavit, ſeque Conſulem creavit, & omnem Senatum veneno tollere in animum induxit, ſed deſperans de ſucceſſu, & ab omnibus plane deſertum ſe videns fugam arripuit, ſeque proprio mucrone confodit die 9. menſis Junii ejuſdem anni æræ Chriſtianæ 68. ſicut ex Dione, & ex Joanne Xiphilino luculenter probant *Antonius Pagi* ad annum Chriſti 67. & *Bollandus* tom. 1. Aprilis pag. 16. Quapropter ipſe probabilius cenſeo, Petrum, & Paulum martyrio fuiſſe coronatos anno duodecimo exeunte Imperii Neronis, ſeu anno æræ Chriſtianæ 66. Conſulibus C. *Lucio Teleſino*, *&* C. *Svetonio Paulino*. Hoc ſiquidem anno præſens aderat Romæ Nero, quando illius juſſu Petrus, & Paulus die 29. menſis Junii ejuſdem anni occiſi ſunt. Nec neceſſe eſt martyrium Petri, & Pauli retrahere ad annum undecimum Neronis, ſed ad annum Chriſti 65. ſicut viſum eſt *Pagio*, *Bollando*, *&* *Schelſtrato*, nec cum Clariſſimo *du Pinio* Doctore Sorbonico ad annum decimum Neronis, ſeu ad annum Chriſti 64.

D. Fueruntne conſervata nomina Chriſtianorum, qui, Nerone ſæviente, ſanguinem pro Chriſto fuderunt?

M. Baronius ad annum xv. Imperii Domitiani optime obſervat, Acta Martyrum, qui in perſecutione Neroniana, & in aliis perſecutionibus paſſi ſunt, ſollicite quidem, & curioſe ſcripta fuiſſe, quæ tamen in Diocletianea perſecutione combuſta miſerum naufragium fecerunt. Quocirca nemini nunc mirum videri debet, quod in antiquiſſimis Martyrologiis paucorum Martyrum nomina legantur, quamvis certo certius conſtet, ingentem eorum fuiſſe multitudinem.

D. Fueruntne ſub aliis Imperatoribus, qui poſt Neronem Imperii Romani clavum rexerunt, perſecutionibus vexati Chriſtiani?

M. Sub *Galba*, *Othone*, *&* *Vitellio*, qui inteſtinis bellis inter ſeſe pugnantes, diuturnum non geſſerunt Imperium, necnon ſub *Veſpaſiano*, *&* *Tito*, qui optimos inter Imperatores jure cenſentur, pace potita eſt Eccleſia. At Domitianus anno æræ Chriſtianæ 81. ſalutatus Imperator, quem Tertullianus in Apologetico cap. 5. ob immanem, qua in omnes ſæviebat, crudelitatem, *Portionem Neronis* appellat, poſtquam primores e Senatu viros exilio, bonorum proſcriptione, & morte mulctaſſet, furorem tandem ſuum admotis perſecutionis facibus in Chriſtianos exacuit, multaque circa decimum quartum, vel decimum quintum Imperii ſui annum feralia emiſit edicta, quibus plurimi Chriſtiani aut morte affecti, aut variis ſuppliciorum generibus excarnificati, aut in exilium fuerunt amandati. Imperator *Nerva* hæc Domitiani Deceſſoris ſui lata in Chriſtianos Edicta ex Senatus Conſulto reſcidit, eoſque ab exilio revocavit. In hac Domitianea perſecutione S. Joannes Evangeliſta, teſte Tertulliano lib. de præſcript. cap. 36. poſtquam in Oleum ignitum fuiſſet conjectus, indeque ſalvus & incolumis ſtupendo miraculo evaſiſſet, fuit deinde in Inſulam Pathmos relegatus, ubi ſuam Apocalypſim multis gravidam Myſteriis ſcripſit, a quo exilio ſub Imperatore *Nerva* ſolutus, rediit Epheſum ut ſuæ provideret Eccleſiæ, quam *Apollonius Thyanæus* inſignis id temporis Magus infeſtabat. In eadem perſecutione *Flavius Clemens* Imperatoris Domitiani Patruelis, Conſul, ob fidem Chriſti cæſus eſt. *Flavia* quoque *Domitilla* ejus uxor, & Imperatoris itidem conſanguinea, eamdem ob cauſam militans, in Pandatariam inſulam relegata eſt. Flavia etiam Domitilla Virgo, Flavii Clementis Conſulis ex Sorore Neptis ab Aurelio Sponſo accuſata quod Chriſtiana eſſet, in Pontiam Inſulam deportata eſt, atque in carcerem detruſa lentum Martyrium, quod diu conſtanti animo ſuſtinuit, Terracinæ tandem fuſo ſanguine complevit. Cruentam fuiſſe hanc Domitianeam perſecutionem teſtantur *Lactantius*, *&* *Euſebius*. In lib. de mortib. perſecutorum cap. 3. Sic de Domitiano effatur Lactantius: *Cum exerceret inviſam dominationem, ſubjectorum tamen cervicibus incubavit, quam diutiſſime tutuſque regnavit, donec impias manus adverſus Dominum tenderet; poſtquam vero ad perſequendum juſtum Populum inſtinctu Dæmonum incitatus eſt, tunc traditus in manus inimicorum pœnas luit.* Euſebius vero lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 17. hæc habet: *Domitianus cum jam multa in multos crudelitatis ſuæ ſpecimina edidiſſet, nec paucos nobilium, & illuſtrium virorum Urbis Romæ injuſte interemiſſet, alios præterea innumerabiles ſummæ dignitatis viros, licet inſontes, exilio, & bonorum proſcriptione mulctaſſet, ad extremum Neronianæ impietatis, bellique, & odii adverſus Deum, Succeſſorem ſe ipſum profeſſus eſt.*

Hegeſippus, apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 20. refert, quod *Domitianus* Imperator, cum audiſſet jus Sceptri Judææ poſteris Davidis Regis aſſertum eſſe, vano terrore, inſtar Herodis, perculſus, omnes Chriſti Domini agnatos ex proſapia Davidis oriundos ſumma cum ſollicitudine conquiri juſſit, quorum aliqui Romam adducti, & ab ipſo interrogati, quale eſſet Regnum Chriſti? Ingenue reſponderunt, Regnum Chriſti non eſſe hujus Mundi, ſed Cæleſte plane, & Angelicum. Quo reſponſo placarum eſſe Imperatoris furorem ſcribit idem laudatus Auctor. Sed quia hujus facti Hiſtorici ab Hegeſippo relati fidem in dubium vocant periti hujus ætatis Critici, nolim ipſe pro illius tuenda veritate me vadem, ac Sponſorem exhibere. Præſtat igitur ut illud in medio relinquamus.

D. Fuitne diuturna hæc Imperatoris Domitiani perſecutio?

M. Non fuit diuturna, quia, ut mox inſinuavi, Imperator Domitianus huic perſecutioni circa decimum quartum, vel decimum quintum Imperii ſui annum dedit initium, & ipſe e vivis ſublatus eſt an-

Digitized by Google

eſt anno Imperii ſui decimo ſexto. *Nerva* ejus in Imperio ſucceſſor nihil contra Chriſtianos molitus eſt. *Trajanus*, qui poſt *Nervam* Imperium tenuit, nullis nefaſtis Edictis pacem Eccleſiæ turbavit, & tamen quæ a Nerone, & Domitiano in Chriſtianos lata erant Edicta, vim obtinere voluit. Quin, & popularibus perſecutionibus hinc inde in Chriſtianos excitatis occaſionem dedit *Trajanus* eo reſcripto, quo Provinciarum Præfectis præcepit, ut omni adhibita ſedulitate, & Imperiali interpoſita authoritate impedirent, ne Chriſtiani privatos, & clandeſtinos conventus agerent. C. *Plinius* Bithyniæ Proconſul ſcripſit ad Trajanum Epiſtolam (quæ eſt 97. lib. x.) in qua appellat Chriſtianos viros bonos, & ad ſubeundam pro Religione mortem paratiſſimos. Cui Epiſtolæ ſic reſpondit Trajanus: *Conquirendi non ſunt*, ſeu Chriſtani, *ſi deferantur, & arguantur, puniendi ſunt, ita tamen ut qui negaverit ſe Chriſtianum eſſe, idque reipſa manifeſtum fecerit, ideſt, ſupplicando Diis, veniam ex pœnitentia impetret, ſine authore vero propoſiti libelli nullo crimine locum habere debent*. In hoc Trajani reſcriptum, ceu a recta ratione, & æquitate prorſus alienum, jure optimo invehitur Tertullianus cap. 20. lib. Apologetici his verbis: *O ſententiam neceſſitate confuſam! negat inquirendos ut innocentes, & mandat puniendos ut nocentes. Parcit, & ſævit, diſſimulat, & animadvertit. Quid teipſum cenſura circumvenis? Si damnas; cur non inquiris? Si non inquiris, cur non & abſolvis?* Sub Imperio Trajani S. Ignatius Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus damnatus ad beſtias Romam miſſus eſt anno Chriſti 107. & in Amphiteatro publico Leonibus expoſitus, ita ab illis voratus eſt, ut nihil, præter firmiora oſſa ſupereſſet, ſicut videre eſt apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 36. Simeon etiam Hieroſolymorum Epiſcopus annos natus 120. juſſu Attici Conſularis poſt atrociſſima verbera in Crucem actus eſt, & glorioſa morte diuturnæ vitæ finem impoſuit, cujus Martyrium Euſebius ex Hegeſippo deſcribit lib. mox laudati cap. 32. Hic autem prætermittere haud poſſum rem certe ſingularem, & obſervatione dignam, quæ furentibus illis popularibus perſecutionibus contigit. Cum enim *Arrius Antoninus* Aſiæ Proconſul Chriſtianos pluſquam Scythica crudelitate perſequeretur, mortique traderet; turmatim omnes Chriſtiani illius Civitatis, in qua degebat hic Proconſul, ad ipſius Tribunal convolarunt, ut pro Chriſto, cujus fidem palam profitebantur, ſanguinem profunderent. Quo ſpectaculo adeo territus eſt hic Proconſul, ut, poſtquam aliquot ex his Chriſtianis variis ſuppliciis excruciari juſſiſſet, alios remiſerit dicens: Si vos tam ardens mortem oppetendi inceſſit deſiderium, funes & parata habetis præcipitia. Ita ergo, veſtra complete vota, ac, ſi vultis, optatam vobis conſciſcite necem.

Hæ populares in Chriſtianos motæ perſecutiones ſub *Hadriano*, qui Trajano ſucceſſit, ſuum curſum retinebant. Aſt Imperator Hadrianus, poſtquam perlegiſſet Quadrati Athenienſis Epiſcopi, & Ariſtidis Philoſophi libros pro Chriſtianæ Religione Apologeticos, propenſiorem in Chriſtianos ſeſe exhibuit, inflexus non ſolum eorum rationibus, ſed potiſſimum permotus litteris *Sereni Granii*, vel *Graniani* Aſiæ Proconſulis, qui antequam ſua Provincia diſcederet, eum admonuerat, indignum prorſus eſſe, quod Criſtiani non ex Judiciis, ut fieri ſolemne eſt, ſed ex tumultuantium Populorum clamoribus ad ſupplicia raperentur, atque paſſim per ſummam immanitatem necarentur. *Quadratus*, inquit Euſebius in Chronico, *Diſcipulus Apoſtolorum, & Ariſtides Athenienſis noſter Philoſophus libros pro Chriſtiana Religione Hadriano dedere compoſitos. Et Serenus Grannius legatus, vir apprime nobilis, litteras ad Imperatorem miſit, iniquum eſſe dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum ſanguinem concedi, & ſine ullo crimine, nominis tantum, & Sectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minutio Fundano Proconſuli Aſiæ ſcripſit, non ſine objectu criminum Chriſtianos condemnandos*. Hoc Imperatoris Hadriani Edicto, quod legitur apud Euſebium lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 9. deferveſcere cœperunt motæ variis in locis perſecutiones, quibus demetebantur Chriſtianorum capita, teſtatur quippe S. Hieronym. in Ep. 84. ad *Magnum* Oratorem, complures Chriſtianos, Hadriano imperante, Martyrium paſſos fuiſſe. (a)

(a) „ Ex hoc Adriani de Chriſtianis edicto „ proveniſſe ſuſpicor, ut tam multæ in Chriſtia- „ nos calumniæ impingerentur; quos enim ex „ Chriſtiano tantummodo nomine perimere veta- „ bant edicta, illos reos nefandorum criminum „ poſtulatos ad ſupplicium trahebant. Hinc cœ- „ næ Thieſteæ, hinc fœda commercia, hinc ſce- „ leſtorum, & peſtium humani generis infames „ tituli illis dati & objecti.

Imperator *Antoninus Pius*, qui Hadriano ſucceſſit, nullum in Chriſtianos infauſtum tulit Edictum. Sed ex Apologia, quam *S. Juſtinus* Martyr pro Chriſtianis huicce Imperatori obtulit, facili negotio colligitur, Præfectos, ac Præſides ſub initia Imperii Antonini Pii in Chriſtianos ſæviiſſe, quod ne in poſterum fieret, datis ad Lariſſæos, ad Theſſalonicenſes, & ad omnes Græcos literis, vetuit Imperator. Nihilo ſecius, cum iſtæ locales, ac populares perſecutiones necdum ſub Marco Aurelio Antonini Pii ſucceſſore eſſent ſopitæ, ſed potius in dies recrudeſcere viderentur, ad *Commune* Aſiæ in gratiam Chriſtianorum anno 162. vel, ut alii volunt, 164. ſcripſit Epiſtolam *Marcus Aurelius*, in qua, ut videre eſt apud Euſebium lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 13. hæc habet: *Porro de his hominibus*, ideſt Chriſtianis, *plurimi Provinciarum Rectores Divo Patri noſtro ſcripſerunt, quibus ille reſcripſit, ejuſmodi homines nulla moleſtia afficiendos eſſe, niſi forte contra Statum Imperii Romani aliquid moliri videantur*. Unde in eadem Epiſtola præcipit Imperator, Chriſtianum eo nomine abſolvi, delatorem puniri debere. At proh dolor! hujus Imperatoris Edicto acrius in Chriſtianos motæ perſecutiones excanduerunt, nedum fuerunt repreſſæ. Populi ſiquidem cæco furore abrepti, omnes, quos noverant, Chriſtianos, qua vi, qua clamoribus, qua concitis ubique tumultibus tanquam graviſſimos criminum reos ad necem poſtu-

ſtulabant, eoſque ac *Leonem*, ut teſtatur Tertullianus, acclamabant; quorum inſanis, & tumultuoſis acclamationibus, cum Magiſtratus, Judices, & Provinciarum Præfecti obſiſtere, ſuaque authoritate intercedere debuiſſent, illos potius, quaſi oleum camino addentes, de induſtria fovebant, & Chriſtianos ad ſe delatos, aliis quæſitis non tam cauſis, quam coloribus morti adjudicabant. Quo factum eſt, ut totus Orbis, teſte Euſebio Cæſarienſi in prooemio lib. 5. Hiſt. Eccl. ſparſo Chriſtianorum ſanguine fuerit cruentatus. Acceſſit ad malorum cumulum ejuſdem Imperatoris alterum, ſed præcedenti omnino oppoſitum Edictum, quo Galliarum Præfecto præcipiebat, ut hi, qui a Chriſtiana Religione deſciſcere nollent, gladio cæderentur, aliis vero, qui hanc Religionem ejerabant, ignoſceret, ſicut legitur in Epiſtola Chriſtianorum Lugdunenſium. Quin, & idem Imperator nova in Chriſtianos juſſit in Aſia promulgari Edicta, queis atrociſſimæ perſecutionis face accenſa complures fidei Chriſtianæ ſtrenui Athletæ Martyrii coronam conſecuti ſunt, quos inter eminuit S. Polycarpus, qui Smyrnæ anno Chriſti 166. vel, ut alii volunt 169. & alii bene multi Martyrium paſſi ſunt, de quorum glorioſa paſſione præclara extat Eccleſiæ Smyrnenſis Epiſtola, cujus maximam partem Euſebius lib. 4. Hiſtor. Eccl. cap. 15. inſeruit. Celebris etiam fuit Lugdunenſium Martyrum cædes, qua *Pothinus* Lugdunenſis Epiſcopus, & alii pene innumeri Chriſtiani anno Chriſti 177. ſublati ſunt, Martyreſque effecti in Amphiteatro, cujus etiamnum Lugduni rudera viſuntur in Colle *Forviere*, quorum corpora ludibriis plebis expoſita ſunt per ſex dies, deinde combuſta in *Athanaco*, loco vulgo dicto *Aiſnay*, & eorum cineres dejecti in Rhodanum. Sanctorum illorum Martyrum Lugdunenſium certamina deſcripta leguntur in Epiſtola Eccleſiarum Viennenſis & Lugdunenſis ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ data, quæ extat apud Euſebium libr. 5. Hiſt. Eccl. cap. 1. 2. & 3.

Eccleſia ſub Imperatore *Commodo* Marci Aurelii filio alta pace potita eſt, nec ulla fuit perſecutione agitata. *Apollonius* Romanus Senator, Vir doctiſſimus, & Magnus Philoſophus, coram *Perenni* Prætorii Præfecto accuſatus, quod Chriſtianus eſſet, ad Senatum remiſſus, ut coram eo oblatum ſibi crimen dilueret, nobilem pro ſe, atque pro Chriſtianis coram Patribus Conſcriptis Apologiam a ſe concinnatam recitavit, a quibus tamen damnatus, & ſecuri percuſſus mortem pro Chriſto obiit. Ejus tamen delator, juxta legem ab Imperatore Hadriano editam, mulctatus eſt Crurifragio.

Sub Imperii *Severi* initium adhuc in ſinu pacis quieſcebat Eccleſia, ſed circa decimum Imperii ſui annum *Severus* Edicto ſub acerbiſſimis pœnis vetuit, ne quis ad Judæos, & Chriſtianos tranſiret. Hinc perſecutio in Chriſtianos, quæ jam in Africa præcedenti anno Chriſti 200. ſub *Saturnino*, & ſub *Scapula* Saturnini ſucceſſore anno 201. cœpta fuerat, tanto per omnes Provincias furore exarſit, ac debacchata eſt, ut numerari haud poſſint Chriſtiani, qui ubique pro fide occubuerunt, ſicut ſcribit Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 1. Atrocius tamen hæc perſecutio Alexandriæ viguit, ubi totius Ægypti, & Thebaidis Chriſtiani variis, & crudeliſſimis ſuppliciis, quæ horret calamus ſcribere, trucidati ſunt. Quorum alii crucibus ſuffixi, alii unguibus ferreis dilaniati, alii capite plexi, alii vivi combuſti, alii ad beſtias projecti, alii, quorum mitiſſima cenſebatur pœna, ad metalla damnati, vel ad barbaras Inſulas relegati. Verbo dicam, tam atrox, tamque cruenta incubuit perſecutio, ut Chriſtiani, teſte Euſebio lib. 6. Hiſt. Eccl. c. 7. tum temporis exiſtimarent imminere adventum Chriſti Domini ultimum, & Antichriſtum non procul abeſſe. Inter præcipuos, qui in hac perſecutione ſanguinem pro Chriſto fuderunt, cenſentur *S. Perpetua*, & *S. Felicitas*, quæ heroicæ fortitudinis in fragili ſexu ſpecimen dederunt, *Leonides* Pater Origenis, quem cum captum videret Filius anno tum natus 17. ſicut afferit Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 1. tanto martyrii ardore flagravit, ut non niſi ægre, variiſque artibus a matre impeditus ſit, quominus clam ſe domo ſubduceret, & patris ſequeretur exemplum. In Galliis S. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, ſuis ſtipatus Lugdunenſibus Chriſtianis, fidem, quam per doctis ſuis lucubrationibus defendit, ſanguine firmavit, & una cum illis martyrii gloria donatus eſt. Hac Severiana flagrante perſecntione *tanta*, inquit Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſt. cap. 39. *multitudo Chriſtianorum ob Confeſſionem Dominici nominis eſt jugulata, ut per plateas flumina currerent de ſanguine Chriſtiano, quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus. Dominus enim eos in libro vitæ conſcripſit*.

Sub Imperio *Antonini Caracallæ* reſpicere cœpit Eccleſia, nec ullas ſub Imperatoribus, *Macrino*, *Elagabalo*, ſeu *Heliogabalo*, & *Alexandro Severo* perſecutiones paſſa eſt. Scribit *Lampridius*, Alexandrum Severum Imperatorem coluiſſe Chriſtum in larario ſuo, eique Templum, & Apotheoſim parare voluiſſe. Sic enim ſcribit c. 43. in vita Alexandri Severi: *Alexander Severus Chriſto Templum facere voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui Templa in omnibus Civitatibus ſine ſimulacris juſſerat fieri, quæ idcirco, quia non habent Numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicitur, ſed probibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſacra, reppererunt omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eveniſſet, & Templa deſerenda*. Verum Lampridii fides hac in re non eſt indubitata apud omnes; nam eum allucinatum fuiſſe, dum ſcribit Hadrianum Imperatorem Chriſto Templa extruere voluiſſe, *Caſaubonus* in notis ad hunc Lampridii locum, & *Cl. Pagius* in Critica Baronii ad annum Chriſti 134. evincunt ex ſilentio Juſtini Martyris, Athenagoræ, Tertulliani, Cypriani, aliorumque veterum Patrum cum Græcorum, tum Latinorum, qui ne ullum quidem verbum de tam nobili hiſtoria Chriſtianæ Religioni perhonorifica fecerunt. Juſſit quidem Hadrianus Templa fieri in omnibus Civitatibus ſuo Numini ſine dubio conſecranda, quod & Spartianus in illius vita teſtatur, ſed mortuo Hadriano priuſquam hæc Templa abſolverentur, manſere pleraque ipſorum imperfecta, neque unquam dedicata ſunt.

Digitized by Google

ſunt. Quo factum eſt, ut id ætatis multi in animum inducerent, quibus aſſentitur Lampridius, non ſibi Hadrianum Templa illa extruxiſſe, ſed Chriſto. Ut ut ſit de veritate illius facti hiſtorici, quod narrat Lampridius, certiſſime conſtat, Alexandrum Severum Imperatorem a Mammæa matre, quam nonnulli Chriſtianam fuiſſe affirmant, ſanctiſſime inſtitutum, Chriſtianis impenſe faviſſe. At, occiſo Alexandro Optimo Principe, *Julius Maximinus* Imperium invaſit, qui non Imperatorem, ſed Tyrannum agere cœpit. Epiſcopos ſiquidem, & Sacerdotes dato Edicto morti crudeliter addixit, quod multis in locis ſumma cum ſævitia executioni mandatum eſt, ejuſque occaſione paſſim edita Epiſcoporum, Sacerdotum, & Clericorum funeſta ſtrages. Hæc perſecutio toto Imperii Maximini tempore, hoc eſt, per tres annos integros a menſe Martio anni 235. uſque ad eundem menſem anni 238. ſæviit, tuncque ſolo æquata ſunt Chriſtianorum Templa, quæ, Imperante Alexandro Severo, in honorem Supremi Numinis fuerant extructa, atque conſacrata.

Interempto Maximino Imperatore, reſtituta fuit Eccleſiæ pax, & tranquillitas, quæ nulla deinceps uſque ad Imperium Decii perſecutione fuit perturbata. At enim *Philippus*, qui poſt Gordianos a Senatu renunciatus eſt Imperator, in Chriſtianos fuit propenſiſſimus, & de illis optime meritus. Quin, & Baronius Annalium Eccleſiaſticorum Parens ad annum Chriſti 245. ſecutus Euſebium l. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 34. putat *Philippum* Imperatorem Chriſto nomen dediſſe, eumque ſacris aquis immerſum, & publica Exomologeſi coram *Fabiano* Pontifice, Romanoque Clero eluiſſe, ac deterſiſſe quidquid peccaverat contra Gordianum Prædeceſſorem ſuum, quem ſpoliatum Imperii ſui ornamentis cædendum juſſerat. Sed, ut ut ſit de hoc facto hiſtorico, quod multi Critici in dubium revocant, & præſertim *Antonius Pagius* in Critica Baronii ad annum Chriſti 244. certum eſt, *Philippum* Imperatorem benevolentia ſua Chriſtianos dignatum fuiſſe. Sub finem tamen ipſius Imperii neſcio quis Pſeudo-Vates, ſeu Magus, ſic Populum Alexandrinum in Chriſtianos accendit & inſtigavit, ut multi ex illis capti, fuerint e vivis ſublati. Tum temporis *Apollonia* Virgo, poſtquam ipſi contuſi, ac evulſi fuere dentes, extra Civitatem adducta ut combureretur, ſua ſponte in rogum accenſum intrepida proſiliit. *Serapio* e feneſtris præcipitatus, & colliſus ad ſolum extinctus eſt. Ædes Chriſtianorum a furente Populo paſſim diripiebantur, omnes ad mortem quærebantur, nec ullus Chriſtianorum palam prodire audebat. Capti vero, & Chriſtianum nomen abjicere nolentes per vicos trahebantur, vivique urebantur. Huic tandem Populari perſecutioni finem dederunt enata diſſidia inter illos ſceleſtos & furibundos homines, qui ſeſe, ita permittente Deo, civili bello, mutuiſque cladibus attriverunt. Legi poteſt Epiſtola Paſchalis S. Dionyſii apud Euſebium l. 7. Hiſt. Eccl. c. 22.

Hæc localis in Chriſtianos perſecutio præceſſit anno integro perſecutionem illam, quæ ſub *Decio* Imperatore debacchari cœpit exeunte anno Chriſti 249. *Decius* quippe cognomento *Trajanus*, in odium Chriſtianorum, qui pleriſque in locis Idola, & Fana diruerant, atrociſſimum Edictum ſub initium Imperii ſui promulgavit, minas intentans in Præſides, qui in Chriſtianos omnia ſupplicia non congererent. Tam ſevero, & iniquo Edicto obtemperarunt Præſides, dataque ſibi ab Imperatore ſæviendi poteſtate, adeo crudeliter uſi ſunt, ut quamplurimis Chriſtianis, qui tempore pacis maximum in numerum execraverant, ſuppliciis, carceribus, ſummaque rerum omnium egeſtate diram necem intulerint, eoſque per glorioſum martyrium Cœlo inſeruerint.

At, quod certe dolendum eſt, complures id ætatis reperti ſunt Chriſtiani, qui in ſinu diuturnæ pacis molles, & languidi effecti, avitam fidem deſeruerunt, thuſque Idolis adoleverunt, de quibus conqueritur Cyprianus in libello de *lapſis*. Sub initium iſtius perſecutionis *Moyſes*, *Maximus*, *Celerinus* ob conſtantem fidei confeſſionem a Decio Imperatore vinculis conſtricti in anguſtiſſimos carceres conjecti ſunt anno Chriſti 249. *Fabianus* itidem Pontifex Romanus ineunte anno 250. Sedem Petri ſuo ſanguine illuſtravit. Nec Romæ ſolum, ſed in omnibus Romani Imperii Provinciis ſævitum eſt in Chriſtianos, nec Chriſtianis, qui in Gallia Celtica, & in Hiſpania degebant, parcitum. Crudelior tamen fuit perſecutio in Aſia, in Oriente & in Ægypto, quæ tamen ſub finem anni Chriſti 250. deſerbuit, & ante obitum Decii Imperatoris ſedata eſt, ſed poſtea inſtaurata fuit ab Imperatoribus Gallo, & Voluſiano; qui menſe Junii dederunt Edictum, quo omnes Chriſtiani ad ſacrificandum Idolis obſtringebantur. *Cornelius* Pontifex Romanus, & *Lucius* ejus ſucceſſor cum multis e Clero Romano ad Centum Cellas relegati fuerunt, ac martyrio coronati, ut liquet ex Chronico Damaſi.

Valerianus principio Imperii ſui Chriſtianis favere viſus eſt, teſte Euſebio lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 10. ſed conſiliis, maliſque artibus cujuſdam Macriani Ægyptii Magi dementatus Imperator, eorum crudeliſſimus perſecutor evaſit anno Chriſti 257. In primis diſtricte inhibuit, ne Chriſtiani conventus agerent: dein, edixit ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi morti addicerentur. Senatores, Equites, & Magiſtratus Chriſtianæ Religionis cultores officiis, dignitatibus, ac bonis omnibus privavit, eoſque pœnam capitis ſubire voluit, ſi Chriſtianum nomen abjicere nollent. Mulieres autem nobiles Chriſtianæ bonis expoliatæ ut in exilium mitterentur, juſſit. Quæ omnia impii voluntatis Imperatoris Miniſtri executi ſunt, & ubique crudelem Chriſtianorum carnificinam profuſo eorum ſanguine ediderunt. Sanctus Cyprianus in hac perſecutione Valeriani martyrium paſſus eſt anno Chriſti 258. Sed a *Sapore* Perſarum Rege capto Valeriano, ac vivo excoriato, refloruit pax Eccleſiæ ſub *Gallieno* ejus filio, qui excitatam in Chriſtianos perſecutionem omnino compeſcuit, ipſiſque ablata Templa, & Cœmeteria reſtitui juſſit. Euſebius libro ſeptimo Hiſt. Eccleſ. cap. 13. recitat reſcriptum, quod Gallienus Imperator ad Dionyſium Alexandrinum, alioſque Ægypti Epiſcopos dedit, quo

motam

Digitized by Google

motam perſecutionem ſedavit, & pacem Eccleſiis per Ægyptum conſtitutis reddidit. His autem verbis conceptum erat Gallieni reſcriptum: *Imperator Cæſar P. Licinius Gallienus Pius Fœlix Auguſtus Dionyſio, Pinnæ, Demetrio, & reliquis Epiſcopis. Indulgentiam beneficii noſtri, per univerſum Orbem diffundi præcepimus, ut cuncti a religioſis locis abſcedant. Quocirca & vos reſcripti noſtri forma uti poteſtis, ut nullus vobis deinceps moleſtiam faceſſat, atque id quod vobis exequi licet jamdudum a me conceſſum eſt.* Ex quo Imperatoris reſcripto ad Epiſcopos Ægypti miſſo, & ab Euſebio relato facile dignoſcitur, jam aliud reſcriptum ab eodem Galliena per univerſum Imperium fuiſſe publicatum, quo in Chriſtianos vetita fuit perſecutio. Viguit hæc pax Eccleſiæ ab Imperatore Gallieno conceſſa uſque ad perſecutionem Diocletiani, quæ anno 303. initium habuit, adeoque crudeliter ſæviit, ut omnes ferme Imperii Romani Provinciæ Chriſtianorum ſanguine maduerint, Eccleſiæ dirutæ, & Scripturæ Sacræ igne conſumptæ fuerint. Hinc *Lactantius* cap. 15. lib. de mortibus Perſecutorum Sermonem habens de hac Diocletianea perſecutione, ait, *Non mihi ſi linguæ centum, oraque centum, ferrea vox, omnes ſcelerum comprehendere formas, omnia pœnarum percurrere nomina poſſem, quæ Judices per Provincias juſtis, atque innocentibus detulerunt.*

D. Tot inter graviſſimas perſecutiones quo in ſtatu erant res Eccleſiæ?

M. Tantum abeſt, ut iſtæ perſecutiones ultimum exitium attulerint Eccleſiæ, ut potius ſplendorem, majuſque ei contulerint incrementum, quia ſicut apposite ait Tertullianus in Apolog. *Plures efficimur, quoties a vobis metimur, ſanguis Martyrum eſt ſemen Chriſtianorum*, qui eo latius propagabantur, quo magis ab Ethnicis opprimebantur. At enim jam in primo Sæculo ſuas Aſia, & Gallia habuere Eccleſias, ſicque in immenſum crevit Chriſtianorum numerus, ut in tertio Sæculo mediam Imperii Romani partem impleverint, atque numeroſæ in ſingulis Civitatibus exiſterent Eccleſiæ, quæ ab Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis regebantur, inter quas nonnullæ cæteris dignitate eminebant, & Epiſcopi qui illis præerant, majori pollebant authoritate. Eccleſia Romana a S. Petro Chriſti in Terris Vicario fundata Principem locum obtinebat, Alexandrina ſecundum. Antiochena tertium. Hieroſolymitana vero Eccleſia, quæ naſcenti Chriſtianæ Religioni obſtetricis, & creſcenti nutricis præſtitit officium, in ſingulari veneratione erat apud Fideles. Arctiſſimo tamen ejuſdem communionis vinculo, paciſque fœdere junctæ omnes illæ Eccleſiæ unum & idem corpus conflabant.

D. Nunc memoria teneo omnes perſecutiones, quibus Eccleſia in tribus prioribus Sæculis fuit ab Ethnicis Imperatoribus exagitata. Velim modo mihi exhibeas continuam ſeriem Epiſcoporum, qui in celebrioribus Eccleſiis, quas mox laudaſti, videlicet Romana, Alexandrina, Antiochena, & Hieroſolymitana ſuas Sedes a temporibus Apoſtolorum fixerunt, eaſque cura paſtorali adminiſtrarunt, rexerunt, ac gubernarunt.

M. Cum hæc de ſerie Epiſcoporum, qui præcipuas Eccleſias rexerunt, accurata diſcuſſio longius nos abduceret, conſultius eſt, ut ejus examen remittamus ad alterum colloquium, quod craſtina die poſt prandium eadem hora in Muſæo inſtituemus.

D. Adeo me oblectat Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notitia, ut noctu diuque ejus ſtudio totus incumbere vellem, teque audiendo libenter pernoctarem. Quapropter antequam Colloquio noſtro finem imponamus, pergratum mihi faceres, ſi vitam, & ſeriem Imperatorum, qui tribus primis Eccleſiæ Sæculis ſumma rerum potiti ſunt, velles compendioſe deſcribere.

M. Romanum Imperium ſumpſit exordium a *Cajo Julio Cæſare*, e Nobili gente Julia Romana, Lucii Julii Cæſaris, & Aureliæ filio, qui victo Pompejo, & actis quinque triumphis, accepta inter alios honores Dictatura perpetua, atque Imperatoris nomine aſſumpto, Romani Imperii fundamenta jecit, anno ante natum Chriſtum 46. Princeps in rebus bellicis clarus, nec pacis artibus minor, facundia inſignis, facta in eum Romæ conſpiratione confoſſus eſt in Senatu tribus & viginti vulneribus, M. Bruto, & C. Caſſio Conjuratorum principibus anno ætatis ſuæ 56. Imperii 4.

Julio Cæſari ſucceſſit *Octavianus* Octavii ex Equeſtri, ac Senatoria Familia, & Acciæ filius, a C. J. Cæſare adoptatus, & Cæſar nominatus. Imperii ſui decimo ſexto Auguſtus eſt appellatus. Urbem mirum in modum reſtauravit, & magnificis auxit ædificiis, inter quæ celebriora *Pantheon*, & *Templum Quirini*. Denique, poſtquam res domi, foriſque optime geſſiſſet, & ſapientiſſimas leges condidiſſet, obiit Nolæ ex profluvio ventris; dubium an ex ficubus veneno illitis, anno ætatis ſuæ 77. Præfuit annis quinquaginta ſeptem, ſex menſibus. Anno ejus Imperii 40. natus eſt Chriſtus Dominus, ut oſtendimus Diſſertatione quinta Tractatus de Myſteriis, & annis Chriſti.

Tiberius e gente Claudia Romæ Nobili Tiberii Neronis, & Liviæ Druſillæ filius, ab Auguſto Vitrico adoptatus Imperium poſt eumdem conſecutus eſt anno Chriſti 14. virtutum, & vitiorum omnium exercitia miſcuit, & profeſſus eſt. Deceſſit *Miſeni*, crediturque a Cajo nepote ſuo ſuffocatus, anno ætatis ſuæ 78. Imperii a morte Auguſti 23. Vide quæ in Diſſertatione decima Tractatus *de Myſteriis, & annis Chriſti* diximus de exordio Imperii Proconſularis, & Auguſtæi Imperii Tiberii, ubi etiam commonſtravimus, Chriſtum baptizatum fuiſſe anno decimo ſexto Imperii Proconſularis Tiberii, & in Crucem actum fuiſſe anno decimo nono ejuſdem Imperii Proconſularis Tiberii.

Cajus cognomento *Caligula* quod in Exercitu Caligis militaribus uteretur, Germanici, & Agrippinæ filius, adoptatus fuit a Tiberio, & imperare cœpit anno Chriſti 37. Optimi Patris peſſimus filius fuit, omnibuſque vitiis contaminatus, propter quæ omnibus exoſus, trucidatus eſt Romæ a Caſſio Cherea, aliiſque conjuratis, anno ætatis ſuæ 28. Imperii 4.

Tiberius Claudius Druſi Majoris, & Antoniæ Minoris filius, Germanici frater, in Palatii angulo a Prætorianis inventus poſt Caligulæ mortem,

Digitized by Google

tem, raptus eſt, & Imperator acclamatus anno Chriſti 41. Principio Imperii optimas ſanctiones tulit, multaque opera publica extruxit. Sed multis poſtea vitiis deditus, periit ſumpto in boletis veneno, conſcia uxore Agrippina, anno ætatis ſuæ 64. Imperii 14.

Claudius Domitius Nero Cnei Domitii Ænobarbi, & Agrippinæ filius a Militibus ad Imperium evectus eſt anno Chriſti 54. Initio Imperii egregia dedit virtutis ſpecimina. Sed deinde peſſimus evaſit, nullumque fuit vitium, quo ſe non fœdaverit. Bellum Britannicum infeliciter geſſit, feliciter vero Parthicum per Domitium Corbulonem, & Judaicum per Veſpaſianum. Propter ſcelerum multitudinem a Senatu hoſtis judicatus eſt, & contra ipſum acclamatus Imperator in Hiſpania *Sergius Galba*. Quo accepto nuncio, ſibi mortem pugione conſcivit, anno ætatis ſuæ 32. Imperii 14.

Sergius Sulpicius Galba Romanus e Nobiliſſima Sulpiciorum familia, patre Servio Sulpicio, matre Mummia Achaja genitus, a Militibus acclamatus eſt Imperator contra Neronem anno Chriſti 68. a Prætorianis Ottoni faventibus trucidatus eſt Romæ in Foro, caputque ipſius ad eumdem Ottonem in Caſtra miſſum. Obiit anno ætatis ſuæ 73. Imperii menſe ſeptimo.

Marcus Salvius Otto Lucii Ottonis, & Albiæ Terentiæ filius, Familia Nobili ex Etruriæ Oppido Ferentino, ægre ferens prælatum ſibi adoptione Piſonem a Galba, militum ſibi conciliavit animos, & ab iis deductus in Caſtra Imperator eſt ſalutatus. Sed victus ab Exercitu Vitellii, qui fuerat Imperator acclamatus, ne ſibi tanto Civium ſanguine, ac periculo Imperium tueretur, pugione ſe transfixit, anno ætatis ſuæ 38. Imperii die nonageſimo quinto.

Aulus Vitellius Lucii Vitellii, & Sextiliæ filius, Romano genere nobiliſſimus a Germanico Exercitu prope Coloniam ſalutatus eſt Imperator, vivente adhuc Galba. Sed deficientibus ad Veſpaſianum Legionibus Mœſiarum & Paononiæ, item Judææ, ac Syriæ, tractus eſt in forum religatis poſt terga manibus, & injecto cervicibus laqueo minutiſſimis ictibus excarnificatus eſt, & unco poſtea raptus eſt, & projectus in Tyberim anno ætatis ſuæ 57. Imperii menſe decimo.

Flavius Veſpaſianus, Titi Flavii Sabini, & Veſpaſiæ Polæ filius, ab Exercitu Syriaco, cujus erat Rector, dictus eſt Imperator, dum Otto, & Vitellius de Imperio contenderent, anno Chriſti 69. fuit optimus Imperator. Judæam omnem, præter Hieroſolymam, & unum, aut alterum Oppidum ſubegit, obiitque in Campania anno ætatis ſuæ 69. Imperii 10.

Titus Veſpaſianus Patri ſucceſſit in Imperio anno Chriſti 79. illudque præclaris virtutibus exornatus ita ſapienter, & feliciter adminiſtravit, ut vulgo *humani generis deliciæ* nuncuparetur. Bellum Judaicum jam a Patre ſuſceptum, capta Urbe Hieroſolyma, penitus abſolvit. Obiit ſeu ex febri, ſeu veneno non ſine ſuſpicione a fratre Domitiano propinato, anno ætatis ſuæ 42. Imperii ſecundo.

Flavius Domitianus fratri ſuo Tito Veſpaſiano ſucceſſit anno Chriſti 81. fuit peſſimus Imperator, & in expeditionibus, quas non ſemel adverſus Dalmatas, Cattos, & Dacos ſuſcepit, adverſa uſus fortuna, trucidatus eſt in cubiculo ſuo, facta libertorum & amicorum conſpiratione, Principe Stephano, & conſcia ipſius uxore Domitia, anno ætatis ſuæ 45. Imperii decimo ſexto ineunte.

Nerva Coccejus illuſtri genere ex Oppido Narnienſi natus, ab interfectoribus Domitiani Imperator ſalutatus eſt anno Chriſti 96. Princeps fuit multis virtutibus commendabilis, & pacis artibus inſignis. Sed cum propter ſenium ferme deſpiceretur, Trajanum adoptavit. Obiit ſtomachi dolore correptus anno ætatis ſuæ 66. Imperii primo cum dimidio circiter.

Nerva Trajanus Ulpius poſt Nervam, a quo fuerat adoptatus, Imperium obtinuit anno Chriſti 98. & ob egregias, quibus præditus fuit, virtutes, Optimus dictus eſt. Germanos, Dacos, Armenios, Parthos, & Judæos non ſemel repreſſit, vicit, ac profligavit. In Italiam dum reverti parat, obiit apud Selinuntem Ciliciæ anno ætatis ſuæ 64. Imperii 19. cum dimidio.

Ælius Hadrianus Ælii Hadriani, & Domitiæ Paulinæ filius, gente Hiſpanus, Romæ tamen natus, Plotinæ opera Trajani adoptionem mentitus Imperii habenas moderari cœpit anno Chriſti 117. Judæos tumultuantes repreſſit, Urbemque Jeroſolymam Æliam Capitolinam nominavit. Obiit ex hydrope apud Bajas anno ætatis ſuæ 62. Imperii 21.

Antoninus Pius Imperatori Hadriano, a quo fuerat adoptatus, ſucceſſit anno Chriſti 138. Princeps fuit tum moribus, tum optimis artibus clariſſimus. Bella in Britannos, Mauros, Germanos, Dacos, Judæos, Græcos feliciter geſſit, obiitque anno ætatis 72. Imperii 23. cum dimidio.

Marcus Aurelius Antoninus Annii Veri, & Domitiæ Calvillæ filius, ab Antonino juſſu Hadriani adoptatus eidem ſuffectus eſt anno Chriſti 161. Collegam ſibi ſtatim ex ejuſdem juſſu adſcivit *Lucium Verum*. Studiis ſupra modum, & inter cætera Philoſophiæ addictus fuit. Parthos, Britannos, Cattos, Marcomanos vicit, obiitque apud Vindobonam, quæ nunc Vienna dicitur, anno ætatis ſuæ 59. Imperii 19.

Lucius Verus Ælii Cæſaris filius a M. Aurelio, ut mox dixi, adoptatus, eſt, & cum eodem imperavit. Princeps fuit luxuriæ deditus, & obiit apoplexia correptus in expeditione contra Germanos anno ætatis ſuæ 42. Imperii nono, teſte Cl. P. Pagio in Critica Baronii ad annum Chriſti 169. quare errarunt *Capitolinus* in vita Marci, *Victor* in Epitome, *Caſſiodorus*, & *Eutropius*, qui annos Imperii undecim Lucio Vero aſſignant.

Lucius Aurelius Commodus M. Aurelii, & Fauſtinæ filius patri ſucceſſit anno Chriſti 180. Princeps fuit multis vitiis inquinatiſſimus, & nihilo Nerone inferior. Quapropter, cum venenum ſibi propinatum magna ex parte per vomitum rejeciſſet, ſuffocatus eſt a Narciſſo validiſſimo Palæſtrita, anno ætatis ſuæ 32. Imperii 13.

Pu-

Digitized by Google

Publius Helvius, Pertinax cognominatus ab ingenii pertinacia in omnibus propoſitis, ab interfectoribus Commodi Imperator eſt renunciatus, quamvis invitus anno Chriſti 193. Princeps fuit vere antiquis moribus, & ſumma gravitate præditus, qui Aulicorum licentiam ſevere cohibens, ipſorum in ſe concitavit odia, & ab iiſdem trucidatus eſt maximo cum Populi, Senatuſque dolore, anno ætatis ſuæ 61. Imperii menſe tertio.

Marcus Didius Severus Julianus natione Mediolanenſis Imperium a Prætorianis magna vi pecuniæ pollicita obtinuit. Sed acclamato interim *Peſcennio Nigro* primum, poſtea Septimo Severo, a Senatu capitis damnatus eſt, Princeps crapulæ, deliciiſque deditus anno ætatis ſuæ 57. Imperii menſe ſecundo.

Septimius Severus, cum Didius Julianus male probaretur in Imperio, acclamatus eſt a Germanicis Legionibus Imperator prope Carnutum anno Chriſti 193. Vicit Peſcennium, & Albinum, qui Imperium affectabant, domuit etiam Parthos, Adiabenos, & Britannos, obiitque Eboraci in Anglia anno ætatis ſuæ 66. Imperii 18.

Antoninus Caracalla, & Geta, duo Severi, & Juliæ filii pari jure poſt mortem patris imperarunt anno Chriſti 211. Sed Caracalla, ita dictus a quodam veſtis genere ad talos uſque demiſſæ, quam Militibus dedit & populo; conſortis impatiens, fratrem ſuum Getam in gremio matris interfecit. Suſcepta autem expeditione adverſus Parthos occiſus eſt a Centurione Martiali prope Carras, dum levando ventri operam daret, anno ætatis ſuæ 29. Imperii 6.

Marcus Severus Opelius Macrinus, ſublato Caracalla, Imperator factus eſt a Militibus in Aſia anno Chriſti 217. Cum Parthis ancipiti eventu pugnavit, ab eorumque Rege Artabano pacem tandem emit. Quam ob rem deſpectus a Militibus, quos etiam Eliogabali Avia Julia Mæſa corruperat, e vivis ſublatus eſt in Bithynia anno ætatis ſuæ 54. Imperii ſecundo inchoato.

Heliogabalus, vel, ut legitur apud alios, *Elagabalus*, Imperator acclamatus eſt in in Aſia anno Chriſti 218. Imperium peſſime adminiſtravit, & occiſus eſt in latrina a Prætorianis Alexandro faventibus, ipſiuſque corpus in Tyberim projectum anno ætatis ſuæ 18. Imperii 4.

Aurelius Severus Alexander, obtruncato Heliogabalo, ad Imperium evectus eſt anno Chriſti 222. Rempublicam ſumma ſapientia rexit, obiitque anno ætatis ſuę 26. Imperii 13.

Julius Maximinus e Thracia, Paſtor olim, & Opilio, ſublato Alexandro, a Militibus prope Moguntiam acclamatus eſt Imperator anno Chriſti 235. Sed audita Gordiani in Imperatorem electione, crudeliter in ſuos ſævire cœpit. Quocirca commoto exercitu trucidatus eſt, dum quieſceret in tentorio anno ætatis ſuæ 60. Imperii tertio.

Marcus Antonius Gordianus a Militibus Imperator acclamatus eſt anno Chriſti 237. Sed cum ipſi bellum illatum fuiſſet, rebus deſperatis necem ſibi in cubiculo conſcivit anno ætatis ſuæ 80. Imperii I.

Marcus Antonius Gordianus junior ſenioris filius, qui non multo poſt electum patrem, Imperator dictus erat, cæſus pariter eſt. In eorum locum ſubrogati ſunt *Pupienus*, & *Balbinus*, ſed cum duo iſti Imperatores inter ſe concordes non eſſent, a Militibus contrucidati ſunt anno Chriſti 238. Imperii I.

Marcus Antonius Gordianus III. Gordiani ſenioris ex filia, vel, ſecundum alios, ex filio nepos, Cæſar jam declaratus ex Militum voluntate, quando Pupienus, & Balbinus Imperatores facti ſunt, occiſis iiſdem, Militum, Senatuſque conſenſu Imperator inauguratus eſt anno Chriſti 238. & poſtquam Reipublicæ præclaris ornatus virtutibus optime præfuiſſet, occiſus eſt prope Cteſiphontem artibus Philippi anno ætatis ſuæ 22. Imperii 6.

Marcus Julius Philippus, occiſo Gordiano, Imperium obtinuit anno Chriſti 244. ludos Sæculares celebravit, & movens contra Decium Imperatorem a Militibus ſalutatum, occiſus eſt a ſuis Veronæ anno Imperii 5.

Marcus Quintus Trajanus Decius, cum a Philippo contra Marinum miſſus eſſet, Imperator ab Exercitu in Illyrico dictus eſt anno Chriſti 249. Scythas multis præliis vicit, ab ipſis vero tandem in inſidias tractus obiit, crediturque in Palude demerſus anno ætatis ſuæ 50. Imperii 2. necdum expleto.

Cajus Valens Hoſtilianus, occiſo Decio, a Senatu Imperator eſt ſalutatus, ſed non multo poſt electionem ſuam obiit ex peſtilentia anno 251.

Cajus Vibius Trebonianus Gallus acclamatus eſt poſt Decium a Militibus Imperator, ſed a Militibus ejus ignaviam deſpicientibus occiſus eſt anno ætatis ſuæ 47. Imperii 3. *Voluſianus* ejus filius factus conſors Imperii una cum patre a Militaribus trucidatus eſt.

Cajus Julius Æmilianus, natione Maurus, Imperator a Militibus factus eſt anno Chriſti 254. At, *Valeriano* ad Imperium acclamato, a propriis Militibus metu civilis belli occiſus eſt prope Spoletium anno ætatis ſuæ 40. Imperii menſe tertio.

Publius Licinius Valerianus ab Exercitu Rhætico ſalutatus eſt Imperator anno Chriſti 254. Contra Saporem Perſarum Regem pugnaturus ab eodem captus eſt anno Imperii ſexto. Obiit tandem poſt miſerandam ſervitutem, a qua nullis precibus, nulloque pretio potuit exolvi, excoriatus a Perſis, & ſale conſperſus anno ætatis ſuæ 76.

Publius Licinius Gallienus Valeriani filius a patre Cæſar jam factus, rerum ſumma ſolus potitus eſt eodem capto, Imperatorque dictus eſt anno Chriſti 266. occiſus eſt prope Mediolanum anno ætatis ſuæ 50. Imperii poſt patrem 8.

Marcus Aurelius Claudius Gallieno mortuo votis omnium dictus eſt Imperator anno Chriſti 268. Obiit Sirmii anno ætatis ſuæ 32. Imperii ſecundo.

Marcus Aurelius Quintillus Claudii frater, vir optimis moribus conſpicuus, fratre mortuo, a Senatu Imperator factus eſt anno Chriſti 270. Verum ipſe huic tanto ſuſtinendo oneri ſe imparem cernens, venas ſibi ſolvit die decimo ſeptimo Imperii ſui.

Va-

Digitized by Google

Valerius Aurelianus a Militibus evectus eſt ad Imperium anno Chriſti 270. dum contra Perſas revertitur, interfectus eſt a Militibus anno Imperii ſui quinto cum dimidio.

Marcus Claudius Tacitus, poſt ſex menſium Interregnum, Imperator electus eſt a Senatu invitus, ac reluctans anno Chriſti 275. Princeps optimus dum ex Aſia in Europam pergeret, obiit Tarſi aut ex febri, aut ex Militum inſidiis, Imperii menſe ſexto.

Marcus Annius Florianus, Taciti frater, mortuo fratre, arripuit Imperium anno Chriſti 276. interfectus eſt a Militibus Tarſi, acclamato Probo. Alii autem ſcribunt, ipſum ſibimet necem ſolvendo venas intuliſſe.

Marcus Aurelius Probus a Militibus Imperator electus eſt in Oriente anno Chriſti 276. cum eſſet diſciplinæ Militaris ſeveriſſimus cuſtos, a Militibus prope Sirmium interemptus eſt anno ætatis ſuæ 50. Imperii ineunte ſeptimo.

Marcus Aurelius Carus, occiſo Probo, Imperator a Militibus acclamatus eſt anno Chriſti 282. Obiit ictu fulminis prope Cteſiphontem ad Tigrim Fluvium anno Imperii ſui ſecundo.

Marcus Aurelianus Carinus Cari filius natu major, a patre cum Numetiano fratre ad Imperii conſortium adſcitus, Imperii habenas moderari cœpit anno Chriſti 283. Contra Diocletianum Imperatorem factum ſæpius conflixit, tandem a ſuis deſertus, interfectus eſt a Tribuno ſuo prope Murſiam in Mæſia anno Imperii ſecundo inchoato.

Valerius Diocletianus Imperator factus eſt a Militibus in Oriente anno Chriſti 285. Chriſtianos ſæviſſime perſecutus eſt, depoſuitque Imperium poſtquam illud per annos 21. tenuiſſet.

Marcus Aurelius Valerius Maximianus, cognomento *Herculius*, quod ſe de genere Herculis jactitaret, a Diocletiano Imperator ſibique collega factus eſt anno Chriſti 286. Fuit Princeps ſæviſſimus, & Reipublicæ peſtis. Quo die Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani depoſuit Purpuram, & in Lucaniam ſeceſſit anno Imperii ſui 19. ſeu anno Chriſti 305. ut videre eſt apud clariſſimum Pagium in Critica Baronii, ubi ex antiquis Hiſtoriæ Romanæ Scriptoribus, & ex optimorum Numiſmatum fide ſeriem Imperatorum, eorumque geſta juxta accuratiſſimam Chronologiam late proſequitur. Sed hæc ſummatim attigiſſe ſufficiat, ne longius, quam par ſit, noſtrum protrahatur colloquium (*a*).

(*a*) „ Opportunum mihi judico, ut conſulem „ tyronibus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſis, pla„ nius diſtinguere Imperatores, qui non ſoli, „ ſed aſcitis imperii ſociis regnarunt; cum ea „ res permulti interſit ad diſtinguendum tem„ pus, quo opera nonnulla veterum Patrum ſcri„ pta ſunt; ſæpe enim in illis ſubobſcure fit „ mentio de uno vel duplici Imperatore ſum„ mam poteſtatem tunc dum ſcriberent geren„ tibus.

„ Quamquam vero Auguſtus omnium pri„ mus cenſeri poſſit, qui Imperialem poteſta„ tem cum Tiberio communicavit, poteſtate „ proconſulari eidem collata, ex qua poteſtate „ Imperii a Tiberio geſti, anni ſupputati ſunt „ in Evangelio; adhuc tamen M. Aurelius co„ gnominato Philoſophus, & L. Ælius Aurelius „ Commodus primi omnium habiti ſunt, qui „ juncta poteſtate ſimul regnarunt an. Chriſti „ 161. Verum Lucio obeunte an. 169. M. Au„ relio totum Imperium ceſſit, retinuitque, do„ nec an. Chriſti 175. novum ſocium ſibi aſci„ vit Lucium Aurelium Commodum, regnarunt„ que ſimul uſque ad an. 180. quo M. Aurelius „ defunctus eſt. Severus an. 193. Imperator re„ nunciatus, anno demum 198. Caracallam ſo„ cium Imperii aſſumpſit.

„ Caracallas Getam an 208. adſcivit ad Im„ perium, qui an. 212. a fratre Caracalla inter„ fectus eſt, perſeverante adhuc in Imperio eo„ dem Caracalla.

„ Maximinus aſſumptus ad Imperium an. 235. „ regnavit cum Opilione. Eo adhuc ſuperſtite „ electus eſt M. Antonius Gordianus an. 237. „ ſed breve illi fuit Imperium; nam anno non„ dum exacto ac defuncto antea Maximino ne„ cem ſibi conſcivit; electo tamen Imperatore „ filio ſuo M. Antonio Gordiano, cui breve re„ liquit Imperium.

„ His ergo ſublatis Pupienus, & Balbinus ſi„ mul regnarunt, ſublato a militibus utroque „ Gordiano & aſſumpto jam ab illis Gordiano „ III. Senioris illius ex Filio ſive ex Filia Ne„ pote.

„ Philippus Imperator dictus an. 244. renun„ ciavit Philippum juniorem filium ſuum una „ ſecum Imperatorem an. 247.

„ Anno 252. Gallus Voluſianus & Hoſtilia„ nus Imperium una ſimul aſſumpſerunt, ſed „ Gallus anno præcedente jam cœperat. Hoſti„ lianus vero eodem anno 252. obiit. Gallus, & „ Voluſianus ſequenti 253. necati ſunt.

„ Suffecti hiſce anno eodem Valerianus & Gal„ lienus; quorum alter Valerianus in captivita„ tem adductus eſt a Gothis an. 259. tunc ſolus „ imperavit Gallienus, ſed anno demum 266. fra„ trem ſuum Valerianum ſocium adſcivit, anno „ tamen 268. interfecti ſunt.

„ Caro imperante ab an. 281. dicti ſunt Im„ peratores ejus filii Carinus & Numerianus an. „ 283. Numerianus anno 284. Carinus autem „ 285. interfecti ſunt.

„ Diocletianus qui imperium accepit an. 284. „ anno demum 286. Maximianum Herculeum „ Auguſtum dixit.

„ Anno 305. Diocletiano & Maximiano Im„ perium abdicantibus locus factus eſt Conſtan„ tio, & Valerio Maximiano. Hic calamum „ ſiſto; neque enim ulterius Graveſonius ex„ currit.

COLLO-

Digitized by Google

COLLOQUIUM II.

De continua ſerie Epiſcoporum, qui præcipuas Eccleſiæ Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, & Hieroſolymitanam in tribus primis ſæculis rexerunt.

M. Chronologia Pontificia, cum ſit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pars maxime neceſſaria, accurate, quantum fieri poteſt, præfigi debet. Alioquin, quid, amabo, certi in Hiſtoria Eccleſiaſtica eſſe poterit, ſi tenebrarum, & confuſionis plena ſint tempora, nec quot quiſque Pontifex Romanus annis ſederit, ac quando Pontificatum inierit & Eccleſiam regendam ſuo Succeſſori reliquerit, compertum ſit, atque exploratum? Idem eſto judicium de ſerie Epiſcoporum, qui præcipuas Eccleſiæ Sedes, Alexandrinam, Antiochenam, & Hieroſolymitanam tenuerunt. Niſi enim hæc Epiſcoporum ſeries accurate, uti par eſt, texatur, incerta, & tenebris obſita remanebunt tempora, nec ullus plane invenietur, qui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſo in tanta rerum caligine oberranti facem præferre valeat. Quocirca, ut major lux affundatur Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, debemus ſedulo inveſtigare, præfigere, & in optimo lumine collocare ſeriem Epiſcoporum, qui præcipuas Eccleſiæ Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, & Hieroſolymitanam tribus primis ſæculis occuparunt. Ordiemur autem ab Eccleſia Romana, quæ Caput eſt, & Mater omnium Eccleſiarum.

D. Primum Eccleſiæ Romanæ Summum Pontificem fuiſſe S. Petrum Apoſtolorum Principem, & Chriſti in Terris Vicarium, lippis ac tonſoribus notiſſimum eſſe certiſſime ſcio; Aſt non ita certa eſt, atque perſpicua ſeries Pontificum, qui, poſt Sanctum Petrum, Eccleſiæ Romanæ Clavum gubernarunt. Vellem igitur, ut me impræſentiarum edoceres ſeriem, & nomina Summorum Pontificum, qui in tribus primis Eccleſiæ ſæculis Sancto Petro ſucceſſerunt, nec non annos, per quos quiſque Pontifex Sedem Romanam tenuit.

M. In hac deſcribenda ſerie Summorum Pontificum, qui in tribus primis Eccleſiæ Sæculis Sedem Romanam tenuerunt, Ducem ſequar Clariſſimum, & de Hiſtoria Eccleſiaſtica optime meritum Patrem *Antonium Pagium*, qui in ſua Critica Baronii, Eminentiſſimi Annalium Parentis, librum Pontificalem, qui *Anaſtaſio* Bibliothecario, Noni Sæculi Scriptori, vulgo tribuitur, & in quo veterum Pontificum Romanorum texitur Catalogus, a multis mendis, quibus ante hac ſcatebat, repurgavit ad normam decem veterum Pontificum Catalogorum, qui needum fuerant editi, quique in Bibliothecis Regis Chriſtianiſſimi, Colbertina, & Thuanea aſſervantur. Porro annum, quo vel Summi Pontifices inierunt Pontificatum, vel e vivis exceſſerunt, nota Conſulum indicabo, quia ut optime ait doctiſſimus Annalium Eccleſiaſt. Scriptor *Baronius* ad annum Chriſti 69. num. 36. *Tempora adnumerata per Conſules libentioribus ſunt accipienda auribus, cum cæteris illa frequentior, liberalior, & noſcatur Chronographia, atque in uſum frequentiorem accepta, quæ a faſtis deducta eſt Conſularibus. Certe quidem cum vetera monumenta in antiquis Scriptoribus interdum invenimus eſſe Conſulibus conſignata, magna afficimur gaudio, proinde ac ſi fax aliqua in tenebris oberranti ex optato præfulgeat.* Hoc pacto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ veritati conſulemus, cujus fides periclitatur, quando non ſibi conſtat ratio temporum. *Ubi temporum ratio non cohæret, ibi ne Hiſtoria quidem vera eſſe poteſt*, ait *Turrianus* Oratione adverſus Græcos tom. 1. Bibliothecæ Patrum Græco-latinæ. Rem igitur aggrediamur.

(*a*) „ Pontificum Romanorum primi ſæculi
„ chronologia ita eſt implexa, ut nemo ſit, qui
„ ſe illam feliciter extricaſſe jure meritoque glo-
„ rietur. Fateor equidem vetuſtiſſimum Roma-
„ norum Pontificum catalogum e Vindobonenſi
„ Bibliotheca erutum a P. Bucherio editum, lu-
„ cis aliquid afferre inter has tenebras poſſe,
„ ac reipſa eo uſos recentiores Chronologos,
„ Pagiumque demum ſat conſtat; verum cum hu-
„ jus catalogi duæ ſint partes, altera, quæ uſ-
„ que ad Pontianum decurrit; altera quæ inde
„ uſque ab Liberium pertingit, prioris partis
„ tanta ſunt menda, adeo omnia turbata, ut
„ nihil illi fidei quoad Pontifices priorum ſæcu-
„ lorum præſtari poſſit. Inferre hinc licet multo
„ conducibilius eſſe nihil ea in re tentare, at-
„ que omnia in medium relinquere. Vide Til-
„ lemon. nota 11. ad S. Clementem.

„ Neque eſt cur multum deferatur aliis re-
„ centioribus catalogis a Pagio editis, quorum
„ ope emendaturum ſe menda catalogi Buche-
„ riani Pagius ipſe ſperavit, cum illa omnia
„ multo inferioris ſint antiquitatis & meriti,
„ quam ſit Bucherianus, nec ulla ratione de-
„ monſtrari poſſit melius ab illis veritatem attingi.
„ Inſuper Conſulum nota, quæ in Bucheriani
„ priori parte legitur, ab authore catalogi illius
„ per conjecturam potius, quam ab hiſtorico,
„ comperta narrante poſita ab eruditis creditur.
„ Vid. Tillemont. ibid.

„ Demum Cleti ab Anacleto diſcrimen teſti-
„ monio vetuſtiſſimorum omnium Scriptorum Ire-
„ næi, Euſebii &c. nullum eſt.

Sanctus *Petrus*, qui primus in Eccleſia Romana Pontificatum geſſit, ſedit, juxta Authorem Chronici Damaſi, annis viginti quinque menſe uno, & ſub Nerone martyrium fecit die XXIX. menſis Junii anni Chriſti, ut cenſet Cl. Pagius ſexageſimi quinti, vel ut ipſe probabilius autumo, ſexageſimi ſexti, Conſulibus C. Lucio Teleſino, & C. Suetonio Paulino. S. Petro ſucceſſit *Linus*, qui ad Cæleſtem Patriam migravit, non quidem anno Chriſti 77. ut Baronius exiſtimavit, ſed anno Chriſti 67. ut liquido colligitur ex Chronico Damaſi, in quo ſic legitur: *Linus ſedit annis duodecim, menſi-*

Digitized by Google

menſibus quatuor, diebus decem. Fuit temporibus Neronis a Conſulatu Saturnini, & Scipionis, uſque Capitone, & Ruſo. Ex quo liquet, Linum obiiſſe anno Chriſti LXVII. qui notatur Conſulatu *Fonteji Capitonis, & C. Julii Ruſi*. Obſervat tamen Doctiſſimus *Pagius* in Chronicon Damaſi, circa annos Pontificatus Lini irrepſiſſe mendum: nec enim legendum eſt: *Linus ſedit annis duodecim &c.* ſed melius cum auctiori Chronico veterum Pontificum ſic legendum eſt: *Linus ſedit annis XI.* nam ab anno Chriſti LVI. quo Conſules fuerunt *Saturninus*, & *Scipio*, uſque ad annum Chriſti LXVII. quo Conſules fuerunt *Fontejus Capito, & C. Julius Rufus*, non anni duodecim, & quatuor menſes fluxerunt. Quapropter, ut Chronico Damaſi ſua conſtet veritas, dicendum eſt, Linum per decem annos, hoc eſt ab anno Chriſti 56. uſque ad annum Chriſti 66. quo ſub Nerone cæſus eſt S. Petrus, fuiſſe S. Petri in Sede Romana Vicarium, ſicut tradiderunt bene multi Sancti Patres, eumque, mortuo S. Petro, ab anno Chriſti LXVI. uſque ad annum LXVII. Pontificatum tenuiſſe.

Lino ſucceſſit *Clemens*, ut teſtatur Tertullianus lib. de Præſcript. Hæret. cap. 32. & vetuſtus Author Conſtitutionum Apoſtolicarum. Sedit autem Clemens, Eccleſiamque Romanam rexit uſque ad finem anni Chriſti LXXVI. ſic enim legitur in Chronico Damaſi: *Clemens annis novem, menſibus undecim. Fuit temporibus Galbæ Veſpaſiani, a Conſulatu Trachali, & Italici, uſque Veſpaſiano VII. & Tito Cæſare V.* Clemens itaque anno Chriſti LXVII. Lino ſucceſſit, & Eccleſiam rexit ad finem anni Chriſti LXXVI. quo Conſules fuerunt Veſpaſianus Auguſtus VII. & Titus Cæſar V.

Clementi ſucceſſit *Cletus* juxta Chronicon Damaſi anno Chriſti LXXVII. Conſulibus *Veſpaſiano Aug. VIII. & Tito Cæſare VI.* Sedit annis ſex, menſibus duobus, diebus ſeptem, & migravit ad Dominum anno Chriſti octogeſimo tertio, qui Conſulatu *Domitiani Auguſti IX. & Petilii Ruſi II. inſignitur*.

Cleto ſubſtitutus eſt *Anacletus*, qui, ut legitur in Chronico Damaſi, ſedit annis XII. menſibus decem, diebus tribus. Fuit temporibus Domitiani, a Conſulibus *Domitiano X. & Sabino, uſque Domitiano XVII. & Clemente*. Anacletus igitur in locum Cleti ſuffectus eſt anno Chriſti octogeſimo tertio, quo *Domitianus IX. & Rufus II.* Conſules deſignantur. Nam, ut optime obſervat Pagius ad annum Chriſti 101. in Chronico Damaſi Pontificatus Succeſſoris inchoatur a Conſulibus, qui poſt mortem Deceſſoris annum aperuere, unde in eo dicitur, Anacletum iniiſſe Pontificatum *Domitiano X. & Sabino* Conſulibus, qui annum Chriſti octogeſimum quartum aperuere, quamvis revera Anacletus ſucceſſerit Cleto anno præcedenti Conſulibus Domitiano IX. & Ruſo II. obitus Anacleti incidit in annum Chriſti nonageſimum quintum, quo Conſules fuerunt *Domitianus XVII. & T. Flavius Clemens*.

Anacleto ſucceſſit *Evariſtus*, qui Pontificatum iniit anno Chriſti nonageſimo quinto, & martyrio fuit coronatus anno Chriſti CVIII. Conſulibus *Ap. Annio Treboniano Gallo, & M. Attilio Metilio Bradua*. Sic enim legitur in Chronico Damaſi. *Evariſtus annis tredecim, menſibus ſeptem, diebus duobus. Fuit temporibus noviſſimis Domitiani, & Nervæ a Conſulatu Valentis, & Veri.* (legendum *Veteri*) *uſque Gallo, & Bradua*. Irrepſit tamen in Chronicon Damaſi error circa annos Pontificatus Evariſti. Loco ſiquidem *tredecim annis*, legendum eſt, *annis duodecim*, ut Conſulatus, ſub quo Evariſtus Pontificatum iniit, & Conſulatus, ſub quo vivere deſiit, aperte evincunt. Evariſtus quippe Pontificatum iniit anno Chriſti nonageſimo quinto, *Domitiani XVII. & Flavii Clementis* Conſulatu notato, obiitque anno Chriſti CVIII. menſibus, & diebus incertis, Conſulibus *Gallo, & Bradua*.

Mortuo Evariſto, *Alexander* anno Chriſti CVIII. ad Eccleſiæ Romanæ gubernacula admotus eſt, qui juxta Chronicon Damaſi *ſedit annis octo, menſibus duobus, die uno. Fuit temporibus Trajani, a Conſulatu Palmæ, & Tulli, uſque Æliano, & Vetere.* Ex quo apparet, Alexandrum, qui Pontificatum obtinuit anno Chriſti CVIII. *Coſs. Gallo, & Bradua*, Martyrium ſubiiſſe anni Chriſti CXVI. *Coſs. Ælio Lamia, & Æliano Vetere*.

Alexandrum *Sixtus Primus* excepit, qui anno CXXVI. vita functus eſt. Sic enim legitur in Chronico Damaſi: *Sixtus annis decem, menſibus tribus, diebus vigintiuno. Fuit temporibus Hadriani a Conſulatu Nigri, & Aproniani, uſque Vero III. & Ambibulo, qui Conſules fuerunt anno Chriſti* CXXVI. Sixtus itaque Primus eodem anno, quo Alexander e vivis exceſſit, ſeu anno CXVI. Pontificatum iniit, & ad Deum migravit anno Chriſti CXXVI.

Sixto ſucceſſit *Teleſphorus*, qui ſedit annos undecim, menſibus tribus, diebus tribus, & martyrium paſſus eſt anno Chriſti CXXXVII. ut videre eſt in Chronico Damaſi; in quo ſic legitur: *Teleſphorus annis undecim, menſibus tribus, diebus tribus. Fuit temporibus Macrini* (legendum *Hadriani*) *a Conſulatu Titiani, & Gallicani, uſque Cæſare, & Balbino*, qui Conſules fuerunt anno Chriſti CXXXVII. Quapropter Teleſphorus Pontificatum ſuſcepit anno Chriſti CXXVI. & obiit anno CXXXVII. qui *Lucii Cæſaris II. & P. Cœlii Balbini Vibulii* Conſulatu notatur.

Eodem anno Chriſti CXXXVII. Romanus Pontifex inauguratus eſt *Hyginus*, qui annos dumtaxat quatuor ſedit, ſicut legitur in auctiori Chronico veterum Pontificum, in Codice Palatino-Vaticano, in Chronico, & in Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii. Cum igitur Hyginus fuerit Pontifex ordinatus anno Chriſti CXXXVII. obiit anno CXLI. quo Conſules fuerunt *Peducæus Syloga Priſcinus, & T. Hœnius Severus*. Manifeſtus igitur error irrepſit in Chronicon Damaſi, in quo ſic legitur: *Hyginus annis duodecim, menſibus tribus, diebus ſex. Fuit temporibus Veri, a Conſulatu Gallicani, & Veteris, uſque Præſente, & Rufino.* Hic, inquam, manifeſtus occurrit error. Nam, ut mox obſervavi, Teleſphorus Deceſſor Hygini obiit anno Chriſti CXXXVII. at Conſulatus *Gallicani, & Veteris* incidit dumtaxat in annum CL.

Con-

Digitized by Google

Conſulatus vero *Præſentis*, *&* *Rufini* connectitur cum anno Chriſti CLIII. ex quo plane ſequitur, Chronicon Damaſi hac in parte mendoſum eſſe, ac interpolatum.

Anno CXLI. *Pius* in Pontificatu ſucceſſit Hygino, & ſedit per decem annos, menſes quatuor, dies tres, ac ſubinde mortuus eſt anno Chriſti CLI. *Quintilii Condiani*, & *Quintilii Maximi* Conſulatu inſignito. Unde corruptum eſt per hæc tempora Chronicon Damaſi. In eo quippe deeſt Anicetus, & de Pio Pontifice hæc leguntur: *Pius annis viginti, menſibus quatuor, diebus viginti uno. Fuit temporibus Antonini Pii, a Conſulatu Clari, & Severi uſque diebus Auguſtis*. At Pium non annis viginti, ſed tantum decem, & aliquot menſibus ſedere potuiſſe, ex eo maxime liquet, quod anno IV. Antonini Pii Imperatoris fuit electus Pontifex. Anicetus vero Pii Succeſſor eodem imperante Antonino, Pontificatum geſſit. Si autem Pius ſediſſet annos viginti, non potuiſſet Anicetus, imperante Antonino, Pontificatum gerere, qui Antoninus Pius poſt Hadriani mortem imperavit dumtaxat annos XXII. menſes VII. dies XXVI.

Mortuo Pio Papa, in ejus locum aſſumptus eſt *Anicetus* anno Chriſti CLI. qui per decem annos Pontificatum tenuit, & obiit anno Chriſti CLXI. quo Conſules fuerunt *M. Ælius Aurelius Verus Cæſar*, *& L. Ælius Commodus II.*

Eodem anno CLXI. Aniceto Papæ demortuo ſucceſſit *Soter*, qui ſedit annos novem, & aliquot menſes, ac dies, & obiit anno Chriſti CLXX. *Cornelii Cethegi*, *& C. Erucii Clari* Conſulatu inſignito, ut legitur in auctiori Chronico Veterum Romanorum Pontificum. Chronicon ſiquidem Damaſi depravatum eſſe obſervat Cl. Pagius ad annum Chriſti LXXVII.

Mortuo Aniceto anno Chriſti CLXX. ſucceſſit *Eleutherus*, qui ſecunda die menſis Maji ejuſdem anni fuit inauguratus Pontifex, & ad Deum migravit die XXV. menſis Maji anni CLXXXV. *Materni*, *& Braduæ* Conſulatu notato, poſtquam ſediſſet annos quindecim, dies viginti quatuor.

Eodem anno Chriſti CLXXXV. in locum Eleutheri ſubrogatus eſt *Victor*, qui ſedit annos duodecim, menſem unum, dies ſedecim, & e vivis obiit anno Chriſti centeſimo nonageſimo ſeptimo, quo Conſules fuerunt *Claudius Lateranus*, *& Titius Rufinus*.

Zephirinus eodem Chriſti anno CXCVII. ſucceſſit Victori Papæ, & mortuus eſt die decima Julii anni Chriſti CCXVII. quo Conſules fuerunt *C. Brutius Præſens*, *& T. Meſſius Extricatus II.* poſtquam ſedit annos novemdecim, menſes undecim, dies quinque.

Zephirino ſucceſſit *Callixtus*, qui Pontificatum iniit die 18. menſis Julii anni Chriſti CCXVII. ſedit annos quinque, menſes duos, dies decem, & in vivis eſſe deſiit anno Chriſti CCXXII. qui in Faſtis notatur Conſulatu *M. Aurelii Antonini Elagabali Aug. IV. & M. Aurelii Severi Alexandri Cæſaris*.

Urbanus ſucceſſor Callixti menſe Octobri anni Chriſti CCXXII. Pontificatum iniit. Sedit annos ſeptem, & aliquot menſes, ac dies, & tandem anno Chriſti CCXXX. *L. Virii Agricolæ*, *& Sex. Catii Clementini* Conſulatu notato, mortalitatem explevit.

Pontianus ſucceſſor Urbani die vigeſima ſecunda menſis Junii anni Chriſti CCXXX. ordinatus fuit Pontifex, & die XXVIII. menſis Septembris anni CCXXXV. Coſſ. *Severo*, *& Quinctiano* obiit. Sedit igitur Pontianus annos quinque, menſes tres, & dies ſeptem, a die nempe XXII. menſis Junii anni CCXXX. uſque ad diem viceſimam octavam menſis Septembris anni CCXXXV.

Anterus ſucceſſit Pontiano die vigeſima prima menſis Novembris anni Chriſti CCXXXV. & exceſſit e vivis die tertia menſis Januarii anni CCXXXVI. Coſſ. *Julio Vero Maximino Aug. & Julio Africano*. Sedit Anterus menſem unum, & dies tredecim, die emortuali excluſo.

Fabianus poſt mortem Anteri fuit ordinatus Romanus Pontifex die XI. menſis Januarii anni Chriſti CCXXXVI. & mortem pro Chriſto oppetiit die XX. menſis Januarii anni CCL. *ſub Conſulatu Decii II. & Grati*. Unde ſedit annos XIV. & dies X.

Sublato e vivis Fabiano anno Chriſti CCL. vacavit Sedes uno anno, hoc eſt, uſque ad annum CCLI. quo *Cornelius* ad Pontificatum fuit evectus. Conſulibus *C. Trajano Decio Aug. III. & Q. Herennio Hetruſco Decio* Cæſare, & poſtquam ſediſſet unum annum, menſes tres, dies decem, migravit ad Dominum Centumcellis, die quarto menſis Septembris anni Chriſti CCLII. *Conſulibus C. Vibio Treboniano Gallo Auguſto II. & C. Vibio Voluſiano Cæſare*.

Poſt diem decimum quartum menſis Septembris ejuſdem anni CCLII. *Lucius* fuit Romanus Pontifex conſecratus. Dies ejus Ordinationis, duratio Sedis, ejuſque poſt Cornelii obitum vacatio in obſcuro ſunt. Probabilius tamen cum *Pearſonio*, & *Pagio* cenſeo, Lucium Romæ Pontificem ordinatum fuiſſe die, XXV. menſis Septembris anni CCLII. eumque menſes quinque integros, dies decem ſediſſe, & mortuum fuiſſe die quarta menſis Martii anni inſequentis, ſeu anni Chriſti CCLIII. *quo Coſſ. fuerunt C. Vibius Voluſianus Aug. II. & M. Valerius Maximus*.

Poſt Lucii obitum vacavit Sedes menſes duos, dies ſex. Die autem decimo tertio menſis Maji anni Chriſti CCLIII. *Stephanus* Pontificatum obtinuit. Sedit annis quatuor, menſibus duobus, diebus viginti uno. Martyrium paſſus eſt anno Chriſti CCLVII. *P. Licinio Valeriano Aug. IV. & P. Licinio Gallieno Aug. III.* Coſſ.

Sixtus Papa hujus nominis II. ſucceſſit Stephano die viceſima quarta menſis Auguſti ejuſdem anni CCLVII. Sedit menſes XI. dies ſex, & gloria martyrii donatus eſt anno Chriſti CCLVIII. Coſs. *M. Aulio Memmio Tuſco*, *& Baſſo*.

Poſt Martyrium Sixti, vacavit Sedes anno ferme uno, ideſt uſque ad diem XI. Kalend. Auguſti anni Chriſti CCLIX. Die autem vigeſima ſecunda menſis Julii anni Chriſti CCLIX. *Æmilia-*

ni,

Digitized by Google

ni, *& Baſſi* Conſulatu inſigniti, *Dionyſius* fuit ordinatus Pontifex, & obiit die vigeſima ſexta menſis Decembris anni Chriſti CCLXIX. Conſulibus *M. Aurelio Claudio Aug. II. & Paterno*. Sicque Dionyſius ſedit annos decem, menſes quinque, dies quatuor, emortuali nempe excluſo.

Sedes Romana poſt obitum Dionyſii vacavit duobus diebus. Unde die vigeſima octava menſis Decembris ejuſdem anni CCLXIX. *Felix* hujus nominis Primus fuit ad Pontificatum promotus. Sedit annis quatuor, menſibus undecim, diebus viginti quinque, & mortuus eſt die vigeſima ſecunda menſis Decembris anni Chriſti CCLXXIV. Coſſ. *Aureliano Aug. III. & C. Julio Capitolino*.

Eutychianus ſucceſſit Felici in Pontificatu. Sed die tantum quinta Januarii anni Chriſti CCLXXV. quo Conſules fuerunt *L. Domitius Aurelianus Auguſtus IV. & T. Avonius Marcellinus*, fuit Romanus Pontifex ordinatus. Quare poſt Felicis obitum vacavit Sedes diebus tredecim. Sedit autem Eutychianus annis octo, menſibus undecim, diebus tribus, & mortuus eſt die VII. menſis Decembris anni Chriſti CCLXXXIII. Coſſ. *M. Aurelio Caro Aug. II. & M. Aurelio Carino*. Legitur quippe in Chronico Damaſi: *Eutychianus annis octo, menſibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani III. & Marcellini uſque in diem Idus Decembris Caro II. & Carino Conſulibus*. Conſtat autem, *Carum*, *& Carinum* Conſulatum geſſiſſe anno Chriſti CCLXXXIII. quo vita functus eſt Eutychianus Pontifex Romanus.

Poſt mortem Eutychiani vacavit Sedes dies octo. Unde decima quinta die menſis Decembris anni CCLXXXIII. *Cajus* fuit ordinatus Pontifex, ſeditque annos duodecim, menſes quatuor, dies ſeptem, ut legitur in Chronico Damaſi, & obiit die 22. menſis Aprilis anni Chriſti ducenteſimi nonageſimi ſexti *Coſſ. Diocletiano Aug. VI. & Conſtantio Cæſare II.*

Poſt obitum Caji vacavit Sedes duobus menſibus, & octo diebus. *Marcellinus* ſiquidem poſt Cajum ſuſcepit Pontificatum pridie dumtaxat Kal. Julias, ſeu die trigeſima menſis Junii anni Chriſti ducenteſimi nonageſimi ſexti. Sedit autem Marcellinus annis octo, menſibus tribus, diebus viginti quinque, ac ſubinde obiit die XXIV. Octobris anni Chriſti CCCIV. Conſulibus *Diocletiano Aug. IX. & Maximiano Herculio Aug. VIII.* Habes nunc in Compendio accuratiorem ſeriem Chronologicam Summorum Pontificum, qui tribus primis Eccleſiæ Seculis Sedem Romanam occuparunt, ſuaque pietate illuſtrarunt.

D. Nunquam igitur, ut video, tot inter perſecutiones, quibus Eccleſia in tribus primis Sæculis exagitata fuit, interrupta eſt ſeries Pontificum, qui a tempore S. Petri Romanam Sedem obtinuerunt.

M. Nunquam hæc ſeries interrupta eſt, ſingulari favente patrocinio, quo Deus Eccleſiam Sponſam ſuam dignatus eſt. Hinc optimo jure Tertullianus in lib. de præſcript. cap. 32. efficax depromit argumentum ad oppugnandos Hæreticos, qui hanc ab ætate Apoſtolorum continuam in ſuis Eccleſiis Epiſcoporum ſucceſſionem exhibere haud poſſunt: *Edant*, inquit, *origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, habuerit authoritatem, & Anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt. Sicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum ab Joanne conlocatum refert: ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde utique & ceteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatu conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habent*. Eodem argumento, quod Hæreticorum jugulum petit, ſæpius contra Donatiſtas a vera Eccleſia extorres uſus eſt S. Auguſtinus in libris, quos adverſus illos lucubravit.

D. Vim iſtius argumenti probe capio. At optarem, ut mihi indicares Opera, ſi quæ ſint, ab illis trium priorum Eccleſiæ Sæculorum Romanis Pontificibus edita. Ea quippe validiſſima ſuppeditarent argumenta ad convincendam perfidiam noſtri temporis Hæreticorum, qui, ut frequenter ab ipſis audivi, tria priora Eccleſiæ Sæcula plenis, ac crepitantibus buccis *Sæcula aurea* appellitare ſolent, in quibus etiam, ut dictitant, Apoſtolorum doctrina nulla adhuc erroris labe aſperſa, ſed pura, & illibata vigebat.

M. Certum eſt, quaſdam eſſe genuinas veterum illorum Pontificum Decretales Epiſtolas, cujuſmodi ſunt Epiſtolæ S. Cornelii Papæ, quæ extant inter Opera S. Cypriani; Epiſtolæ Decretales Julii I. quæ referuntur a S. Athanaſio Apolog. 2. Epiſtolæ Liberii, quæ a S. Hilario in fragmentis recenſentur; Epiſtola Damaſi ad Illyrici Epiſcopos, quam Theodoretus lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 22. exſcripſit, & aliæ ejuſdem Pontificis Epiſtolæ, quæ Operibus S. Hieronymi inſertæ ſunt. Has, inquam, veterum Pontificum Romanorum Epiſtolas Decretales, quas vel laudant Sancti Patres, vel antiqui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Anthores recenſent, genuinas eſſe, certiſſime conſtat. Cæterum, alias Decretales Epiſtolas, quæ veteribus Romanis Pontificibus uſque ad Siricium adſcribuntur, ſuppoſititias eſſe, eaſque ex officina cujuſdam Iſidori Mercatoris prodiiſſe concors eſt omnium eruditorum hujus ætatis Criticorum ſententia. Quocirca ad Apocryphorum claſſem ablegati debent iſtæ veterum Romanorum Pontificum Decretales Epiſtolæ, ſcilicet quinque Sancti Clementis, tres Anacleti, duæ Evariſti, tres Alexandri, duæ Sixti I. unica Eleutherii, quatuor Victoris, duæ Zephyrini, duæ Calliſti I. unica Urbani I. duæ Pontiani, unica Anteri, tres Fabiani, tres Cornelii, quarum una inſcribitur: *Chariſſimis, atque dilectiſſimis Fratribus Sanctæ Dei Eccleſiæ Filiis, & omnibus in Domino recta fide famulantibus*. Altera: *Rufo Coepiſcopo*. Tertia: *Lupicino Viennenſi Epiſcopo*. Unica Lucii, duæ Stephani I. duæ Sixti II. duæ Dionyſii, tres Felicis I. duæ Eutychiani, unica Caji, duæ

Marcellini, duæ Marcelli I. tres Euſebii, una Melchiadis, una Silveſtri, una Marci, duæ Felicis II. plures denique Epiſtolæ, quæ adſcribuntur Damaſo. Ne igitur in Epiſtolis veterum Pontificum Romanorum hallucineris, & ſpurias cum genuinis eorum Epiſtolis promiſcue confundas, oportet ut huic accuratiſſimo Critices diſciplinæ peritorum judicio conſtanter adhæreas.

D. Ægre adducor ut in eam Criticorum deſcendam ſententiam, quæ omnem detrahit authoritatem his veterum Pontificum Romanorum Epiſtolis, & haud parum favere videtur Hæreticis, qui omnem ſuam operam in id potiſſimum conferunt, ut antiquorum monumentorum, quæ Romanorum Pontificum authoritatem, & avitam Eccleſiæ diſciplinam adſtruere poſſunt, fidem elevent, & jejunis plane, frigidiſque conjecturis veritatem labefactent.

M. Bona verba quæſo. His certe ſpuriis veterum Pontificum Romanorum Epiſtolis non indiget Sancta Romana Eccleſia, quia ex legitimis, germaniſque aliorum Pontificum Romanorum Epiſtolis Decretalibus ſatis ſuperque corroborata ſubſiſtit, ut optime obſervat Eminentiſſimus Annalium Parens Cardinalis Baronius tom. X. ad annum Chriſti 863. Baronio ſuccinunt doctiſſimi Cardinales, *Perronius*, & *Bona*, nec non *Petrus de Marca* Archiepiſcopus Pariſienſis, *Antonius Auguſtus* Tarraconenſis Epiſcopus, *Sirmondus*, *Petavius*, *Labeus*, *Chriſtianus Lupus*, *Emmanuel Schelſtratus*, & innumeri Catholici Doctores, quos hac in re Hæreticis patrocinari voluiſſe, nemo, qui micam, vel minimam rationis ſcintillam habeat, aſſerere audeat. Non inficior quidem *Blondellum*, Scriptorem apud Calviniſtas celebrem, lato calamo probaſſe in libro, cui titulus eſt: *Pſeudo Iſidorus*, & *Turrianus vapulantes*, ejuſmodi veterum Pontificum Epiſtolas Decretales priſcis illis Pontificibus eſſe abjudicandas, at non ideo Blondelli ſententia, quaſi ſolos Hæreticos nacta eſſet patronos, proſcribi debet, cum certo certius ſit, id ante Blondellum animadvertiſſe viros apprime Catholicos, tamque ſolidis communiiſſe rationibus, ut mox ſeſe omnibus deridendum propinaret ille, qui detritas, & obſoletas illas merces venditare, & ſpurios fœtus pro genuinis obtrudere vellet.

D. Cedo mihi, ſi placet, momenta, quibus moventur periti hujus temporis Critici, ut prædictas Epiſtolas Decretales priſcis Romanis Pontificibus abjudicent: Audivi enim ſæpius, quoſdam eſſe intemperantioris Critices viros, qui præpoſtere omnia in dubium revocant, & antiqua monumenta, quæ non ſunt ad ipſorum ſalivam temperata, adducto ſupercilio, & pluſquam dictatoria authoritate ſuppoſititia eſſe quaſi e tripode pronunciant. Id genus hominum, qui novum in Eccleſiam vellent invehere Pyrrhoniſmum, odi, & execror. Quamobrem audire geſtio argumenta, quæ in medium proferunt periti hujus temporis Critici, quæ ſi rem, ut dicis, plane conficiant, a me nullo negotio aſſenſum impetrabunt.

M. Rem æquiſſimam poſtulas. Abſit enim ut hos imitari velim Pſeudo Magiſtros, qui inflati typho ſuperbiæ omnia, etiamſi certiſſima, antiquitatis monumenta, eo ſolo nomine falſi inſimulant, quia *Magiſter dixit*, vel rationes, ſi quas producunt, inſtar aranearum telæ adeo leves ſunt, ut unico flatu confeſtim exſufflari poſſint. Audi igitur argumenta, quæ viros eruditos, & veritatis ſtudioſos convincere poſſunt. In primis, ejuſmodi Epiſtolæ Decretales priſcis Romanis Pontificibus ideo afflictæ dicuntur, quia ſub finem ſeptimi ſæculi confictæ, & conſarcinatæ fuerunt, quippe quæ ſententiis Canonum, Legum etiam Civilium, & Sanctorum Patrum, qui in quarto Eccleſiæ Sæculo floruerunt, magna ex parte, turpi Anachroniſmo contextæ ſunt, ut Sole clarius ante *Blondellum* in Prolegomenis Pſeudo-Iſidori cap. 13. evicit Bellarminus in Diſſertatione inedita. Unde patet, harumce conſarcinatorem Epiſtolarum reum eſſe turpiſſimi plagii, & longe poſteriorem ætate Romanorum Pontificum, qui primis tribus Sæculis Sedem Romanam tenuerunt. Idque luculentius confirmari poteſt ex Scripturæ Sacræ textibus, qui paſſim in his Epiſtolis Decretalibus laudantur juxta Verſionem vulgatam a S. Hieronymo in quinto ſæculo concinnatam. Qui autem fieri poteſt, ut Romani Pontifices, qui tribus primis Sæculis Eccleſiam rexerunt, Scripturam Sacram in ſuis Epiſtolis Decretalibus uſurpaverint, atque citaverint juxta Verſionem, quam adornavit S. Hieronymus, & quæ, ut norunt omnes, progreſſu tantum temporis authoritatem in Eccleſia obtinuit? Ad hæc, accedit ſtyli ſimilitudo, idemque plane in omnibus illis Epiſtolis Decretalibus dicendi, & ſcribendi character, qui evidenter probat, eas non a diverſis Pontificibus, ſed ab uno potius Authore fuiſſe exaratas, qui ſemper, inter ſcribendum, uſus eſt eodem ſtylo, eoque ſordido, ac barbaro, qui ſane ab elegantia, & pura priorum Eccleſiæ Sæculorum latinitate omnino alienus eſt. Porro, nulla ratione veroſimile reddi poteſt, veteres Pontifices, quos conſtat, ſtudiis, doctrinaque haud vulgari fuiſſe excultos, data tamen opera voluiſſe, inſtar hominum ex infima vulgi fæce, ſuas Epiſtolas culinarii ſermonis ſordibus conſpurcare. Nullus etiam, ſi tantiſper præjudiciis liber ſit, ſuum in animum inducere poterit, veteres illos Pontifices falſis Conſulatuum notis ſuas conſignaſſe Epiſtolas, ſicut apparet legenti illas Epiſtolas Decretales, quæ ſub veterum Pontificum nominibus circumferuntur, & multis Anachroniſmis in deſignandis Conſulum notis turpiſſime fœdantur. Uno verbo, has Epiſtolas Decretales, quæ priſcis Pontificibus adſcribuntur, nullus ante nonum Sæculum ne nominavit quidem, non S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſ. non Siricius, non Innocentius, non S. Leo, aliique Sanctiſſimi Pontifices; non ullum octo priorum Conciliorum Œcumenicorum; non Photius antiquitatis indagator ſtudioſiſſimus, & immenſæ lectionis author. His, & aliis id genus argumentis, quæ in re tam liquida producere ſupervacaneum omnino eſſet, palam evincitur, Epiſtolas Decretales, quæ ſub veterum Romanorum Pontificum nominibus

pro-

Digitized by Google

proſtant, non eſſe genuinas, ſed ſpurias & ſuppoſititias, quæ tamen, cum bene multa veritati, & pietati apptime conſentanea complectantur, non debent Hæreticorum ſpiritu, quo afflatus fuit Blondellus, conviciis proſcindi, ac lacerari.

D. Tam ſolidis, quas adduxiſti, rationibus, ſicut & Critices diſciplinæ peritorum judicio faſces ſubmitto, & omnia, quæ hactenus dixiſti de priſcis Pontificibus, qui Romanam Sedem in tribus primis ſæculis occuparunt, oppido quam libenter accipio. Nunc a te diſcere percupio originem, & ſeriem Epiſcoporum, qui Sedem Alexandrinam, cæteris, poſt Romanam, dignitate præeminentem in tribus primis ſæculis tenuerunt. Sed circa hanc Sedem Alexandrinam opportune venit in mentem Hiſtoria, quam nudius tertius audivi a quibuſdam Monachis, qui Monachatus ut adſtruerent antiquitatem, ajebant S. Marcum Evangeliſtam, qui fuit primus Sedis Alexandrinæ Epiſcopus, inſtituiſſe prope Urbem Alexandriæ ſocietatem Chriſtianorum, quorum religioſum cultum, & auſterum, durumque vitæ genus graphice deſcribit *Philo* Judæus in libro *de vita Contemplativa*, quoſque, ſi bene memini, appellat *Therapeutas*, ſeu Cultores, eoquod relictis Civitatibus, in agro, & ſolitudine degentes orationibus, contemplationi, aliiſque id genus piis exercitiis noctu diuque vacabant. Huic igitur Chriſtianorum ſocietati a S. Marco inſtitutæ originem Monachatus acceptam referri debere mordicus pertendebant Monachi. Nunc quid tu hac de re ſentias, & an hæc Hiſtoria vera ſit, vel potius inter aniles fabulas recenſenda, aperire haud graveris.

M. Hic profecto non levem proponis difficultatem, in qua dirimenda necdum convenit inter viros eruditos. Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 17. hos Therapeutas, quorum mentionem facit, & mores, vivendique normam deſcribit Philo Judæus, Chriſtianos fuiſſe affirmat. Scaligerus vero lib. 6. *de emendatione temporum*, & Valeſius in notis Euſebianis lib. 2. cap. 17. autumant, illos Therapeutas fuiſſe Judæos. Sunt alii, qui cum Baronio ad annum Chriſti 64. exiſtimant, iſtos Therapeutas fuiſſe Monachos, & ab his manaſſe vitæ Monaſticæ originem. Verum, ſi mihi tot inter eruditos viros meum liceat interponere judicium, crediderim ipſe cum Euſebio, illos Therapeutas fuiſſe quidem Chriſtianos, at illos Monaſticam vitam fuiſſe profeſſos, nulla ratione mihi perſuadere poſſum. Inſtitutum quippe Monachorum, qui a plebe prorſus ſecreti & ab ejus ſocietate penitus avulſi erant, longe poſt tempora Philonis Judæi, qui S. Marci Evangeliſtæ ætate florebat, cœpiſſe, liquido patet ex vita S. Pachomii, quam Bollandus in Actis Sanctorum die xiv. menſis Maji inſeruit, ac illuſtravit. Author ſiquidem illius vitæ diſerte aſſerit, S. Pachomium eſſe primum Inſtitutorem Monachorum, idque probat ex verbis S. Antonii, qui vitæ Monaſticæ originem ad S. Pachomium refert: *Quo ego tempore*, inquit S. Antonius, *Monachum cœpi agere, nullum uſpiam extabat Cœnobium*: & paucis interjectis, ſic proſequitur: *Poſtea Pater veſter* (Sacchæum alloquitur S. Pachomii diſcipulum) *tantum bonum Deo adjuvante effecit*. Cum igitur, teſte S. Antonio, ante S. Pachomium nullum adhuc extaret Cœnobium, non video qua ratione dici poſſit, Therapeutas, quorum vivendi normam deſcribit Philo, fuiſſe Monachos. Præterquam quod Monaſticum inſtitutum non ferebant graviſſimæ perſecutiones, quibus in tribus primis Eccleſiæ Sæculis Ethnici Imperatores in Chriſtianos omnes graſſabantur. Hinc merito *Holſtenius* in præfatione ad Regulas veterum Monachorum arceſſit dumtaxat vitæ Monaſticæ originem ab ætate Conſtantini Magni, ſeu a quarto Eccleſiæ Sæculo. Tunc enim Sancti Patres Athanaſius, & Hieronymus primorum Eremitarum vitam deſcripſerunt, quorum nomen, ſicut & Monachorum in tribus prioribus ſæculis erat omnino ignotum, ſicut conſtat ex ſilentio S. Ignatii Martyris, Tertulliani, & S. Cypriani, qui licet Viduas, & Virgines Deo ſacras in ſuis Operibus commemorent, de Monachis tamen ne verbulum quidem habent. Denique, illi Therapeutæ, quorum meminit Philo Judæus, cohabitabant cum Mulieribus ejuſdem inſtituti, quas Philo appellat *Therapeutrias*, ideſt, *Cultrices*. Porro, in tota retro antiquitate temporum plane inauditum eſt, Monachos aut Mulieres habuiſſe, aut contubernales illas habere potuiſſe. Therapeutæ igitur non fuerunt Monachi; ſed erant Chriſtiani, qui ob ſingularem, qua præfulgebant, pietatem, dicti ſunt *Aſcetæ*, ut ſcribit Euſebius loco mox a me laudato. Aſcetæ ſiquidem priſcis temporibus vocabantur illi, qui inter Chriſtianos ſtrictius quoddam, & durius amplectebantur, ac profitebantur vitæ genus, quique diſtant a Monachis, ut genus diſtat a ſpecie. Aſcetæ etiam ſemper fuerunt in Eccleſia, at Monachorum nomen, & inſtitutum ſerius cœpit.

D. Proponam, cum bona tua venia, ſcrupulum, qui circa illam Therapeutarum Hiſtoriam hæret adhuc animo, quem mihi eximas velim. In primis, non mihi veroſimile videtur, Philonem Judæum tot elogiis efferre voluiſſe Chriſtianorum mores, adeoque per Therapeutas indigitaſſe Chriſtianos. Deinde, illi Therapeutæ, ut ex Philone Judæo obſervaſti, cum Mulieribus habitabant, quod ſane alienum eſt a moribus Chriſtianorum, qui antiquitus vitam aſceticam profitebantur, & Mundo, ejuſque deliciis nuncium remittentes, conſortia Mulierum, quibus nihil damnoſius, nihil periculoſius eſſe poteſt, ſedulo vitabant. Therapeutas igitur Chriſtianæ Religioni nomen dediſſe, ex Philone Judæo colligi minime poteſt.

M. Quamvis Philo fuerit Judæus, difficile tamen creditu non eſt, eum deſcripſiſſe, ut oculatum teſtem, Chriſtianorum ſui temporis mores, eoſque, ſicut ſcribit Euſebius, ſententia, & opinione ſua vehementer approbaſſe. Numquid Joſephus non fuit Judæus? & tamen ipſe cap. 4. lib. 18. Antiquitatum Judaicarum, vitam, miracula, & Reſurrectionem Chriſti Servatoris noſtri egregio teſtimonio commendat, tanquam fidelis, & accuratus Hiſtoricus, qui, ſemoto omnium partium ſtudio, veritati tantum in his, quæ narrat, lita-

Digitized by Google

re, non proprio affectui indulgere debet. Sed Therapeutæ, inquis, cum mulieribus ejuſdem Inſtituti habitabant. Id certe non inficias eo, imo potius ea de cauſa dixi, illos non fuiſſe Monachos, quibus vetitum erat, ne uxores ducerent, & cum illis contubernium haberent. At inde nullo pacto evinci poteſt, Therapeutas non fuiſſe Chriſtianos, qui vitam Aſceticam in ſolitudine procul mundanis negotiis profitebantur. Ratio in promptu eſt. Quia ſicut temporibus Apoſtolorum omnes Chriſtiani vitam Aſceticam in ſocietate peragebant, quamvis bene multi ex illis ſuas uxores haberent; ita in primo Eccleſiæ ſæculo fuerunt Chriſtiani, qui eamdem vitæ perfectionem in ſolitudine, ubi eſt major animi tranquillitas, & fuga Mundi, una cum ſuis uxoribus, quæ ſponte idem inſtitutum amplectebantur, peragebant. Nec enim, opinor, in ullius mentem veniet, matrimonium a Chriſto Domino inſtitutum vitæ Aſceticæ eſſe oppoſitum, cum Hiſtoria Eccleſiaſtica ſuppeditet multa exempla virorum, & mulierum, quæ in Chriſtiano matrimonio ſanctiſſime vixerunt. Vita autem Aſcetica, quam Therapeutæ agebant in ſolitudine, perfectior erat ea vita Aſcetica, quam Chriſtiani temporibus Apoſtolorum in ſocietate, & in ſuis ædibus ducebant. Chriſtiani ſiquidem, qui vitam Aſceticam in ſocietate profitebantur, in iiſdem ædibus cum ſuis uxoribus permanebant, & ab uſu matrimonii non abſtinebant. Therapentæ vero, quamvis in eadem ſolitudine cum ſuis uxoribus degerent, nihil tamen commercii cum illis habebant, ſed ſeorſim ab illis in ſacris ædiculis habitabant, dumque, teſte Philone, ſingulis diebus Dominicis mulieres ad eamdem Eccleſiam una cum viris Therapeutis conveniebant, ſpecialem occupabant locum ſejunctum a loco virorum, interpoſitis videlicet parietibus, qui a ſolo ſurgebant tribus, quatuorve cubitis, itaut tamen ſuperiora uſque ad tectum paterent. *Unde* ſcribit idem Author, *gemina provenit commoditas, & quod pudori fœminei ſexus conſulitur, & quod verba Doctoris exaudiuntur facile abſque ullis obſtaculis, quæ vocem ejus intercipiant*. Viden in his verbis clare expreſſam Aſceticam vitam, quam Therapeutæ cum mulieribus ejuſdem inſtituti in ſolitudine avulſi a ſocietate plebis ducebant?

D. Video plane, nec ullam modo in Therapentarum Hiſtoria difficultatem invenio, quam tua non facile ſolvat opinio. Qua propter perge nunc Sedis Alexandrinæ texere Epiſcoporum ſeriem, a qua tantiſper occaſione Therapeutarum Hiſtoriæ digreſſi ſumus.

M. De anno, quo S. Marcus Evangeliſta Eccleſiam Alexandrinam fundavit, & rexit, non eſt omnino certum. Euſebius in ſuo Chronico ſcribit, S. Marcum, S. Petri Interpretem, in Ægypto, & Alexandriæ Chriſtum annunciaſſe anno Chriſti 43. eumque migraſſe ad Deum anno Chriſti 62. cui Euſebianæ Epochæ, cum nulla alia exactior, accuratiorve occurrat in aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſtare debemus. Epiſcopos Alexandrinos, qui Sancto Marco in primis tribus ſæculis ſucceſſerunt, diligenter in ſuo Chronico annotavit Euſebius, quorum nomina, annum quo Pontificatum inierunt, & Pontificatus annos in hac Tabula in rem tuam a me delineata uno obtutu videre, tuæque memoriæ facile mandare poteris.

TABULA.

Nomina Epiſcoporum Sedis Alexandrinæ.	*Initium illorum Pontificatus.*	*Anni eorum Pontificatus.*
Annianus, Primus poſt S. Marcum Evang. Sedis Alexand. Epiſc.	anno Chriſti 62.	22.
Abilius	anno Chriſti 84.	13.
Cerdo	anno Chriſti 97.	11.
Primus	anno Chriſti 109.	12.
Juſtus	anno Chriſti 119.	11.
Eumenius, vel Hymenæus	anno Chriſti 130.	13.
Marcus, vel Marcianus	anno Chriſti 143.	10.
Celadion	anno Chriſti 153.	14.
Agrippinus	anno Chriſti 167.	12.
Julianus	anno Chriſti 179.	10.
Demetrius	anno Chriſti 189.	43.
Heraclas	anno Chriſti 232.	16.
Dionyſius	anno Chriſti 248.	17.
Maximus	anno Chriſti 265.	18.
Theonas	anno Chriſti 282.	19.

In hac Tabula deſcripſi, juxta Chronicon Euſebii, ſeriem Epiſcoporum, qui in tribus primis Eccleſiæ ſæculis Sedem Alexandrinam tenuerunt, necnon initium illorum Pontificatus, & annos, per quos Pontificatum geſſerunt. Ad hanc igitur Tabulam Chronologicam, ſi oculos conjicias, animumque advertas, continuo perſpectam habebis Epiſcoporum Alexandrinorum in tri-

tribus primis Eccleſiæ ſæculis non interruptam ſucceſſionem.

D. Nihil profecto hac Tabula Chronologica ad meam juvandam memoriam commodius eſſe poteſt. Rem igitur mihi gratiſſimam faceres, ſi aliam velles delineare Tabulam, in qua Epiſcoporum, qui Eccleſiam Antiochenam in primis tribus ſæculis rexerunt, ſeries, nomina, initium, & anni Pontificatus accurate deſcriberentur.

M. Non tam exacte præfigi poteſt ſeries Chronologica Epiſcoporum, qui tribus primis Eccleſiæ ſæculis Eccleſiam Antiochenam gubernarunt, quia Euſebius in ea Antiochenorum Epiſcoporum ſerie deſcribenda non eamdem diligentiam obſervavit; quo fit ut Antiochenorum Epiſcoporum Chronologia denſis tenebris obſita ſit, quas diſcutere non ita pronum eſt. Attamen votis tuis ut faciam ſatis, Epiſcopos Eccleſiæ Antiochenæ ad initium uſque quarti ſæculi eo ordine recenſebo, quo illos in ſuo Chronico recenſet Euſebius.

Primum Eccleſiæ Antiochenæ poſt Apoſtolos ordinatum fuiſſe Evodium anno Chriſti 43. ſcribit Euſebius, ſed annos ipſius Pontificatus omnino prætermiſit. Deinde, initium Pontificatus S. Ignatii, quem nonnulli immediatum poſt Apoſtolos in Sede Antiochena Epiſcopum fuiſſe tradunt, illigat Euſebius anno 14. Imperii Neronis, ſeu anno Chriſti 68. Cujus in eadem Sede ſucceſſores fuerunt Hero, Cornelius, Heros, Theophilus, & Maximinus. Sed de exordio, & annis eorum in Sede Antiochena Pontificatus nihil plane certi ex Euſebio elici poteſt. Nam, exempli gratia, Euſebius finem Pontificatus Theophili refert in ſuo Chronico ad annum Chriſti 177. & tamen ex Operibus illius Epiſcopi Antiocheni liquet, ipſum adhuc anno Chriſti 181. ſuperſtitem fuiſſe, quo anno ei ſucceſſit *Maximinus*. Maximino in Sede Antiochena ſucceſſit *Serapio* anno decimo Imperii Commodi, ſeu anno Chriſti 189. vel 190. & juxta Euſebium rexit Eccleſiam Antiochenam ad annum uſque primum Imperii Caracallæ, ſeu ad annum Chriſti 211. Serapio ſucceſſorem habuit *Aſclepiadem*, qui obiit anno Chriſti 217. Aſclepiadi ſucceſſit *Philetus*, & Phileto *Zebennus*, qui vixit uſque ad annum Chriſti 238., quo anno in ejus locum ſuffectus eſt *S. Babylas*, qui in perſecutione Imp. Decii anno Chriſti 250. vel 251. martyrio fuit coronatus. S. Babylam in Sede Antiochena excepit *Fabius*, & poſt Fabium, *Demetrianus* fuit ordinatus Epiſcopus Antiochenus. Demetriano ſucceſſit *Paulus Samoſatenus* anno Chriſti 260. qui, ob Hæreſim, quam diſſeminabat, fuit Epiſcopatu Antiocheno abdicatus anno Chriſti 272. & in ejus locum ſubrogatus eſt *Domnus*. Denique, Domno in Sede Antiochena ordine ſucceſſerunt *Timæus*, & *Cyrillus*, qui Eccleſiam Antiochenam ad initium uſque quarti ſæculi gubernarunt.

D. Deſcripſitne Euſebius ſeriem Epiſcoporum, qui in tribus primis ſæculis rexerunt Eccleſiam Hieroſolymitanam, quæ, ut nuperrime dicebas, in maxima erat apud antiquos Chriſtianos veneratione? hanc quippe continuam Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcoporum ad initium uſque quarti ſæculi ſucceſſionem ſcire quoque peroptarem.

M. Seriem Epiſcoporum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ uſque ad exordium quarti ſæculi hoc ordine deſcripſit Euſebius in Chronico. Primus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopus fuit *S. Jacobus* frater Domini ab Apoſtolis ordinatus. Cui mortuo, & a Judæis lapidibus oppreſſo ſucceſſit anno Chriſti 60. *Simeon*, vel *Simon*, dictus, qui Eccleſiam Hieroſolymitanam regebat, quando ad puniendam perfidam Nationem Judaicam, quæ cæco furore abrepta, Jeſum Chriſtum verum Meſſiam agnoſcere detrectavit, atque in Crucem egit, ab Exercitu Romanorum, imperante Veſpaſiano, Civitas Hieruſalem obſeſſa, & ſolo æquata, totaque Gens Judaica hac illac miſere diſſipata eſt, ſicut diſertis verbis prædixerat Chriſtus Servator noſter. Porro hic *Simeon*, vel *Simon* dictus, qui id ætatis præerat Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, tandem annos natus centum viginti, movente adverſus Chriſtianos perſecutionem Imperatore Trajano, poſt varia tormenta Cruci ſuffixus eſt anno decimo Imperii Trajani, ideſt anno Chriſti 107, Simeoni ſucceſſit in Sede Hieroſolymitana *Juſtus*, qui obiit anno Chriſti CXI. Poſt Juſtum, Epiſcopatum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ quartus ſuſcepit *Zachæus*. Poſt quem quintus, *Tobias*. Cui ſucceſſit ſextus, *Benjamin*. Deinde ſeptimus, *Joannes*. Octavus, *Mathias*. In cujus locum nonus conſtituitur *Philippus*. Poſt Philippum, decimus Eccleſiæ Hierololymitanæ præficitur Epiſcopus *Seneca*. Undecimus, *Juſtus*, cui ſuccedit duodecimus, *Levi*. Poſt quem, tertius decimus, *Ephras*. Quartus decimus, *Joſes*. Quintus decimus, *Judas*. Hi omnes Epiſcopi, qui, ut ſcribit Euſebius, ex Circumciſione fuerunt, Eccleſiam Hieroſolymitanam rexerunt uſque ad integram everſionem, quam ab Imperatore Hadriano perpeſſa eſt Civitas Hieruſalem, hoc eſt uſque ad annum 18. Imperii Hadriani, Chriſti vero 135. Quapropter, anno Chriſti 135. ceſſantibus in Eccleſia Hieroſolymitana Epiſcopis, qui fuerant ex Judæis, primus ex Gentibus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ conſtituitur Epiſcopus *Marcus*, qui uſque ad annum Chriſti 156. Pontificatum tenuit, fuitque ordine decimus ſextus Epiſcopus Hieroſolymitanus. Poſt Marcum, decimus ſeptimus Epiſcopatum Hieroſolymitanum ſuſcepit *Caſſianus*. Poſt quem, decimus octavus, *Publius*. Publio ſucceſſit decimus nonus, *Maximus*. Viceſimus, *Julianus*. Viceſimus primus, *Gajanus*. Viceſimus ſecundus, *Symmachus*. Viceſimus tertius, *Gajus*. Viceſimus quartus, *Julianus*. Viceſimus quintus, *Capito*. Viceſimus ſextus, *Maximus*. Viceſimus ſeptimus, *Antonius*. Viceſimus octavus, *Valens*. Viceſimus nonus, *Dolichianus*. Triceſimus, *Narciſſus*, qui inſigni pietate, & miraculorum dono ſub Imperatore *Commodo*, ut ſcribit Euſebius, præfulſit. Sede tamen ſua, ob ſibi grave objectum, affictumque crimen, cum fuiſſet privatus, in ejus locum aſſumptus eſt *Dius*, qui fuit triceſimus primus Epiſcopus Hieroſolymitanus. Dio ſucceſſit *Germanius*, triceſimus ſecundus Epi-

Digitized by Google

ſcopus. Triceſimus tertius, *Gordius*. Poſt mortem vero *Gordii*, Sedem ſuam iterum obtinuit, & gubernavit *Narciſſus* una cum Alexandro, qui, vivente adhuc, & volente Narciſo, Hieroſolymorum Epiſcopus eſt ordinatus, & hanc Eccleſiam ſimul cum Narciſſo rexit. Mortuo autem Narciſſo, *Alexander* Eccleſiam Hieroſolymitanam ſolus gubernavit uſque ad perſecutionem Decii, qua graſſante, in carcerem conjectus pro Chriſto mortem oppetiit anno Chriſti 250. vel 251. Cui ſucceſſit *Mazabanus*, de quo mentionem facit Dionyſius in Epiſtola ad Stephanum Papam. Mazabano ſucceſſit *Hymenæus*, qui interfuit Conciliis contra Paulum Samoſatenum celebratis anno Chriſti 264. & 270. diuque rexit Eccleſiam Hieroſolymitanam. Euſebius ſiquidem in Chronico ſcribit, anno dumtaxat Chriſti 298. Hymenæo ſucceſſiſſe *Zabdam*, qui præfuit Eccleſiæ Hieroſolymitanæ uſque ad initium quarti ſæculi. Habes nunc, ut promiſeram, continuam ſucceſſionem Epiſcoporum, qui in tribus primis Eccleſiæ ſæculis præcipuas Sedes occuparunt, Romanam, videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, & Hieroſolymitanam.

D. Fidem tuam plene liberaſti, votiſque meis abunde feciſti ſatis. Quia tamen texendo ſeriem Epiſcoporum, qui tribus primis ſæculis Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præfuerunt, mentionem feciſti de obſidione, & deſtructione Urbis Hieruſalem facta ab Exercitu Romanorum, imperante Veſpaſiano, inceſſit animum cupido addiſcendi Hiſtoriam Judæorum a morte Herodis, quo regnante in Judæa, natus eſt Chriſtus Dominus, uſque ad ultimam Jeroſolymæ cladem, ſeu uſque ad integram ruinam, & totius gentis Judaicæ diſperſionem.

M. Legiſti, opinor, ea, quæ in Tractatu *de Myſteriis, & annis Chriſti* ſcripſi de ſtatu, & conditione Judæorum, regnante Herode in Judæa, quomodo videlicet, regnante in Judæa Herode, qui erat alienigena, & a Senatu Romano Judææ Regno donatus, Sceptrum, ſeu Regia, vel Ducalis dignitas fuit a gente Judaica omnino ablata, paulo antequam naſceretur Chriſtus verus Meſſias, in quo impletum eſt illud Jacobi propediem morituri Oraculum: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*. Geneſis 49. cum igitur ea, quæ ſpectant Hiſtoriam Judæorum, regnante Herode, jam explorata, compertaque habere poſſis ex lectione prælaudati Tractatus a me lucubrati, his impræſentiarum referendis, ne tibi faſtidium ingeram, lubens ſuperſedebo. In proximo autem Colloquio texam Hiſtoriam rerum, quæ perfidæ Nationi Judaicæ contigerunt ab obitu Herodis uſque ad ultimam Urbis Hieroſolymitanæ cladem, ex qua narratione facile intelliges, totam Nationem Judaicam eo ſolo nomine fuiſſe a Deo reprobatam & quaqua verſum diſſipatam, quod Jeſum Chriſtum verum Meſſiam agnoſcere, ejuſque doctrinam auſcultare detrectavit. Clare etiam perſcies, omnes Jeſu Chriſti Servatoris noſtri prædictiones de excidio & integra deſolatione Populi Judaici, de Urbis & Templi, quo nihil antiquius habebant Judæi, funeſta deſtructione, & ruina, fuiſſe omnino completas. Denique, tibi ob oculos ponam terribilem effectum illius imprecationis Judæorum, qui, injuſtam a Pilato ut extorquerent ſententiam damnationis in Chriſtum, exclamarunt cœco furore abrepti: *Sanguis ejus*, ideſt, Chriſti, *ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. Quorum omnium certiſſimum eventum nunc coruſcante Sole meridiano clariorem probant Hiſtoriæ, ac præſens deploratiſſima Judæorum conditio. Hoc erit igitur proximi noſtri Colloquii argumentum.

D. Ægre a te divellor, ſed, quia ita præcipis, ad meos familiares lares redeo, ea tamen lege, ut craſtina die huc revertar gentis Judaicæ Tragœdiam pronis ac ſuſpenſis auribus auditurus.

COLLOQUIUM III.

In quo exhibetur Hiſtoria Judæorum ab obitu Herodis uſque ad ultimam Urbis Hieroſolymitanæ cladem, eorumque referuntur Sectæ, & funeſta poſt excidium Hieroſolymitanum conditio.

M. RUinam Hieruſalem, & Judæorum Tragœdiam accuratiſſime deſcribit *Joſephus* Hebræus in ſeptem libris, quos edidit, *de bello Judaico*, totiuſque gentis ſuæ Judaicæ univerſalem Hiſtoriam a condito Mundo ad ſua uſque tempora complexus eſt viginti libris, quibus, *Antiquitates Judaicæ*, titulum dedit. Ex hoc igitur probatiſſimæ fidei, magnique apud Judæos nominis Authore compendioſe hic perſtringam Hiſtoriam Judæorum ab obitu Herodis uſque ad excidium Urbis Hieroſolymæ.

In primis, ut rem ab ovo, ſicut ajunt, narrare incipiam; poſtquam Herodes, qui quinto anno Imperii Auguſti Rex Judææ a Romano Senatu fuerat declaratus, regnaſſet triginta circiter ſeptem annis, in graviſſimum morbum annos natus LXX. incidit. Quo morbo, pœnas impietatis Herodis exigente Numine, in dies ingraveſcente, & poſt varia, ſed fruſtra adhibita remedia, profectus eſt Herodes ultra Jordanem, ubi ſeſe calidis fovebat aquis. Ibi cum fere exanimis viſus eſſet efflare animam, Hiericuntem repetiit, atque tunc valetudinem ſuam omnino deploratam eſſe intelligens, nobiliſſimos inter Judæos ferali Edicto huc accerſiri, & in circo concludi juſſit, datis mandatis *Salomæ* ſorori ſuæ, ut poſtquam ipſe fato ceſſiſſet, per milites ad unum omnes occiderentur, quo videlicet gaudium de morte ſua quadantenus temperaret Judæorum neceſſarius in morte propinquorum ſuorum luctus. Interim Roma accepit litteras Herodes, quibus ab Imperatore Auguſto poteſtas ipſi permittebatur animadvertendi in filium ſuum Antipatrum, quem contra ipſius vitam conſpiraſſe compererat. Hoc læto nuncio tantiſper recreatus eſt, & acutis doloribus liberatus Herodes, ſed iis paulo poſt vehementius quam antehac excruciatus, ſibi necem conſciſcere tentavit, a quo ſcelere impeditus a ſuo conſobrino, indoluit ſceleſtiſſimus ille Rex ſibi

præ-

Digitized by Google

præreptam fuiſſe occaſionem violentas ſibi inferendi manus. E veſtigio tamen per Palatium ſparſus eſt rumor, & ingens auditus de morte Herodis clamor, iſque ad aures Antipatri carcere detenti pervenit, qui ſui criminis impunitatem ex morte patris ſperans, fugam e carcere meditatus eſt. Quod ubi reſcivit Herodes, vivum adhuc cadaver, ſibi temperare non potuit, ſed actus in rabiem filium ſuum Antipatrum crudelitate pluſquam Scythica actutum jugulari juſſit. Ipſe vero quinta die poſt occiſionem filii ſui Antipatri vermibus arroſus, domi vexatus a ſuis, exagitatus criminum furiis, oppreſſus undecumque caterva malorum turpem animam expuit anno triceſimo ſeptimo Regni ſui, poſtquam videlicet a Senatu Romano fuiſſet Rex Judææ declaratus, ſed a morte Antigoni ultimi ex Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum ſtirpe Principis, poſt quem Herodes ſolus regnavit in Judæa, anno trigeſimo quarto. Ita tot ſceleribus infamis Herodes, atque Innocentum Bethleemitarum cęde potiſſimum execrandus, e vivis ſublatus eſt dignus ſane qui ultricem Dei manum pateretur, cujus iram nefandis ſuis flagitiis tamdiu provocaverat.

Mortuo Herode, impiæ illius juſſiones de occidendis his Judæis, quos in circo concluſerat, exitu caruerunt. *Salome* ſiquidem, ejuſque vir *Alexa* ejuſmodi Judæos in priſtinam libertatem aſſertos, quaſi Herodes ante obitum ſuum ita juſſiſſet, ſalvos, & incolumes ad ſuos proprios lares remiſerunt. Non defuit tamen Judæis poſt mortem Herodis triſtitiæ cauſa. Tunc enim parentes, & affines Mathiæ, aliorumque Judæorum, quos, ob deturbatam Aquilam auream, vivos comburi juſſerat Herodes antequam moreretur, tumultuari cœperunt in mortuum Herodem jacientes convicia, & ad ſupplicium nonnullos Regis amicos depoſcentes; cumque illos *Archelaus* Regni ſucceſſor in teſtamento Herodis patris ſui deſignatus verbis placare, & emollire haud potuiſſet, immiſſo exercitu tria eorum millia in feſto Paſchæ concidit. *Archelaus* anno elapſo ab obitu Herodis patris ſui Romam profectus eſt, ut litem inter ſe, & ſuos fratres *Antipam*, & *Philippum* de teſtamento Herodis obortam ad Imperatorem Auguſtum deferret, & ab eo Judææ Regnum, ad quod in teſtamento Patris ſui fuerat deſignatus, confirmatum obtineret. Verum, abſente Archelao, gravis Hieroſolymis, occaſione avaritiæ *Sabini* ab Auguſto Imp. poſt mortem Herodis in Judæam miſſi, concitata eſt ſeditio, quam bis mille crucibus, quibus ſeditioſi Judæi ſuffixi ſunt, & quorumdam aliorum incendio opportune reſtinxit *Quinctilius Varus* Syriæ Præſes, qui *Sabino* Hieroſolymis periclitanti, & tantum non a Judæis oppreſſo ſuppetias tulit.

Dum hæc Hieroſolymis agerentur, totaque Judæa armis ſeditioſorum hominum, qui Principatum ambiebant, cruentaretur; Imperator *Auguſtus* litem inter filios Herodis motam de Patris teſtamento ita diremit, ut Herodis ditio in tres partes diſtribueretur. *Archelaus* Judæam, Samariam, & Idumæam, non tamquam Rex, ſed ut Ethnarcha obtinuit. *Herodes Antipas* Archelai frater conſtitutus eſt Ethnarcha Galilææ, & Peręę. Denique, *Philippus* tertius Herodis filius Itureæ, & Trachonitidis Tetrarchia donatus eſt. Archelaus igitur Judęam tamquam Ethnarcha novem annis rexit, ſed a Proceribus Judæorum, & Samaritanorum, qui ejus tyrannidem ferre non poterat, apud Imperatorem Auguſtum accuſatus, omni ditione, & pecunia mulctatus Viennam in Galliis fuit in exilium amandatus, & poſt illius exilium miſſus eſt ab Auguſto Imp. in Judæam *Quirinius*, ut percenſeret facultates Judæorum, & Archelai pecuniam in poteſtatem ſuam redigeret. Tunc Judæa in Provinciam Imperii Romani redacta ſuos cœpit habere Pręfectos a Romanis Imperatoribus miſſos, a Præſidibus Syriæ omnino diſtinctos. Sub idem tempus, cum Quirinius cenſum in Judęa perageret, ingentem ſeditionem *Judas* Galilæus ex Oppido Gamala excitavit; negabat quippe a Judæis, qui erant Filii Dei, Romanis Dei ſervis tributa eſſe perſolvenda, ſicque omni, qua pollebat, eloquentia hortabatur Judæos ſuapte natura ad defectionem proclives, ut a ſuis cervicibus excuterent Romanorum jugum, & denegarent tributa, quæ ab ipſis nomine Imperatoris exigebantur. Verum, ad nihilum reciderunt omnes illi tumultus; nam capto a Romanis, ac cęſo illo Juda Galilęo, duobuſque ejus filiis in crucem actis, domiti Judæi colla ſua Romanorum jugo ſubdere, ſeque ut ſervos agnoſcere coacti ſunt.

Primus Præfectus a Romanis in Judæam miſſus fuit *Coponius*, cui ſucceſſit *Ambivius*. Ambivium in Judææ Præfectura excepit *Annius Rufus*, Rufo ſucceſſit *Valerius Gratus*, ſub quo Roma expulſi ſunt Judæi, quorum quatuor millia in Sardiniam, gravioris Cęli Inſulam, diſtribuit *Tiberius* tum temporis Imperator. Poſt Valerium Gratum in Judæam a Tiberio Imp. miſſus eſt novus Præſes *Pontius Pilatus*, vile mancipium Imperatoris, cujus ut ſibi benevolentiam conciliaret, totam in ſuo ingreſſu Judæam funeſtavit, illatis videlicet Hieroſolymam clypeis, quos in Tiberii gratiam, atque in odium populi Judaici dedicates juſſit in ipſa Herodis Regia collocari. His clypeis imaginem Cæſaris inſculptam fuiſſe tradit *Joſephus* Judæus lib. 18. Antiq. Jud. cap. 3. & lib. 2. de bello Judaico cap. 8. *Philo* vero alter Judæus in lib. *de legatione ad Cajum* nomen tantum Cæſaris his clypeis inſcriptum fuiſſe affirmat. Utcumque res ſeſe habuerit, certiſſime conſtat, Judæos exiſtimantes hac novitate patrios ſuos ritus violari, excanduiſſe, arma ſumpſiſſe, & ſtrenue Pilato reſtitiſſe, ne quam contumeliam Judaicæ leges paterentur. Quo factum eſt, ut Pilatus metuens conſtantiam Judęorum, qui ſe pro lege Dei mori promptiſſimos exhibebant; clypeos juſſerit Cæſaream aſportari. Hęc fuerunt exordia Magiſtratus Pontii Pilati Judææ Præſidis, qui non ſolum injuſte vexavit populum, ſed etiam, non multos poſt annos, ad execranda Judæorum poſtulata Jeſum Chriſtum verum Deum & hominem Crucis ſupplicio addixit.

Digitized by Google

Vitellius Syriæ Præſes miſit *Marcellum* Judææ Procuratorem in locum Pilati, quem a Judæis accuſatum Romam navigare juſſit, cauſam ſuam coram Imperatore Tiberio peroraturum. Amovit etiam Vitellius Pontificatu Caipham, eique ſubrogavit Jonathan Anani filium. Tunc autem venalis eſſe cępit ſacer ille Magiſtratus, ad quem capeſſendum non ſcientia, non pietas, ſed humanus favor, nummique flagitabantur.

Mortuo Imperatore Tiberio, ſumma rerum potitus eſt *Cajus Caligula*, ſub cujus Imperii exordium, *Agrippa* Judæus, filius Ariſtobuli, nepos Herodis, qui primo verſatus in officiis *Druſi* & *Caji*, delatione deinde *Eutychi* ſui Liberti, quaſi Tiberio mortem, & Cajo, quem impenſe diligebat, Imperium apprecatus eſſet, in vincula ſex menſibus ante obitum Imperatoris Tiberii datus fuerat, vinculis exſolutus eſt, eique *Cajus* Imperator catenam auream pro ferrea impoſuit, & Tetrarchidem Itureæ, & Trachonitidis Philippi patrui ejus nuper funere elati, necnon Tetrarchidem Abilinæ, quam poſſederat *Lyſanias*, ſimul cum regia dignitate ei conceſſit. Aſt, dum Agrippa titulo Regis auctus ſuum per Ægyptum in Judæam reditum meditatur, Ægyptiorum, & maxime Alexandrinorum, in Judæos excitavit invidiam. Hi ſiquidem ægre admodum ferentes infenſæ ſibi nationis Judaicæ in novo Rege felicitatem, ſed præſertim magno ipſius Regis Agrippæ faſtu offenſi, Præſidem Ægypti *Flaccum* in Judæos exaſperarunt, quo, ſi minus aperte agente, ſaltem connivente, Agrippam Regem magno Alexandrini exceperunt ludibrio, eique ludicrum Regem, *Carabbam* nomine, fictis ornatum inſignibus, & inter inſanientis plebeculæ inconditos clamores per compita ductum oppoſuerunt. Neque hic fuit ultimus fabulæ actus; nam de repente, mutata ſcæna, ludus verſus eſt in tragicum luctum. In Judæos Alexandriæ degentes immiſſa clade promiſcue ſævitum eſt. Plures ex illis palam uſtulati, innumeri ferro, aut fame perempti, flagris cæſi, membratim diſcerpti, vel in crucem acti, dirutæ domus, Synagogæ ſimulachro Caji Imperatoris pollutæ, aliæque demum acceſſere calamitates, quas *Philo* Judæus oculatus teſtis lato calamo deſcripſit tum in Commentario adverſus Flaccum Ægypti Præfectum, tum in ſua legatione ad Cajum Imperatorem. Hæc omnia mala, quæ Alexandriæ paſſi ſunt Judæi, fuerunt præludia longe majorum malorum, quibus divina ultio Judæos ob effuſum Chriſti Servatoris noſtri ſanguinem affligere debebat. Nam circa idem tempus in una ſola Seleuciæ Urbe, conſpirantibus in Judæos Græcis cum Syris, ſupra quinquaginta Judæorum millia fuerunt trucidata.

Verum, ut revertamur ad id unde paululum digreſſi ſumus, poſtquam Rex Agrippa in ſuum Judææ Regnum poſt varia diſcrimina, & multa regiæ ſuæ dignitati ab Alexandrinis Civibus illata opprobria, appuliſſet, Herodis Antipæ patrui ſui incurrit invidiam. Antipas quippe Tetrarchiæ ſuæ in Regnum commutandæ percupidus, uxoris ſuæ Herodiadis ſuaſu, Romam una cum ipſa, ut hoc beneficium ab Imperatore impetraret, navigavit. Sed Antipas litteris Agrippæ apud Cajum Imperatorem proditionis accuſatus, in exilium ablegatus eſt Lugdunum cum uxore, quæ infauſtam ipſius ſortem ultro ſecuta eſt.

Agrippam Regem Tetrarchia Antipæ in exilium pulſi donavit *Cajus* Imperator, ejuſque Regnum, adjectis Judæa & Samaria, denuo amplificavit *Claudius* ſucceſſor Caji. At in tam ampla fortuna, Regnique proſperitate inſoleſcens Agrippa morte fœdiſſima periit. Enim vero, ſicut legitur in Actibus Apoſt. cap. 12. v. 21. ſtatuta quadam die, veſte regia & ſplendida ornatus ſedens pro Tribunali Agrippa, & orationem ad populum habens, ſui penitus oblitus ſivit ſe tamquam Deum honorari a populo acclamante: *Dei voces, & non hominis, confeſtimque percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus a vermibus expiravit*. Sic mortuus eſt Agrippa, Filiumque ſuperſtitem reliquit natum annos 17. dictumque Agrippam juniorem, quem patris ſui Regno Judææ in tot factiones diſtracto gubernando imparem cum judicaret *Claudius* Imperator, conſtituit poſt obitum Agrippæ *Cuſpium Fadum* Præſidem Judææ, cui præcepit, ut graviter animadverteret in Cæſarienſes, & Sebeſtanos, qui mortuo Agrippæ Regi inſignem ignominiam intulerant. Conceſſit etiam idem Imperator Herodi Chalcidis Regi, qui ſenioris Agrippę frater germanus erat, poteſtatem in Templum, & in ſacrum Ærarium. Mortuo autem illo Herode Chalcidis Rege, Agrippa junior, ipſius nepos, Regnum Chalcidis ab Imperatore Claudio obtinuit, eoque per quatuor annos potitus eſt. Sed poſtea, loco illius Regni Chalcidis, Tetrarchias Philippi & Lyſanię huic juniori Agrippæ aſſignavit idem Imperator, quibus inſuper partem Galileæ, hoc eſt, Tyberiadem, multaque ultra Jordanem Oppida addidit *Nero* poſt Claudium Imperator. Habuit hic junior Agrippa Palatium Hieroſolymis, cuſtodiam Templi, & jus eligendi, ac deponendi Pontifices. Tunc enim ſacra hæc, & ſuprema apud Judęos dignitas non erat amplius, ſicut antiquitus, uni familiæ annexa, nec ab eodem Pontifice ad mortem uſque retenta, ſed Reges, & Judææ Præſides eligebant pro ſuo arbitrio Pontifices, aut eos Pontificatu abdicabant; adeo ut mirum non ſit, quod in hanc Pontificalem dignitatem ſeſe ſępius intruſerint ambitioſi viri omnino indigni, qui ad eam ſublimarentur.

D. Tot inter rerum inclinationes, & ſtatus Judaici converſiones, tranquilla ne erat Judęorum conditio?

M. In variis iſtis Judaici ſtatus permutationibus deploratiſſima fuit Judæorum conditio ob intolerabile Romanorum jugum, ob avaritiam, & crudelitatem Pręfectorum, atque petulantiam Militum, qui Judęis graviſſima damna inferebant. Hinc publica erant latrocinia, neces, Civitatum dirutio, domorum conflagratio, inteſtina inter ipſos Judęos bella, quę promovebant quidam Zelotę Judæi (ſic dicti, quod Patrię libertatis zeloſos

ſe

Digitized by Google

ſe ſimularent) qui, ſub ſpecioſo obtentu a Judæorum cervicibus excutiendi Romanorum jugum, promiſcue in omnes tam viros, quam mulieres atrociter ſæviebant, multoſque tumultus excitabant, quibus tandem Civitas Hieruſalem vaſtata eſt, & Templum omnibus adorandum evaſit ſanguinis lacuna, latronum ſpelunca, occiſorum ſepulchrum, ſævitiæ Theatrum, & Tyrannorum domicilium.

D. Perge, quæſo, narrare turbas, & calamitates, quibus Judæi agitati fuerunt uſque ad ultimam Urbis Hieroſolymitanæ cladem.

M. Imperante *Claudio* novam ſub *Ventidio Cumano* Judææ Præſide turbis occaſionem dedit apud Judæos Romani cujuſdam militis impudentia. Ille quippe Hieroſolymis ad fores Templi juſſu *Cumani* excubans, frequentiſſimo populo ad Paſchæ ſolemnia affluenti obſcænam corporis partem indecore nudatam in Judæorum contemptum oſtendit. Exarſit confeſtim ea contumelia populus Judæorum in *Cumanum* Præſidem, qui, inſtructo ad Turrim Antoniam agmine, motam ſeditionem omni diligentia ſedare adnititur. At Judæi ſuſpicari, ſe ad necem peti, milites aggreſſi ſunt, victi tamen Judæi, atque profligati ab exercitu Romanorum, viginti tria eorum millia interierunt. Sub idem tempus, exortum eſt Judæos inter, & Samaritanos diſſidium, quod infeſtis armis utrimque dum gliſcit, tempeſtive ſublatum eſt a *Quadrato* Syriæ Præſide, qui ſeditionis authores addixit ſupplicio, & *Cumanum* Judææ Præfectum miſit Romam una cum Legatis Samaritanorum & Judæorum, ut coram Imperatore Claudio cauſam dicerent. Hos ubi audivit Imperator, favit Judæis, totiuſque belli & ſeditionis originem in Samaritanos refudit, *Cumanum* Præfectura Judææ abdicatum exilio damnavit, & in ejus locum ſuffecit *Felicem* Judææ Procuratorem, qui poſtquam Judæam a latronibus, ſicariis, impoſtoribus, aliiſque id genus nefariis hominibus, liberaſſet, novis tumultibus occaſionem ipſe præbuit, dum Jonathanem, qui fuerat Summus Sacerdos, per ſicarium interfici juſſit. Ex ea ſiquidem ſceleris impunitate multi ſicarii audaciores facti occultos ſub veſte pugiones geſtantes feſtivis diebus, quando major erat Hieroſolymis populi concurſus, impune eos, quos oderant, occidebant. Sic in pejus ruebant Judæorum mores, neque dilata ſunt exordia ultimæ illorum cladis, quam viſa Hieroſolymis ſigna portenderunt. Hora quippe nona lux ingens circa Altare per mediam horam effulſit. In feſto Azimorum porta Orientalis ærea, quam multi homines ægre poterant impellere, ſponte patefacta eſt circa horam noctis ſextam. In ipſo die Pentecoſtes, cum Sacerdotes in Templo verſarentur Deum de more precaturi, auditus eſt ingens ſtrepitus cum his vocibus: *Migremus hinc*. Denique, homo quidam plebejus & ruſticus Hieroſolymitanam cladem præcinuit, ſæpius flebilibus modis *væ væ* Hieroſolymis ingeminans, neque monitis, aut ſævis verberibus abſtinuit, donec Balliſta Romanorum vocem ei cum vita eripuit.

Hæc fuerunt funeſta imminentis ultimæ Judæorum cladis præſagia, cui initium dedit *Geſſius Florus* Judææ Procurator, & *Albini* ſucceſſor, cujus tyrannidem Judaica natio ad biennium tulit, ſed eo tandem deſperationis adacta eſt, ut, ſeditione excitata, obſtinatiſſimo animo defecerit a Romanis. Imperabat tunc temporis *Nero*, qui a Batyllo, olim ipſius Pædagogo, inſtigatus Judæis Cæſareæ degentibus jus Civitatis penitus abrogavit, & ſolis Gentilibus conceſſit. Hinc bellum, quod Cæſareæ Judæos inter & Syros jam fuerat excitatum, acrius recruduit, cumque utrinque graſſationibus ageretur, & aliunde Judæi Geſſium Florum, cujus tyrannidem ferre amplius non poterant, diriori morte dignum occidiſſent; *Ceſtius* Syriæ Præſes, ut Judæos in ordinem redigeret, venit Hieroſolymam cum exercitu, ſed inde a Judæis fugatus, quinque millia Romanorum & Arabum peditum, ac trecentos cum Aquila Romana perdidit, equites vero nongentos octoginta. Judæi, fuſis Romanorum copiis, ſe ad bellum præparant, ſed eorum defectionem cum primum audiiſſet *Nero* Imperator, Flavium Veſpaſianum cum exercitu in Judæam miſit, qui rem ſtrenue, ac feliciter geſſit, duaſque munitiſſimas Urbes, *Jopem*, & *Jotapatam* expugnavit, in quarum ultima cepit Joſephum Judæum, qui ei præcinuit Imperium. Tunc miſerrimi Judæi ſpe ſua deluſi, agnoverunt non ſemper bellorum exitus iniriis reſpondere, ſed, ut vulgo dicitur, *ſero ſapiunt Phryges*. Venerat quippe illud tempus a Prophetis, & a Chriſto Domino prædictum, quo Urbs Hieruſalem a Romanorum exercitu obſideri, ac penitus exſcindi debebat. Ad illius igitur Civitatis obſidionem dum ſeſe accingeret Veſpaſianus, acclamatione exercitus ſuſcepit Imperium, & filio ſuo Tito Judæam debellandam reliquit. *Titus* itaque Civitatem Hieruſalem obſeſſurus 18. Kal. Maji Caſtra in monte Oliveti collocat, ſuumque ex variis gentibus conflatum exercitum explicat. Tum Judæi, qui Hieroſolymis erant; omneſque extranei, qui, propter imminens Paſchæ feſtum, de more Hieroſolymam confluxerant, ad defenſionem Urbis certatim conſpirarunt, & Ducibus *Joanne*, *Eleazaro*, & *Simone* ſeſe pro legibus patriis devoverunt. Interim, Romanus miles, poſt primi & alterius muri expugnationem, in tertium invaſit, magnamque edidit Judæorum ſtragem. Urgebat inſuper obſeſſos Judæos, præter inteſtinam ſeditionem, crudeliſſima fames, quæ tanta fuit, ut, teſte Joſepho, coria, calcei, fœnum, ſtabulorum ſtercora, magno pretio venirent, & humanæ carnes ſumerentur in cibum. Quin, quod crudelius eſt, horretque cogitare animus, matres filiis ſuis non pepercerunt. Reperta ſiquidem eſt nobilis, ac prædives fœmina, nomine *Maria*, quæ filiolum ſuum lactentem, & adhuc ad ubera appenſum, aſſatum comedit. Præterea, ingens erat in Civitate pereuntium numerus, & illi, qui, ut ſuæ ſaluti conſulerent, fuga ſeſe ex illa proripuerunt, in Syros & Arabes inciderunt, a quibus reſecto ventre, quoniam aurum ſuum voraſſe credebantur, fuere crudeliter interempti, quorum duo millia una tantum nocte reperta eſſe ſcribit *Joſephus*. Sic miſeri Judæi incidebant in Scyllam, volentes vitare Charibdim. Tot Judæorum miſerias, & proximam,

atque

Digitized by Google

atque ineuitabilem cladem cum intueretur *Titus*, eos ad deditionem invitavit, ſed ſurdis cecinit, nec eos a funeſto pereundi propoſito, quod altius animis infixerant, ullo pacto abducere potuit. Quare capta actutum Antonia Turre, excitatoque per militem incendio, Auguſtiſſimum Templum, totoque Orbe celeberrimum conflagravit, Hieroſolyma capta, exciſa, ab imis fundamentis diruta, flammiſque penitus abolita. Sic concidit ſancta illa Civitas, quam olim Deus in deliciis habebat, ſuoque Templo, & Oraculis dignatus eſt, in cujus obſidione undecies centum Judæorum millia cæſa, aut fame conſumpta ſunt, captivorum vero numerus nonaginta & ſeptem millia. Sic Deus nationem Judaicam reprobavit, & Romanorum furori permiſit, quod etiam agnovit ipſemet *Titus*, qui Urbis Hieroſolymæ, ac Judæorum ruinam, non ſuis armis, & militum fortitudini, ſed ſoli voluntati Dei, ejuſque præpotenti virtuti acceptam referri debere palam profeſſus eſt.

D. Certe digitus Dei hic eſt. Juſtum quippe erat, ut Judæi, qui jugum Chriſti veri Meſſiæ cæco furore abrepti ſubire detrectarunt, Romanorum tandem aliquando paterentur tyrannidem, & qui ſui Servatoris ſanguinem fuderant, merſi perirent ſuo. Sed quænam, amabo, fuit poſt excidium Hieroſolymitanum Judæorum conditio?

M. Poſt ruinam Hieruſalem, Judæi per totum Orbem diſperſi ſunt, paucis exceptis, qui in Palæſtina remanſerunt. Sed cum Cælum ac ſolum, non tamen animum ad ſeditiones pronum mutarent, pluribus in locis jugi ferendi impatientes, & univerſarum in ſe nationum odia concitantes, contra Imperatores ſæpius rebellarunt. In primis, ſub *Trajano* Imperatore Judæi in Ægypto, in Inſula Cypri, & in Meſopotamia perduelles arma ſumpſerunt, & aperto marte contra Romanos bellare cœperunt. Sed tandem victi atque proſtrati, hinc expulſi ac diſperſi ſunt. Novam ſub *Hadriano* Imperatore defectionem moliti Judæi Palæſtinæ ad arma cucurrerunt Duce *Barchocheba*, quem ſibi Regem præfecerunt, ſed *Julius Severus* a Romanis cum Exercitu miſſus, ut procacem eorum petulantiam compeſceret, commeatu prohibito, variiſque ſtratagematis uſus illos ita fregit, ut pauci admodum Judæi ex illo tumultu ſalvi evaſerint. Hieruſalem iterum funditus diruta eſt, novaque in reſiduis antiquæ Urbis ruderibus extructa eſt Civitas, quam ſuo nomine *Æliam* appellari voluit Hadrianus Imperator. Obſederunt inſuper Romani Urbem dictam *Betherem*, eaque poſt diuturnam obſidionem potiti ſunt. Arces Judæorum munitiſſimæ quinquaginta, vicique inſignes nongenti octuaginta quinque penitus everſi ſunt. Cæſa in excurſionibus, & prælis quingenta octuaginta quinque Judæorum millia, præter innumeros, qui fame, morbo, igne perierunt. *Barchochebas* inſignis impoſtor, & ſeditionis author captus, & occiſus eſt, tantaque fuit Judææ devaſtatio, atque depopulatio, ut ejus agri inculti jacerent, totaque Palæſtina horribile deſertum diceretur. Sic attriti Judæi cervicem amplius erigere non potuerunt, aut, ſi pro innata ſibi ſævitate ſub Imperatoribus *Severo*, *Conſtantino*, & *Conſtantio* tumultuari, bellaque movere tentarunt, confeſtim ſubacti, ac domiti ſunt, eorumque nullo negotio repreſſa audacia. Voluit quidem Imperator *Julianus* Apoſtata Templum Hieroſolymitanum ſolo æquatum, in odium Chriſtianæ Religionis, inſtaurare, ſed flammis e fundamentis erumpentibus, aliiſque id genus portentis, quæ refert id ætatis Scriptor Ethnicus *Marcellinus*, ab incepto opere deſiſtere coactus eſt. Quapropter, Judęi ſua ſpe deluſi omnem de recuperanda libertate, & de rędificando Templo cogitationem abjecerunt, duroque ſervituti mancipati ſub aliis Imperatoribus Chriſtianis vixerunt, cum poteſtate tamen ſuam legem, ſuoſque ritus obſervandi, dummodo Chriſtianis non inſultarent, eoſque in ſuam ſectam non inducerent, quod illis diſtricte, & ſub graviſſimis pœnis vetitum eſt. Verum, deſtructo ſemel Hieroſolymitano Templo, in quo ſolo juxta legem ſacrificia Deo offerri debebant, non potuerunt deinceps Judęi, hac illac per Orbem diſperſi, omnia legis ſuę adimplere officia, maxime cum interrupta tunc eſſet ſeries familiarum, quibus annexum erat Sacerdotium, tantaque apud Judęos eſſet confuſio, ut nec tribus, nec familias ullo pacto diſcernere poſſent. Id ęgre ferentes Judęi, ut in aliquod corpus coaleſcerent, & aliquam regiminis formam retinerent, Ducem ſibi conſtituerunt, quem Judęi, qui degebant in Judęa, *Patriarcham* appellarunt; Judęi vero, qui in Oriente Sedes ſuas fixerant, *Principem captivitatis* nuncuparunt. Sed hos Judęorum Patriarchas omnino abolevit *Theodoſius* Imperator anno Chriſti 429. & incerta, ac tantum non fabuloſa videtur ſeries illa Principum captivitatis, quam ad undecimum Eccleſię ſęculum protrahunt Judęi. Fabularum itidem loco acceſſeri debet, quidquid Rabbi *Benjamin Tudelenſis* in ſui Itinerarii Hiſtoria ſcribit de illo *Æcmalotarcha*, ſeu Principe, qui in Aſia Judaicum Imperium tenet. Hęc ſiquidem de Aſiatico Judęorum Imperio, & de illo, Aecmalotarcha Principe Judęorum narratio, pura putaque fabula eſt, quę facile exploditur ex relationibus illorum, qui Orientem ſuis peregrinationibus luſtrarunt, & longinquarum, quas complectitur, Regionum accuratam notitiam tradiderunt. Hi ſiquidem omnes ne minimum quidem illius Imperii, vel Principatus Judęorum Aſiatici veſtigium oſtenderunt, & de eo nullam prorſus mentionem fecerunt. Hoc unum certum eſt, & extra omnem dubitationis aleam poſitum, Judęos per omnes nationes undequaque diſperſos, nec Reges, nec Magiſtratus habuiſſe, ſed Rabbinos dumtaxat, ſeu Doctores, quibus ex officio incumbebat palam docere, & legem interpretari in Synagogis. Quod ſi identidem apud Judęos nonnulli impoſtores, & Pſeudo-Meſſię inſurrexerint, Regiamque dignitatem affectarint, hi confeſtim, detecta fraude, fuerunt diſſipati, & artes ſubdolæ, quibus Judæis, hac in re plus æquo credulis, fucum facere, eorumque ora ſublinere tentarunt, omni exitu caruerunt. Sęd ſatis, opinor, hactenus expo-

ſui

Google

ſui infeliciſſimam ſortem Judæorum, qui a tempore, quo crucifixerunt Chriſtum Dominum ad hanc uſque ætatem noſtram, hoc eſt; per mille ſeptingentos & amplius annos, Republica, & Civitate propria carent, Sacerdotio deſtituti, & Regno, vagi, & profugi toto terrarum Orbe calamitatibus obruuntur, &, ob antiqui ſceleris memoriam, omnibus nationibus exoſi duriſſimam ſub Chriſtianis, quos odio vatiniano proſequuntur, ſerviunt ſervitutem. Quæ omnia per ſuos Prophetas prædixerat Deus, dicens: Judæos per Mundum divagaturos, tranſituros de gente in gentem, & de Regno in populum alterum ſine Duce, ſine Rege, ſine Templo, ſine Sacerdote (*a*).

„ (*a*) Omnia hic tradita, ex idoneis Scriptori-
„ bus accepta eſſe, fateor, nec aliquid adden-
„ dum, quamvis fieri non difficile poſſe, arbi-
„ trarer. Unum eſt, quod ſilendum non cenſeo,
„ deductum ex vetuſto chronico Samaritanorum,
„ quod integrum ab Eduardo Benardo, viro An-
„ glo & eruditione claro, tranſmiſſum, dederunt
„ Auctores Actuum Lipſienſium an. 1691. pag.
„ 167. idque ipſis chronici verbis hic refero.
„ Anno 4557. Græcorum (Chriſti 132.) *an.*
„ XVI. *Acbonis Pontificis Samaritani, Hadrianus*
„ *Imperator ex Ægypto reverſus, ubi complures*
„ *Chriſtianos interfici juſſerat, Judæos affligere cœ-*
„ *pit, & obſidione Jeroſolymam premere, neque pe-*
„ *percit Samaritanis, quamvis uxorem habuerit Sa-*
„ *maritidem ex Iſuph.*

„ *Anno* 4560. *Chriſti* 135. *an.* 19. *Acbonis Pon-*
„ *tificis, Hadrianus, uſus conſilio Ephræmi & Me-*
„ *naſſis, profugorum e Samaritis, urbem Jeroſoly-*
„ *mam expugnat, & delet ignibus; Judæis omni-*
„ *bus pœna capitis loco iſto prohibitis, imo & agro*
„ *Samaritano, ad bis duodecim paraſangas. Idem*
„ *Imperator poſt hæc Samaritis beneficia & honores*
„ *eximios contulit, erectis etiam ſtatuis profugorum,*
„ *quos dixi, ſuper tetraſtylo in Neapoli*. Fanum*
„ *etiam extruxit in Hargarizim juxta templum Sa-*
„ *maritanorum, idque januis Jeroſolymitanis ex ære*
„ *hiſpanico munivit, exornavitque.*

„ Addit idem Chronographus ad annum Chriſti
„ 138. Antoninum Imperatorem legem Moyſis
„ didiciſſe, & ſecundum illam vitam ac regimen
„ inſtituiſſe. Fides omnium ſit penes auctorem.

D. Ex pœnis, quibus, poſt necem Chriſto Domino illatam, miſeri ſubjacent Judæi olim a Deo prædilecti, & innumeris cumulati beneficiis, ex tot miſeriis & calamitatibus, quibus etiamnum opprimuntur, & quæ longe omnes alias, quas antehac in varias abducti captivitates pertulerant, excedunt; nullo negotio intelligo, Judæos non eſſe Deo gratos, ſed potius ob nefandiſſimum poſt hominum memoriam ſcelus, quod, Jeſum Chriſtum verum Meſſiam crucifigendo, perpetrarunt, fuiſſe prorſus a Deo derelictos, & in ſuis pluſquam cimmeriis tenebris involutos, traditos fuiſſe in reprobum ſenſum. Id, inquam, ex Hiſtoria & Tragœdia Judæorum, quam mihi exhibuiſti, tam clare nunc percipio, quam radios Solis in meridie cerno. At nunc, ſi placet, exponas mihi velim varias illas Sectas, in quas diſtracti erant Judæi, quarumve meminit SacroSanctum Evangelium, *Phariſæorum* videlicet, *Sadducæorum*, & *Herodianorum*. Optarem quippe ſcire a quo tempore exordium habuerint ejuſmodi Judæorum Sectæ, & quid peculiare earum Aſſeclæ docuerint.

M. Ante Regnum Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, nullum apud Judæos Sectarum Phariſæorum, Sadducæorum, & Herodianorum extat veſtigium. Trium harumce Sectarum meminit Evangelium, ſed Joſephus Hebræus Sectam Herodianorum prætermiſit, & Sectam Eſſenorum adjunxit Sectis Phariſæorum, & Sadducæorum. Memorat etiam idem Joſephus aliam, quæ apud Judæos invaluerat, Sectam Galilæorum, cujus auctor putatur *Judas Galilæus*, qui nullum in terris Dominum agnoſcendum eſſe dictitabat, præter Deum ſolum. Phariſæorum Secta jam ſub Regno *Alexandri Jannæi* maxima apud Judæos auctoritate pollebat, eratque conflata ex quibuſdam Judæis, qui Majorum ſuorum traditionibus, quaſi Polypi ad ſaxum, indivulſe adhærebant, & auſterum ſectabantur vitæ genus, ut vanam vulgi gloriam aucupari poſſent. Inſuper legem Oralem a Deo in Monte Sinai datam fuiſſe Moyſi pertendebant; futuram Corporum Reſurrectionem, nec non præmiorum, ac pœnarum in altera vita retributionem acerrime propugnabant. Ex adverſo Sadducæi traditiones repudiabant, Angelorum, & Animarum ſpiritualitatem, atque Corporum Reſurrectionem inficiabantur. Eſſeni erant quidam Judæi Sadducæis e diametro oppoſiti, quippe qui Animarum immortalitatem adſtruebant, & a cæteris Judæis, puriori quodam vivendi genere, ſeu Aſceticæ vitæ ſtudio dumtaxat diſceeabant: Poſtremo Herodiani, ſic dicti ſunt a quodam Herode, quem nonnulli exiſtimant, fuiſſe Herodem magnum, qui regnabat in Judæa, quando in lucem editus eſt Chriſtus Servator noſter. Alii vero autumant, fuiſſe Herodem Tetrarcham Galilææ, magni Herodis filium, qui vivebat eo tempore, quo Chriſtus Dominus Mundum doctrina ſua imbuebat. Fertur, illos Herodianos docuiſſe, Herodem eſſe Meſſiam. Sed veroſimilius eſt illos in alios prorupiſſe errores, cum Chriſtus in Evangelio Marci cap. 8. v. 15. ſuos præmoneat Diſcipulos, ut ſibi caveant a fermento Herodis, dicens: *Videte, & cavete a fermento Phariſæorum, & fermento Herodis.* Hæc Herodianorum Secta, quæ paucos Aſſeclas nacta eſt, poſt obitum Herodis omnino extincta eſt. Tres vero aliæ Sectæ, ſeu Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſenorum, quæ circa Machabæorum tempora emerſerunt, diu apud Judæos poſt deſtructionem Hieruſalem perſtiterunt. Præter has Sectas a nobis memoratas, fuerunt etiam apud Judæos Sectæ Samaritanorum, Caraitarum, & Rabbaniſtarum. Samaritani infenſiſſimo odio proſequebantur Judæos, nulloſque alios libros in ſuo Scripturæ Sacræ Canone admittebant, præter quinque libros Moyſis, quos antiquis Hebraicis caracteribus exaratos jugiter conſervarunt. Caraitæ erant Judæi, qui legem oralem, ſeu traditiones reſpuebant, & unicum purum Scripturæ

Sa-

Digitized by Google

Sacræ textum recipiebant. In Oriente multi etiamnum reperiuntur Judæi Caraitæ. Denique, Rabbaniſtæ erant hi Judæi, qui legem oralem, ſeu traditiones, omneſque Rabbinorum expoſitiones obviis ulnis excipiebant, atque in ſummo pretio habebant. Horumce Rabbaniſtarum Secta perſeverat in Judæis, qui per totam Europam ſunt diſperſi. Sed has Judæorum Sectas levi brachio attigiſſe, ſat ſuperque ſufficiat.

D. Judæorum Sectas modo compertas habeo. Quapropter hoc unum ſupereſt, quod a te edoceri cupio; videlicet, quid apud Judæos Proſelytorum nomine intelligendum veniat?

M. Duo apud Judæos erant olim Proſelytorum genera. Alii ſiquidem erant Proſelyti *ex Juſtitia*, ſicut loquuntur Rabbini; alii *ex Domicilio*. Proſelyti *ex Juſtitia* erant hi, qui Ethnicis ſuperſtitionibus relictis, hoc pacto Judaicæ Religionis myſteriis initiabantur. In primis, circumcidebantur, deinde, quodam ſuo Baptiſmo abluebantur, & denique, vero Deo ſacrificium offerebant. Mulieres vero, quæ Idololatriam deteſtantes, Judaicam Religionem amplectebantur, omiſſa circumciſione, per Baptiſmi ſuſceptionem, & Sacrificii oblationem Proſelytarum fœminarum numero accenſebantur. Hi Proſelyti, uti docent Rabbini, omnia legis Moſaicæ præcepta, non ſecus ac Judæi, obſervare tenebantur. Idque non obſcure colligi poſſe videtur ex multis locis Scripturæ ſacræ, Levitici cap. 16. v. 19. ubi dicitur: *Menſe ſeptimo, decima die Menſis affligetis animas veſtras, nullumque opus facietis, ſive indigena, ſive advena, qui peregrinatur inter vos*. Nomine autem *indigenæ*, ſeu *advenæ*, de quo ibi loquitur Scriptura ſacra, indigitantur hi, qui apud Judæos erant Proſelyti *ex Juſtitia*, quibus, perinde ac Judæis legem Moſaicam obſervandi onus incumbebat. Idem circa illos Proſelytos *ex Juſtitia* ſtatutum legimus Levitici cap. 17. v. 9. & 10. & cap. 25. ejuſdem libri v. 5. & 6. Exodi cap. 12. v. 48. & 49. & lib. Numerorum c. 15. v. 13. & 14. At vero Proſelyti *ex Domicilio* dicebantur illi, qui excuſſis Idololatriæ tenebris, in ſocietatem Judæorum admittebantur, neque tamen circumcidebantur, aut Baptiſmo tingebantur, ſed tantum coram tribus teſtibus Judæis ſeſe adſtringebant ad obſervationem ſeptem mandatorum juris naturalis Gentium, quę Judęi appellitare ſolebant *ſeptem mandata Noachidarum*, ſeu filiorum Noemi. Quorum primum prohibet Idololatriam. Alterum pręcipit, ut laudetur ſanctiſſimum Dei nomen. Tertium, Homicidium damnat. Quartum, Adulterium & Inceſtum vetat. Quintum, cavet ne quis furtum faciat. Sextum, ſtatuit jus unicuique eſſe reddendum, & Magiſtratibus juſtitię arbitris obtemperandum. Ultimum, jubet a carne ab animali adhuc vivo pręciſa omnino eſſe abſtinendum. Ad hęc, inquam, tantum ſeptem juris naturalis Gentium obſervanda pręcepta obſtringebantur illi, qui apud Judęos Proſelyti *ex Domicilio* dicebantur, & ab aliorum legis Moſaicę pręceptorum obſervatione liberi prorſus erant, ſicut innuit Scriptura ſacra cap. 25. libri Levitici v. 20. & 21. *Omne, quod eſt mundum, comedite, quidquid autem morticinium eſt, ne veſcamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas eſt, da ut comedat, aut vende ei, quia tu Populus ſanctus Domini Dei tu es*. Ubi Scriptura nomine *Peregrini* indicat Proſelytum *ex Domicilio*, qui apud Judęos degens poterat veſci morticinio, cujus tamen eſus Judæis erat lege prohibitus. Cæterum, quamvis hi Proſelyti *ex Domicilio* nec Judæi eſſent, nec legem Moſaicam obſervarent, eos tamen Judæi tamquam viros probos in ſuam ſocietatem admittebant, quin & illos æternam ſalutem conſequuturos non dubitabant, ſi hæc ſeptem juris naturalis Gentium mandata, quæ mox recenſui, ſedulo obſervarent. Alios autem homines, qui nec ex juſtitia, nec ex Domicilio Proſelyti erant, a ſua ſocietate Judæi penitus arcebant, nec eos in Judæa habitare ullo pacto permittebant; immo, ſi aliquos ejuſmodi homines in Judæa domicilium habentes offendiſſent, illos tuta & inculpata conſcientia a ſe interfici poſſe autumabant. Sed plura de his Judæorum Proſelytis leges, ſi per otium vacet, apud *Seldenum* in libro, quem edidit *de Jure naturali & Gentium*.

D. Satis de calamitatibus Judæorum, eorumque Sectis, & Proſelytis ſermonem texuimus; nunc tranſitum faciamus ad hiſtoriam Hæreſium, quæ tribus primis ſæculis Eccleſiam Chriſti infeſtarunt, quarum exordium, progreſſum, atque interitum, ut mihi dilucide exponas, te etiam atque etiam rogo.

M. Annuo lubentiſſime. Sed ne longius protrahatur hodiernum noſtrum colloquium, finem huic imponamus, & Hiſtoriam Hæreſum, quæ tribus primis ſæculis Eccleſiam Chriſti exagitarunt, opportunius ad proximum colloquium remittamus.

COLLOQUIUM IV.

In quo texitur Hiſtoria Hæreſum, quæ tribus primis ſæculis Eccleſiam infeſtarunt.

D. JUxta illam expeditam methodum, quam in tradenda mihi hiſtorię Eccleſiaſticę notitia te principio ſecuturum ſpopondiſti, nunc recto ſequitur ordine, ut diſſeras de Hęreſibus, quę tribus primis ſęculis in Eccleſia pullularunt. Sed cum necdum ſatis compertum habeam, quid ſibi velit illud Hęreſis nomen, expone prius, quęſo, quid ſit Hęreſis?

M. Hęreſis, juxta tritum, qui nunc apud omnes obtinet, loquendi modum, dicitur ſocietas hominum, qui mordicus adhęrent erroribus diſſeminatis ab aliquo Hęreſiarcha, ſeu alicujus Sectę Anteſignano, quique pertinaciter aliquem Fidei articulum in Eccleſia Catholica receptum oppugnant, definitionibus Eccleſię parere detrectant, ejuſque doctrinam falſis dogmatibus corrumpunt. Quapropter, inter Hęreſim & Schiſma hoc intereſt diſcriminis, quod Hęreſis annexum ſemper habet perverſum aliquod dogma; Schiſma vero propter Epiſcopalem diſſenſionem, vel ob aliqua diſciplinę capita ab Eccleſia Catholica ſeparat. Hinc Hęretici dicuntur illi, qui ab Eccleſia ſeparan-

parantur, poſtquam in dogmatibus fidei jamjam diſſenſerunt. Schiſmatici autem appellantur ii, qui ab ipſa inchoantes ſeparatione, infeſta deinde adjecerunt dogmata. Uno verbo, Hæreticus eſt, qui non ſequitur Catholicam unitatem; Schiſmaticus eſt, qui non amplectitur Catholicam pacem, ait S. Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium cap. 3. De Hæreſibus, quæ in Eccleſia exortæ ſunt, accurate tractant *S. Irenæus* in libris adverſus Hæreſes, *Tertullianus* in libro de Præſcriptionibus Hæreticorum, *S. Epiphanius* in lib. de Hæreſibus, *S. Auguſtinus* in lib. de Hæreſibus *ad Quod vult Deum*, *Theodoretus* in libris Hæret. fab. *S. Damaſcenus*, & *Philaſtrius* in lib. de Hæreſibus, ex quibus hauriam quidquid de Hæreſibus, quæ in tribus primis ſæculis in Eccleſia eruperunt, in hoc colloquio dicturus ſum.

D. Quandonam in Eccleſia Hæreſes ſuboriri cœperunt?

M. Epocha, a qua duci debeat origo Hæreſum, certo præfigi haud poteſt. *Hegeſippus* antiquiſſimus auctor citatus apud Euſebium affirmat, Hæreſes dumtaxat in Eccleſia enatas eſſe poſt martyrium S. Jacobi Juſti Epiſcopi Hieroſolymitani, ſub Pontificatu Simeonis filii Cleophæ, hoc eſt, poſt annum Chriſti ſexageſimum. Tunc enim, ut ait idem auctor, quidam *Thebutis* nomine, ægre ferens, quod in Epiſcopatu, quem ambiebat, repulſam fuiſſet paſſus, peregrinis, falſiſque doctrinis Chriſtianos a vera fide diducere, & a cœtu fidelium diſſociare cœpit. Quis autem fuerit ille *Thebutis?* vel e qua Patria oriundus? quamve ſparſerit Hæreſim? in occulto eſt, & altum apud Hiſtoricos ſilentium. Vero quam ſimillimum videtur, hunc Hæreſiarcham nullos nactum eſſe Aſſeclas, ac ſubinde nulli ſectæ ſuum indidiſſe nomen. *Clemens Alexandrinus* lib. 7. Stromatum, pag. 549. originem Hæreſum, quæ emerſerunt in Eccleſia, refert ad tempora Hadriani Imperatoris; nec ab ea ſententia abhorret *Euſebius* in Chronico, ubi ſub eodem Imperatore multarum Hæreſum conſtituit exordium.

D. Eſt ne accurata hæc Clementis Alexandrini & Euſebii de origine Hæreſum allata Epocha?

M. Altius repetendam eſſe originem Hæreſum, ex eo maxime liquet, quod *Simon Magus*, qui vulgo primus in Hæreticorum grege numerari, eorumque primipilus, ac Coriphæus audire ſolet, ſuam ſectam, ex qua complures antiquiores Hæreſes, velut ex virulento fonte ſcaturierunt, longe ante Hadriani Imperatoris tempora conflaverit. Hinc eſt, quod periti hiſtoriæ Eccleſiaſticæ authores numerent quinque Hæreſes, quæ in primo Eccleſiæ ſæculo graſſatæ ſunt, quarum prima eſt *Simonis Magi*; altera, *Menandri* ejuſdem Simonis Magi diſcipuli; tertia, *Nicolaitarum*; quarta, *Cerinthi*; quinta, *Ebionitarum*. Has Hæreſes ut tibi ordine exponam, incipio ab Hæreſi Simonis Magi, qui Gitthis Samariæ vico oriundus, præſtigiis ſuis, ac magicis artibus, quas apprime callebat, poſtquam Samaritanorum animos ſibi devinxiſſet, eo dementiæ prorupit, ut palam diceret, ſe eſſe *magnam Dei virtutem*. Sed a Philippo, uno ex ſeptem Diaconis, Samariæ prædicante & doctrinam ſuam ſtupendis prodigiis ac miraculis confirmante, ad fidem Chriſti converſus, & tum aliis Samaritanis ſalutari lavacro expiatus, Philippo ſeſe adjunxit. Cum vidiſſet autem Simon Magus, quod ad manuum impoſitionem Apoſtolorum Petri, & Joannis, qui Samariam miſſi fuerant, Spiritus Sanctus in fideles baptizatos illaberetur, eamdem poteſtatem, qua Spiritum Sanctum per manuum impoſitionem, Apoſtolorum inſtar, dare poſſet, ſacrilega nundinatione ab Apoſtolis emere, & auri, argentique pretio licitari tentavit. Qua de cauſa hic ſacrilegus licitator a S. Petro fuit increpitus his verbis: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri .... pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Actuum Apoſt. cap. 8. quibus verbis, quaſi repentini fulminis ictu perculſus Simon Magus reſpondit: *Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat ſuper me horum, quæ dixiſtis.* Non reſipuit tamen Simon Magus, nec ad meliorem frugem ſe recepit, quia ementitam dumtaxat exhibuit pœnitentiam. Quare diſcedens ab Apoſtolis, ejurato Chriſtianiſmo, cœpit inſitam Samaritanorum animis Apoſtolicam doctrinam eradicare, & Magicæ arti impenſius operam dare, in qua adeo excelluit, ut omnes in ſtuporem raperet, & in ſui admirationem converteret. Relicta dein Samaria, varias perluſtravit Provincias. & cum Tyrum Phœnices Civitatem perveniſſet, *Helenam* Quæſtuariam & publicam meretricem, ſibi ſociam adſcivit; quam ubique poſtea ſecum circumduxit. Tandem, poſtquam Orientis peragraſſet Provincias, Romam appulit; in qua Urbe ſtatuam ipſi poſitam fuiſſe cum hac inſcriptione: *Simoni Deo Sancto*, Euſebius, Cyrillus, & alii ſecuti S. Juſtinum, prodiderunt. Non deſunt tamen naris emunctæ hujus tempeſtatis Critici, qui S. Juſtinum, hominem Græcum, hac in re fuiſſe hallucinatum exiſtimant, eumque, cum vulgarem, ac paſſim extantem Epigraphen legiſſet: *Semoni Deo Sango*, Simonem pro *Semone* accepiſſe. Optime ſiquidem obſervat doctiſſimus Valeſius in animadverſionibus Euſebianis lib. 2. cap. 13. ſtatuam illam, quam in Inſula Tiberina viderat Juſtinus, hanc habuiſſe inſcriptionem: *Semoni Sango Deo Fidio*. *Sangus* quippe Deus erat apud Sabinos, qui pactis, & fœderibus præerat, a ſanciendo dictus; unde etiam *Deus Fidius* appellabatur a fide, quæ in pactis, & fœderibus ſervari debet. Quin etiam per hunc Deum ſoliti erant jurare Romani. Ut ut ſit de hoc facto hiſtorico, convenit apud omnes, Simonem Magum veniſſe Romam, ibique ſuam ſectam propagaſſe, donec Sanctus Petrus Apoſtolorum Princeps Romam ingreſſus, peſtilentem ipſius doctrinam confutavit, larvam ei detraxit, ac famam, quam apud Populum plus æquo credulum magicis ſuis artibus erat adeptus. Quidam auctores quarti & quinti ſæculi referunt, Simonem Magum Neroni, tum temporis Imperatori, Populoque Romano ſuis præſtigiis illudere volentem, a malis geniis in altum curru igneo vectum per aera, inſtar alterius Dædali, volare viſum eſſe, ſed orante Sancto Petro, ab Stygiis illis vectoribus deſtitutum protinus in terram corruiſſe, & fractis cruribus, totoque debilitato corpore miſere periiſſe. Sic extinctus eſt Simon Magus, ex quo Simoniæ ſordida peſtis,

qua

Digitized by Google

qua ſpiritalia pro temporalibus væneunt, nomen ſortita eſt. Occaſione iſtius victoriæ, quam Romæ de Simone Mago, ex aere, per quem ſublimis ferebatur, in terram proſtrato, S. Petrus reportavit, obiter obſervare debes, quam perperam Hæretici negent, S. Petrum veniſſe Romam, cum tamen id diſerte teſtentur ſancti Patres, præſertim *Irenæus* lib. 3. contra Hæreſes cap. 3. *Hieronymus* in Catalogo Sctiptorum Eccleſ. *in Petro*, *Auguſtinus* lib. de Hæreſibus cap. 1. *Euſebius* lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 13. *Epiphanius* Hæreſi 27. *S. Leo* ſermone de Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, & multi alii, quorum illuſtrium teſtium ſuffragiis veritatem munitam in dubium revocare nefas eſt. (*a*)

„ (*a*) Nonnulla in vitam Simonis Magi anim-
„ advertere hic juvat. Ferunt Simoni Mago
„ ſtatuam Romæ erectam fuiſſe tanquam numini
„ cum inſcriptione: *Simoni Deo Sancto*, eamque
„ Romæ ſe vidiſſe S. Juſtinus teſtatur. Ferunt
„ etiam Simonem in teſtimonium divinitatis ſuæ
„ ſeſe in cælum extuliſſe, coram aſpectante popu-
„ lo; ſed cum in ſuperiorem aerem, cunctis miran-
„ tibus, jam evolaſſet, S. Petri Apoſtoli precibus
„ ſubductis malignis ſpiritibus eum vehentibus præ-
„ cipiti lapſu in terram corruiſſe, & ex caſu
„ interiiſſe. Ambo hæc ſimul ſtare vix poſſe cen-
„ ſeo; quis enim crederet hominem qui ſeducto-
„ rem non obſcuro argumento ſeſe demonſtraſſet,
„ & inanem jactatorem; adeo prævaluiſſe in men-
„ tibus hominum, ut poſt turpem adeo & igno-
„ minioſam mortem haberetur Deus, & erecto,
„ tanquam numini, ſimulacro coleretur? Igitur
„ alterutram fabellam rejiciamus neceſſe eſt; ſive
„ Juſtinus hallucinatus eſt, ut pro Semone, qui
„ Deus erat Sabinorum, Simonem legiſſe dica-
„ mus; ſive lapſum Magi ad inanes traditiones
„ amandemus oportet.

D. Quinam ſunt errores, in quos Simon Magus, ejuſque ſectarii lapſi ſunt?

M. Jactabat ille impoſtor, ſe Deum eſſe Cælo delapſum, ad Judæos quidem, ut Filium Dei; ad Samaritanos, ut Patrem; & ad Gentes, ut Spiritum Sanctum. Præterea, *Helenam* vulgati corpotis fœminam ſuæ mentis primum conceptum eſſe dictitabat, matremque omnium, per quam initio conceperat Angelos, qui poſtea Mundum, & homines condiderunt. Tertio, Dicebat, ſe eſſe Chriſtum, ſeque figuram dumtaxat hominis aſſumpſiſſe, quamvis nec verus eſſet homo, nec verum haberet corpus, nec vere, ſed ficte tantum, & ſpecie tenus in Judæa paſſus fuiſſet. Quarto, Legem non a Deo, ſed a ſiniſtra quadam intelligentia latam eſſe effutiebat. Quinto, omnem Prophetis fidem abrogabat. Sexto, Imaginem ſuam ſcortique ſui *Helenæ* ſub Jovis, ac Minervæ nomine Diſcipulis ſuis adorandam obtrudebat. Septimo, Carnis reſurrectionem, bonorumque operum neceſſitatem infrunito ore negabat. Quo factum eſt, ut ejus Diſcipuli nullo fræno coerciti impune obſcenis voluptatibus laxarent habenas, & promiſcuum mulierum uſum licitum eſſe putarent. Denique S. Gregorius Nazianzenus oratione 41. ait Simonem Magum excogitaſſe triginta *Æones*, ſeu *Deos*, ex quo ſequitur, Simonem Magum fuiſſe Prodromum Hæreſiarchæ Valentini, cujus errorem præformavit, ova ſcilicet ponendo, quæ deinde Valentinus in ſecundo Eccleſiæ ſæculo excluſit.

D. Hæc errorum monſtra, & vana Simonis Magi Commenta probarunt ne multi? Perſtititne etiam diu execrabilis illius Hæreſiarchæ Secta?

M. Bene multos ſectatores, potiſſimum Samariæ, habuit Simon Magus, dum viveret, & in variis Orbis nationibus complures alios, qui *Simoniani* dicebantur, in ſuos pertraxit errores, quorum non pauci ætate S. Irenæi adhuc ſupererant. Sed Origenes, qui in tertio Eccleſiæ florebat ſæculo, teſtatur, ſuo ævo paucos ſuperſtites fuiſſe Simonis Magi Diſcipulos.

Menander, unus e præcipuis Simonis Magi Diſcipulis, pariter Samaritanus, iiſdemque præſtigiis deditus, immutatis dumtaxat quibuſdam Pſeudomagiſtri ſui doctrinæ capitibus, ſeſe peculiaris ſectæ ducem conſtituit, & in primis docuit, ſe eſſe Servatorem ad omnium ſalutem cælitus demiſſum. Deinde, pollicebatur ſuis Diſcipulis perpetuam in hac vita immunitatem a ſenio, & a morte, quam ipſis per ſacrilegum Baptiſma, quo illos initiabat, conferri ogganiebat. Hæc Menandri Hæreſis multos Antiochiæ habuit ſectarios, & ætate S. Juſtini adhuc vigebat.

D. Hæreſis Simonis Magi eſt ne revera antiquior omnibus aliis Hæreſibus, quæ Chriſti Eccleſiam infeſtarunt?

M. Si *Nicolaus*, unus e ſeptem naſcentis Eccleſiæ Diaconis, eſſet auctor Hæreſis Nicolaitarum, non eſt dubium, quin illa Nicolaitarum Hæreſis eſſet antiquior Hæreſi Simonis Magi. Sed ab hac Hæreſi Nicolaum Diaconum merito purgant *Clemens Alexandrinus* lib. 2. & 3. Stromatum, *Euſebius* lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 29. & *Theodoretus* lib. 3. Hæreticarum fabularum c. 23. qui idcirco Hæreticos Nicolaitas *falſo nomine nuncupatos* ſcribunt, quamvis cæteroquin fateantur, ex quibuſdam geſtis, dictiſve Nicolai Diaconi prætextum cudendæ Hæreſis Nicolaitas ſumpſiſſe. At enim, cum iſte Nicolaus Diaconus venuſtam haberet uxorem, eique ab Apoſtolis fuiſſet exprobrata zelotypia, in medium adducta ſua muliere, permiſit cui vellet eam nubere. Addit etiam S. Clemens Alexandrinus hunc Nicolaum dixiſſe: quod *carne uti oporteat*. Quod Nicolai dictum alii peſſimum in exemplum traxerunt, putantes hoc facto, dictoque Nicolai, licitum eſſe promiſcuum cum altero ſexu conſortium. Quod tamen a Nicolai mente omnino erat alienum: nam dum Nicolaus permiſit uxori ſuæ, ut alteri nuberet, id ſincero animo non fecit, utpote ſciens hoc eſſe lege Dei diſtricte vetitum, ſed id præſtitit fictione & ſimulatione quadam, ut videlicet hoc facto ſeſe palam purgaret a ſuſpicione zelotypiæ, cujus inſimulabatur. Similiter, quando dixit Nicolaus: *oportere uti carne*, id more Epicureorum minime intellexit, quaſi licitum eſſet indulgere carni, & corporis voluptatibus inſervire, ſed potius per hoc dictum ſignificare voluit Nicolaus, ſicut ipſius mentem explicant ſupra laudati

Pa-

Digitized by Google

Patres, quod carnem coercere, frœnare, & aſſidua virtutum exercitatione domare, & ſpiritui ſubjicere debemus. A Nicolao igitur Diacono hæc Nicolairarum Hæreſis nec profecta, nec propagata eſt. Negari tamen haud poteſt, hanc Nicolaitarum Hæreſim antiquam eſſe, & Apoſtolorum temporibus coævam.

D. Quinam erant errores, quibus infecti erant Nicolairæ?

M. Errores primorum Nicolaitarum, qui videlicet Apoſtolis ſuppares erant, non tam fidem ſpectabant, quam mores, ſicut luculenter colligitur ex Apocalypſi S. Joannis cap. 2. v. 6. ubi Deus laudat Angelum Eccleſiæ Epheſi, eo quod odio habeat *facta Nicolaitarum*, & v. 14. loquens Deus Angelo Eccleſiæ Pergami, ait: *Sed habeo adverſus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum*. Promiſcuam igitur libidinem permittebant primi Nicolaitæ, ſicut ipſis exprobrant Sancti Patres Irenæus, & Clemens Alexandrinus. Sed progreſſu temporis alii orti ſunt Nicolaitæ, qui vanis Gnoſticorum ſecundi Eccleſiæ ſæculi Hæreticorum præſtigiis adhæſerunt. Iſti autem novi Nicolaitæ poſt Hæreſiarchas Saturninum, & Carpocratem prodire dumtaxat cœperunt.

D. Quiſnam fuit auctor Cerinthianorum Hæreſis? & quinam illorum errores?

M. Cerinthianorum Hæreſis auctor fuit Cerinthus, qui, ſicut referunt S. Epiphanius in Panario, & Philaſtrius in lib. de Hæreſ. varios de Circumciſione, & de Cæremoniarum legalium obſervatione cum ſacro Evangelio conjungenda in primordiis Eccleſiæ excivit tumultus, qui in actibus Apoſtolorum leguntur, & ad quos ſopiendos Concilium Hieroſolymitanum ab Apoſtolis habitum eſt. Hunc Hæreſiarcham coævum fuiſſe S. Joanni Evangeliſtæ conſtat ex traditione S. Polycarpi Smyrnenſis Epiſcopi apud S. Irenæum lib. 3. adverſus Hæreſes cap. 3. dicentis, quod cum S. Joannes Evangeliſta ad Balneum aliquando veniſſet, viſo, qui tunc eo acceſſerat, Cerintho, ſtatim pedem retulit dicendo: *Fugiamus hinc, ne Balneum, in quo Cerinthus veritatis inimicus moratur, ſubito concidens nos opprimat*. Porro, errores, quos profudit Cerinthus, ad iſtos revocantur. In primis ajebat, Deum non eſſe Conditorem Mundi. Secundo, blaſphemabat, Jeſum Fabricatoris Orbis eſſe filium & merum hominem ex carnali Joſephi, & Mariæ conſortio procreatum, in quem Chriſtus, ideſt, Spiritus Sanctus ab ea principalitate, quæ eſt ſuper omnia, in Columbæ ſpecie ad Jordanem deſcendit. Unde inferebat, Jeſum quidem natum, baptizatum, paſſum, mortuum, & ad vitam fuiſſe excitatum, ſed Chriſtum, qui in Jeſum, dum baptizaretur, illapſus eſt, impaſſibilem, mortiſque penitus expertem fuiſſe aſſerebat. Tertio, Cerinthus Acta Apoſtolorum, & Evangelia rejiciebat, excepto tamen Evangelio S. Matthæi: quod ea parte, qua Jeſus ex Virgine natus dicitur, mutilavit. Quarto, legem Moſaicam non a Deo, ſed a Fabricatore Orbis latam eſſe dicebat, eam tamen cum Evangelio neceſſario obſervandam eſſe, ut ſalutem quis conſequatur. Circumciſionem etiam ſuſcipiendam eſſe ſanciebat. Qua de cauſa explodebat Epiſtolas Pauli, quod paſſim in illis aſſerat, & inculcet Apoſtolus Paulus, Chriſtum iis, qui Circumciſionem ad ſalutem neceſſariam pertendunt, nihil profuturum. Poſtremo, Cerinthus falſas revelationes, quaſi ab Angelo ſibi factas, oſtentans, commentus eſt millenarium quoddam Regnum Chriſti in terris poſt reſurrectionem juſtorum, & mille annis ante Judicium Univerſale, in quo millenario Chriſti in terris Regno juſti per mille annos illicitis carnis cupiditatibus, & obſcenis illecebris indulgere, Urbs Hieruſalem, & Templum inſtaurari, præcepta legis Moſaicæ ſervari, ſacrificia, & victimæ juxta ejuſdem legis ſtatuta immolari, & homines more Judaico circumcidi debebant. Propter illud millenarium Chriſti in terris Regnum a Cerintho ſomniatum, ejus Sectatores nuncupati fuerunt *Chiliaſtæ*, ſeu *Millenarii*. Non defuerunt quidem aliqui antiqui Patres, & trium priorum Eccleſiæ ſæculorum Scriptores Eccleſiaſtici, qui poſt Papiam Hieropolitanum Epiſcopum docuerunt, Chriſtum per mille annos ante Judicium Generale corporaliter cum juſtis regnaturum in terris. Sed antiqui iſti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici longe lateque diſcrepabant ab illo terreno Chriſti millenario Regno, quale admittebat Hæreſiarcha Cerinthus. Primo, eo in Regno Chriſti, juſtorumque millenario, quod laudatus Papias, & nonnulli antiqui Patres, ac Scriptores Eccleſiaſtici admiſerunt, nulla omnino fit mentio de Templi inſtauratione, neque de præceptis legis Moſaicæ adimplendis, neque de ſacrificiis, & victimis juxta ejuſdem legis inſtituta immolandis, & mactandis, neque de hominibus more Judaico circumcidendis, quæ tamen omnia in terreno Chriſti, & juſtorum millenario Regno futura effutiebat Cerinthus. Secundo, impius ille Hæreſiarcha in Regno Chriſti millenario effuſiſſimam omnium libidinum intemperiem poſuit. At Papias, aliique Patres antiqui *Millenarii* dicti, nihil de eo mille annorum Regno docuerunt, atque cogitarunt, niſi ſanctum, & honeſtiſſimum, omneſque delicias corporeas, quas huic Regno tribuebant, juſtas, modeſtas, & honeſtas fore, ſicut ſanctum populum decet, ultro profitebantur. Unde antiqui illi Patres iſtius infeſti Cerinthi dogmati inſimulari non debent, cum ab eo longiſſime abfuerint. Cæterum, illorum opinio de millenario Chriſti, & juſtorum in terris Regno ſemper fuit in Eccleſia cum Orientali, tum Occidentali a ſaniori SS. Patrum numero repudiata, & tandem in Conciliis Oecumenicis Florentino, & Tridentino proſcripta eſt, eique inuſta Hæreſeos nota, qui poſt ſolemne & decretorium illud judicium propugnandam eam deinceps ſuſciperet.

D. Fueruntne in primo Eccleſiæ ſæculo alii Hæretici, præter ſectatores Cerinthi, qui docerent, Moſaicæ legis ritus, & cæremonias, Circumciſionemque in primis, cum Chriſtianæ Religionis profeſſione conjungi debere?

M. Idem plane cum Cerintho in primo Eccleſiæ ſæculo docuerunt Hæretici Ebionitæ, ita di-

cti

cti ab *Ebione* illius ſectæ Principe, cujus nomen hebraica lingua *Mendicum* ſonat. Aſſerebant ſiquidem illi Hæretici, Circumciſionem, alioſque legis Moſaicæ ritus non eſſe in nova lege antiquatos, ſed cum Evangelio eſſe in Eccleſia retinendos & obſervandos. Secundo, alium etiam palmarem Cerinthi errorem propugnabant Ebionitæ, affirmantes, Chriſtum ſimplicem, vulgarem, & ſolum hominem eſſe ex Joſephi, & Mariæ congreſſu genitum, ipſumque ante Mariam non extitiſſe. Hinc Evangelium S. Matthæi, quod, rejectis aliis Evangeliis, admittebant, de induſtria interpolarunt, demptis videlicet iis, quibus Chriſti Proavorum ſeries, & generatio ex Virgine enunciatur. Denique, Myſteria quotannis, in Paſchate nimirum, pane azimo, & mera aqua peragebant, & Dominicam diem, præter Sabbatum, celebrabant. Suppoſititiis etiam libris utebantur, mendaciis, figmentis, & erroribus infartis.

Ab his Hæreticis Ebionitis haud parum diſtaſſe alios Hæreticos, dictos Nazarenos, multi exiſtimant, quia Nazareni, non ſecus ac Ebionitæ, Moſaicæ legis cæremonias tenebant, & obſervabant. Sed S. Epiphanius dubitat, utrum iſti Hæretici Nazareni putarent, Chriſtum eſſe purum hominem, an etiam ex Virgine natum? Sanctus vero Hieronymus nullum alium nævum eis impingit, niſi quod, cum crederent in Chriſtum, legis tamen cæremonias ſervabant. Idem ſentit S. Damaſcenus in lib. de Hæreſibus, ubi loquendo de Nazarenis hæc habet: *Nazareni Chriſtum Jeſum confitentur Filium Dei, at juxta legem in omnibus vivant*. Præterea, Nazareni Evangelium Matthæi Hebraicum abſolutiſſimum & integerrimum habebant, ſicut teſtatur S. Epiphanius Hæreſi 29. & 30. Sed Ebionitæ Evangelium habebant mutilum & corruptum. Ex quo liquido patet, Ebionitas & Nazarenos non in unam coaluiſſe ſectam. Hi autem Hæretici dicti ſunt Nazareni, quia priſci e Judæa Chriſtiani appellati ſunt *Nazareni* propter Chriſtum Dominum, qui *Nazarenus* vulgo vocabatur. Iſti porro priſci de Judæa Chriſtiani, cum ante excidium Hieroſolymitanum, annuentibus Apoſtolis, cæremonias legis ſecuti eſſent, Nepotes eorum, qui trans Jordanem habitabant, priſtinos mores, & potiſſimum Circumciſionem retinuerunt, unde cum nullo pacto a lege Moſaica divelli poſtea poſſent, ſed eam cum Evangelio ad ſalutem neceſſario obſervandam eſſe pertenderent, tanquam Hæretici ab Eccleſia rejecti ſunt. Sed hæc de Hæreſibus, quæ in primo Eccleſiæ ſæculo graſſatæ ſunt, dicta ſufficiant.

D. Veniamus igitur nunc ad Hæreſes, quæ Eccleſiam ſecundo Chriſtiani nominis ſæculo exagitarunt.

M. Ex inferis ſecundo Eccleſiæ ſæculo eruperunt Hæreſes Gnoſticorum, Adamitarum, Cainitarum, Sethianorum, Cerdonianorum, Marcionitarum, Apellitarum, Valentinianorum, Tatianorum, ſeu Encratitarum, Montaniſtarum, Theodoti Coriarii, Artemonis, Hermogenis.

D. Exponas mihi, quæſo, quid ſibi velit iſtud Gnoſticorum nomen?

M. Gnoſtici dicti ſunt *ἀπὸ τῆς γνώσεως* ſeu a cognitione, & ſcientia, quam ejuſmodi Hæretici præ cæteris ſibi arrogabant. Hos Hæreticos Sanctus Paulus 1. ad Timotheum cap. 6. v. 20. luculenter indigitat, dum eum monet, ut devitet prophanas vocum *novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ* (græce *γνώσεως*) *quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt*. In hac fabularum, Genealogiarum ſcientia, quam hac in Epiſtola merito carpit Apoſtolus, toti verſabantur Gnoſtici. Quippe qui *Æonum*, ſeu Deorum Syzigias, ſeu conjugationes, in deitate fingebant, quorum alii aliorum ſoboles eſſent, quorumque poſtremus Mundi iſtius aſpectabilis opifex eſſet. Hinc dicebant, Conditorem hujus Mundi non eſſe Deum, ſed nomen Dei ſibi arrogaſſe, eumque Judæis dediſſe legem, & Prophetis adſpiraſſe; Patrem vero, ut ejus Imperium everteret, miſiſſe Jeſum Salvatorem Chriſtum, qui Teſtamentum aliud cum electis ſanciret. Negabant iidem Hæretici, Chriſtum veram carnem accepiſſe, & de Maria natum, ſed per Mariam dumtaxat oſtenſum garriebant. Carnis reſurrectionem inficiabantur. Libros pene innumeros ſub ementitis nominibus obtrudebant, videlicet Evangelia Evæ, Salomes, Petri, Jacobi, ſecundum Hebræos, ſecundum Ægyptios, conciones Petri & Pauli; libros item de Infantia Salvatoris, Noreæ uxoris Noemi, Prophetias Pachor, ſeu Barcoph, Cham, Zoroaſtris, Hydaſpis, Oſtranis, Orphæi, & aliorum, de quibus Porphyrius queritur in vita Plotini. Jam vero infinitus eſſem, ſi Gnoſticorum ſpurcitias, propter quas primi Chriſtiani apud Gentiles male audiebant, uti referunt Irenæus l. 1. c. 24. Euſebius l. 4. Hiſt. Eccl. c.7. & S. Epiphanius Hæreſi 27. hic enarrare vellem. Breviter dicam, ejuſmodi Hæreticos nomine quidem Chriſtianos fuiſſe, ſed re turpiſſimos dæmonis fautores. Obſcenis ſiquidem voluptatibus dediti nulla libidinum monſtra illicita eſſe putabant. Promiſcuum mulierum uſum, & libidinum furias in ſexus, & in corpora permittebant; eoque impietatis devenit ſacrilega eorum temeritas, ut infantulum recens natum minutatim in mortario contunderent, pipere, melle, & aromatibus condirent, eoque, proh ſcelus! in modum cibi Euchariſtici veſcerentur. Hinc, ut optime obſervat S. Auguſtinus in l. de Hæreſibus ad *Quod vult Deum*, varia inter nomina, quibus Gnoſtici per diverſas terrarum partes aliter atque aliter appellabantur, nonnulli eos *Borbonitas* vocabant, quaſi *Cænoſos*, ob nimiam turpitudinem, quam in ſuis myſteriis exercebant. Ex hac Gnoſticorum Hæreſi, velut ex mala radice, pullularunt quinque peſſimi ſurculi, ſeu Sectæ, *Adamitarum, Cajanitarum, Ophitarum, Sethianorum, & Carpocratianorum*, quæ Sectæ late diffuſæ in quarto adhuc Eccleſiæ Sæculo ſerpebant.

D. Quorſum iſti Hæretici dicti ſunt *Adamitæ, Cajanatæ, Ophitæ, Sethiani*, & *Carpocratiani*? & quinam fuerunt eorum errores?

M. In

M. In primis, *Adamitæ* dicti ſunt illi Hæretici, qui in ſuis conventiculis, omni plane pudore depoſito, ſacrilegos ſuos ritus nudi obibant; promiſcuo concubitu & uxorum communione, belluarum inſtar, inverecunde utebantur; nuptias averſabantur; continentiam damnabant; & tamen, ſi ſuperis placet, Eccleſiam ſuam tam impuris myſteriis deformem *Paradiſi* nomine exornabant, quia in ea nudi viri, ac fœminæ proſtabant, ſicque primam Adami in horto voluptatis conditionem turpiter repræſentabant. Inde eſt, quod ſuæ Sectæ homines, quos punire volebant, a ſua Eccleſia extruderent, tamquam Adamum e *Paradiſo*.

Cajanitæ, dicti ſunt illi Hæretici, qui Cainum primogenitum Adami filium, miſerumque Abelis fratricidam ſingulari veneratione colebant. Diſtinguebant ſiquidem illi Hæretici duplicem virtutem, ſuperiorem unam, quam *Sophiam*, ſeu ſapientiam appellabant, & inferiorem alteram, a qua Mundum conditum eſſe affirmabant. Qua poſita diſtinctione, dicebant, Abelem fratrem Caini ab inferiori & imbecilliori virtute prodiiſſe; Cainum vero, Eſau, Core, Dathan, Abyron, & Sodomitas, ad ſuperiorem virtutem pertinere putabant, eoſque laudibus efferebant, quod legem præfracte violando fabricatori Orbis adverſos ſeſe præbuiſſent. Unde opera Creatoris deſtruere, ejuſque legem violare maximo & perfectionis, & gloriæ loco ducebant. Inſuper Baptiſmi ad conſequendam ſalutem neceſſitatem, & Carnis Reſurrectionem negabant. Judam Chriſti proditorem adorabant, quod dictitarent, eum, prodendo Jeſum Chriſtum, in cauſa fuiſſe, ut virtutes Mundi, quæ ſaluti hominum obſiſtebant, vincerentur; ſicque ſaluti noſtræ conſuluiſſe. Denique, iſti Hæretici in omnem libidinem effuſi propudioſam, & nefandis ſceleribus conſpurcatam vitam ducebant.

Ophitæ, ita appellabantur Hæretici a voce ὄφις, idem ſignificante, quod Latine *Serpens*. Adorabant quippe Serpentem, qui, ut refert S. Auguſtinus, e ſpelunca, in qua alebatur, incantante Sacerdote, egrediens, & Altare ſerpendo adiens, panes ibi oblatos lambebat; eumque gyrantem iſti Hæretici deoſculabantur. Quo peracto, & ad ſuam ſpeluncam Serpente reverſo, Cultores ejus panes in Euchariſtiam oblatos confringebant, quos ab iſto Serpente ſanctificatos putabant. Quidam antiqui tradiderunt, iſtos Hæreticos exiſtimaſſe, Chriſtum Serpentem illum fuiſſe: Sed id certo non conſtat, imo in Appendice ad librum Tertulliani de pręſcriptionibus legitur, illos Hæreticos Serpentem pluris, quam Chriſtum feciſſe. Origenes l. 6. contra Celſum ait, neminem in Sodalitium Hæreticorum Ophitarum fuiſſe admiſſum, *niſi Jeſum ante execraretur*. Auctorem illius Hæreſis fuiſſe quemdam *Euphratem* obſervat idem Origenes.

Sethiani Hæretici ita cognominati ſunt, quod *Sethum* Adami filium exiſtimarent eſſe Chriſtum. Duo ſiquidem admittebant hominum genera, quorum unum haberet parentem *Cainum*, alterum a *Setho* duceret originem. Teſtatur S. Epiphanius, ejuſmodi Sectas Cajanitarum, Ophitarum, & Sethianorum fuiſſe ipſius ætate ferme extinctas; aliquos tamen Hæreticos Sethianos ſe in Aegypto reperiſſe ait.

Carpocratiani ſuum traxere nomen a quodam *Carpocrate*, qui non Aſiaticus, ut viſum eſt S. Joanni Damaſceno, ſed Alexandrinus erat, uti perhibent Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum, & Theodoretus. Hæc Hæreſis ſub Aniceto Pontifice, & Hadriano Imperatore, opera *Marcellinæ* peſtilentis fœminæ, Romæ innotuit; unde *Marcelliani* quoque dicti ſunt illi Hęretici, ſicut narrat Origenes lib. 5. contra Celſum. *Carpocras* illius Sectæ auctor in iſtos errores prorupit. Primo, ad omnia turpitudinis & flagitiorum genera, quæ pudor commemorare vetat, Diſcipulos ſuos informabat. Deinde, docebat, Mundum non a Deo, ſed ab Angelis conditum fuiſſe. Tertio, Carnis reſurrectionem negabat. Quarto, Chriſtum eſſe purum hominem, & ex Joſepho, ac Maria, cæterorum hominum more, natum eſſe blaſphemabat. Quinto, Nihil natura malum eſſe pertendebat, ſed tantum juxta arbitrium & opinionem hominum, quędam bona, quædam mala vocari. Sexto, Tranſmigrationem animarum in corpora admittebat. Septimo, Imagines Chriſti, Paulique, cum Imaginibus Homeri, Pythagoræ, Platonis & Ariſtotelis Diſcipulis ſuis exhibebat, ut eas ſuffitibus, & adoratione proſequerentur. S. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum ſcribit, Carpocratem habuiſſe ex uxore ſua, *Alexandrea* dicta, filium appellatum *Epiphanem*, qui in Platonica inſtitutus diſciplina fabulas patris ſui amplificavit, cumque ſeptemdecim annos natus in Cephalenia patria ſua obiiſſet, divinos ibidem obtinuit honores.

D. Certe mirari vehementer ſubit, quod homines id ætatis ſic inſanirent, ut vana hæc paradoxa, & abſurda Hæreticorum deliramenta, quæ retuliſſe, abunde refutaſſe eſt, tam lubenter auſcultarent, eiſque fidem, & aſſenſum prębęrent.

M. Omnes iſti errores, aliique id genus, de quibus deinceps ſermonem inſtituemus, ortum habuerunt ex falſis Ethnicorum Philoſophię principiis, necnon ex quibuſdam myſticis, allegoricis & detortis ſenſibus, ad quos nonnulli male feriati & emotę mentis homines Scripturam Sacram cum veteris, tum novi Teſtamenti pręposterę pro ſuo arbitrio deflectebant. Quin, quod ſatis feſtivum, ac lepidum eſt, quo abſurdiores, & a ſenſu, intelligentiaque hominum magis remotę tum temporis ſpargebantur opiniones, eo proniorībus vulgi auribus, animiſque promptioribus excipiebantur. Tanta enim audacia, tamque elato ſupercilio iſti Hęretici ſua deliria, tamquam arcana altiſſima, & [illegible]culis inaudita myſteria quaſi de tripode proferebant, ac venditabant, ut ſimplices, & incauti hamum confeſtim vorarent, ſorberentque ſibi propinatum virus.

D. Perge porro alias [illegible] ſeculi enarrare Hęreſes.

M. Hęreſis *Elceſaitarum*, cujus meminit Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 38. ita dicta eſt a quodam *Elceſa* Arabe, ut ſcribit Theodoretus, qui Propheta audire voluit, & librum

quemdam ad ſe e Cælo delapſum finxit, ſicut poſtea impoſtor *Mahumetes* Alcoranum. Ad Elceſeitarum gregem Ebionitæ feruntur tranſiiſſe. Placita autem illorum Hæreticorum ad Gnoſticam impietatem proxime accedebant. Legis Moſaicæ cæremonias, Circumciſionem, & Sabbatum non ſecus ac Ebionæi obſervabant, ſed ſacrificia damnabant. Chriſtum magnum Regem eſſe confitebantur, ſed eum creaturarum in ordinem cogebant. Spiritum Sanctum ſexu fœminam, & Chriſti ſororem eſſe comminiſcebantur. Omnes ferme libros tam veteris, quam novi Teſtamenti repudiabant. Denique, ſimulationem in profeſſione Religionis, ſæviente perſecutione, licitam eſſe, nec prohibitum Idolorum cultum, dummodo id ex animo non fieret, impie aſſeverabant.

Saturniani Hæretici ita dicti a *Saturnino* genere Antiócheno, Menandri diſcipulo, qui a pluribus antiquis *Saturnilus* nuncupantur, impuram Simonianorum doctrinam in Syria ſunt amplexi, & ſequentes errores evomuerunt. Primo, docebant, Mundum non a Deo, ſed a ſeptem Angelis conditum fuiſſe, hominemque effictum eſſe ad Imaginem ſummæ virtutis, in quem a ſumma illa virtute ſcintillam, quæ ipſum erigeret, inditam fuiſſe ſomniabant. Secundo, ajebant, hanc ſcintillam in ſolis fidelibus reperiri, atque, intereunte homine, ad Deum recurrere. Tertio, Chriſtum umbratiliter, & ſpecie tenus, non vere incarnatum, & paſſum aſſerebant, ipſumque in terras veniſſe, ut deſtrueret Judæorum Deum, quem unum e ſeptem Angelis Orbis fabricatoribus eſſe putabant. Quarto, Nuptias, & generationem tanquam ex doctrina Dæmonis profectas execrabantur. Quinto, duo diſtinguebant hominum genera, unum natura bonum, aliud natura malum. Denique, multi ex Saturnini diſcipulis ab Animatorum eſu abſtinebant, ut ementita hujus abſtinentiæ Religione ſimplicibus fucum facilius facerent, eiſque hoc ſpecioſo pietatis obtentu ſuos inſtillarent errores.

Baſilidianis Hæreticis nomen impoſuit *Baſilides* genere Alexandrinus, Saturnini condiſcipulus, & Menandri auditor. Hic ſuæ Hæreſeos venena in Ægypto effudit, &, ut refert S. Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum, gloriabatur, ſe habuiſſe Magiſtros Glauciam interpretem S. Petri, & S. Mathiam Apoſtolum. Evangelium ſcripſit, quod viginti quatuor libris, erroribus a capite ad calcem refertis, expoſuit. Plures in Deo ſubſtantias admiſit, quarum aliæ ex aliis manarent, & quarum poſtrema, quam *Sophiam* vocitabat, procreaſſet Angelos, quos dicebat ſupremi Cæli eſſe fabricatores, qui rurſum alios Angelos ediderunt, a quibus ſecundum Cælum factum ſit. Iterum ab iſtis Angelis ſecundi Cæli conditoribus, alios Angelos productos fuiſſe ſomniabat, donec trecenteſimum ſexageſimumquintum Cælum conditum fuiſſet cum Angelis, qui hunc inferiorem Mundum fabricarunt. Unde iſti Baſilidiani Hæretici hoc barbaro vocabulo ἀβρασαξ utebantur, eo quod illud vocabulum his literis conſtet, quæ juxta numeralem Græcorum notam conficiunt numerum 365. ſuperſunt etiamnum amuleta Baſilidianorum, in quibus hæc vox ἀβρασαξ, & alia barbara Angelorum nomina, quæ procedebant, leguntur. Præterea, Baſilidiani docebant, Chriſtum veram carnem non ſuſcepiſſe, & Simonem Cyrenæum ejus loco Cruci ſuffixum eſſe, mortemque pro Crucifixo non eſſe tolerandam. Illi, qui in eorum Sectam admitti cupiebant, quinquennii ſilentio, Pythagoræorum more, probabantur, & de ſua doctrina interrogati, palam negabant quid eſſent, quidve ſentirent. Animam uniuſcujuſque hominis ex variis concretam eſſe ſubſtantiis credebant, ex quibus varii ciebantur affectus, maliſque hominibus adulterinam eſſe naturam, puta vel leonis, vel lupi, vel ſimiæ, &c. prout in hoc, vel illud vitium proclives eſſent. Novos Prophetas ad errores ſuos adſtruendos excogitarunt, eiſque nova, & barbara nomina indiderunt, videlicet *Barcaba*, & *Barcoph*. A quavis ſpurcitia nihil labis contrahi jactitabant; eos tamen plurimi faciebant, qui ad ſervandam continentiam ſe ipſos abſcindebant. Animarum tranſmigrationem ad expianda ſcelera Pythagorico ſenſu defendebant. Non omnia peccata hac in vita commiſſa remitti a Deo dicebant, ſed dumtaxat involuntaria. *Baſilides* hujus Sectæ auctor ſuperſtitem filium reliquit *Iſidorum* nomine, mali Corvi, malum ovum. Sanctus Clemens Alexandrinus quædam refert fragmenta excerpta ex Operibus, quæ hic Iſidorus paternæ impietatis hæres, & acerrimus propugnator edidit. Sanctus Juſtinus in Dialogo cum Triphone Judæo meminit Saturnianorum, & Baſilidianorum, qui ea ætate adhuc vigebant, ſed temporibus ſancti Epiphanii, ut ipſemet teſtatur, pauciſſimi illorum erant reſidui.

Cerdonianorum Hæreſis ortum habuit a *Cerdone* Saturnini diſcipulo, qui e Syria Romam venit ſub *Hygino* Romano Pontifice, ubi ſuam Hæreſim, quam tamen ſæpius ejuraverat, Marcioni afflavit. Hic autem *Marcion*, a quo Marcionitarum Hæreſis prodiit, patria fuit Ponticus, & filius Catholici juxta ac pii Epiſcopi, a quo, ut ſcribit Sanctus Epiphanius, ob inceſtum Eccleſia pulſus, & Populorum ſuorum opprobria ac ludibria non ſuſtinens, clam ab oppido ſeceſſit, & Romam poſt Hygini Papæ obitum ſeſe contulit. *Eo ſtatim atque pervenit Marcion*, inquit Sanctus Epiphanius, *ad ſeniores adiens, qui ab Apoſtolorum diſcipulis edocti ſupererant, ut in communionem admitteretur, fruſtra ab eis petiit. Quamobrem extimulatus invidia, quod Principem illic locum, ac ne Eccleſiæ quidem aditum impetraſſet, ad impoſtoris Cerdonis Hæreſim confugere in animum induxit*. Sanctus Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus, qui tunc Romæ aderat, obvium Marcionem habuit, cumque iſte Hæreſiarcha perfrictæ frontis audacia ab illo fuiſſet ſciſcitatus, utrum illum cognoſceret? ei ex tempore reſpondit ſanctus ille Epiſcopus: *Novi te ut Primogenitum Sathanæ*.

D. Fuit ne Hæreſis Cerdonianorum diverſa a Marcionitarum Hæreſi?

M. Duobus illis Hæreſiarchis Cerdoni, & Marcioni, hoc caput erroris fuit, duo eſſe Principia, ideſt, duos eſſe Deos; unum bonum, incognitum

& Pa-

Digitized by Google

& Patrem Jeu Chriſti ; & alterum malum, qui aſpectabilem hunc condidit Mundum, legemque Judæis ſanxit. Præterea, uterque aſſerebat, Chriſtum veram carnem non aſſumpſiſſe, nec ex Maria Virgine natum, ſed e Cælo deſcendiſſe, atque ab ignoto Patre in terras miſſum, ut Imperium, ſeu Tyrannidem, & opera Mundi Conditoris everteret. Ad hæc, vetus Teſtamentum tanquam a malo Deo prolatum rejiciebant duo illi Hæreſiarchæ : Evangelium vero Lucæ ; tredecim Epiſtolas Pauli mutilabant, nec ullos præterea libros ſacros agnoſcebant. Denique, a nuptiis abhortebant, ciborum delectum præcipiebant, & corporum Reſurrectionem negabant. Admittebat tamen Hæreticus Marcion quamdam ſpeciem Reſurrectionis Animarum, quippe qui aſſerebat, Cainum, Dathanem, & Abironem, Sodomitas, atque nationes omnes, quibus Judæorum Deus ignotus fuit, per illapſum Chriſti ad Inferos fuiſſe ſalvatas : Abelem vero, Enochum, Abrahamum, alioſque Patriarchas & Prophetas, quibus innotuit Judæorum Deus, ſalutem non fuiſſe conſecutos. Hos & alios ejuſdem furfuris errores profuderunt duo iſti Hæreſiarchæ, quos ceu mera delirantium ſomnia, & inſanas lunaticorum exerrationes merito flocci facere debemus. (*a*)

(*a*) „ Adverſus Cerdonem concilium habitum „ ab Apollonio Corinthiorum Epiſcopo narrat „ vetuſtus auctor libri inſcripti *Prædeſtinatus*.

D. Marcionitarum Hæreſis fuitne Diſcipulorum numero inſignis, & diuturna?

M. Hæc Hæreſis brevi temporis ſpatio longe lateque inſtar Cancri per Orbem ſerpſit. Marcion ſiquidem ſuos non ſolum Romæ, & in Italia habuit diſcipulos, ſed etiam in Ægypto, in Palæſtina, in Syria, & in aliis Regionibus, tamque altas radices egit peſtilens illa Secta, ut diu perſtiterit, & in alias Sectas ſub initium Imperii *Commodi* pullularit, ſicut teſtatur *Rhodon* vetuſtus auctor, qui in Hæreticos Marcionitas calamum acuit. Tres tamen, præ cæteris, Marcion habuit diſcipulos, quorum primus fuit *Apelles*, qui, ut ait Tertullianus, lib. de Præſcript. cap. 30. *Jam lapſus in fœmina deſertor continentiæ Marcionenſis, Alexandriam ſeceſſit, inde poſt annos regreſſus non melior, in alteram Virginem impegit, Philumenem* dictam, malo genio agitatam, cujus opera futura prædicebat Appelles, ſicque Populo, & incautis quibuſdam imponebat. Præcipuus Apellis error in hoc ſitus erat, quod diceret, Corpus Chriſti Domini ex Syderum ſubſtantia, & quatuor Elementorum qualitatibus conſtitiſſe, quibus tandem in ea unde accepta erant reſolutis, Chriſtum in Cælum, unde venerat, revolaſſe, & ſine corpore aſcendiſſe docebat. Cultuum etiam, ſive Religionum indifferentiam admittebat. Alter celebris Marcionis diſcipulus fuit quidam dictus *Syneros*, qui duobus principiis, quæ poſuit Marcion, quorum unum erat bonum & alterum malum, tertium ipſe adjunxit. Poſtremus Marcionis famoſus diſcipulus ille eſt, quem S. Epiphanius *Lucianum* appellat, Tertull. vero in lib. de Reſurrect. cap. 2. Origenes lib. 2. contra Celſum, & auctor Appendicis ad lib. Tertull. de Præſcript. *Lucanum* nominant. „ Hic tria itidem agnovit rerum omnium principia, & nuptias prohibuit, quod carnem a malo principio exortam ulterius propagari non debere inſulſe aſſereret.

D. Nihil hactenus de Hæreticis Valentinianis dixiſti, quorum tamen Secta, ut audivi, maxime viguit in ſecundo Eccleſiæ ſæculo, & cæteris aliis longe celebrior evaſit.

M. Nulla profecto Hæreſis fuit figmentis feracior, quam Valentiniana, ita dicta a quodam *Valentino* Ægyptio Hæreſiarcha, viro quidem ingenioſo & eloquente, ſed vanæ gloriæ cupidiſſimo. Ait enim Tertullianus lib. contra Valentinianos cap. 4. eum a fide deſciviſſe, quod alter ei in Epiſcopatu prælatus fuiſſet prerogativa martyrii. Romam venit hic Hæreſiarcha ſub Hygino Papa, ut inquit S. Irenæus lib. 3. cap. 4. *Increvit ſub Pio, & prorogavit uſque ad Anicetum*. Porro, cum Valentinus eſſet Philoſophus Platonicus, multa in Hæreſim ſuam ex imputis Gnoſticorum lacunis, ex Platone, immo, ex Poetarum Græcorum, Heſiodi præſertim fabulis convexit, unde monſtrum conflavit, quod nec Chriſtianum, nec hominem ſapit. Verum enimvero, Valentinus mentem habens paſtam Chymæris, finxit in primis triginta Æones, ſeu Deos, qui Divinitatis πλήρωμα, ſeu totam plenitudinem conſtituebant. Secundo, Principem, ideſt primum triginta illorum Æonum vocabat Βυθὸν, ſeu *Abyſſum*, vel *Profundum*, cui unam veluti conjugem adjungebat, quam *Sigen*, ideſt, *Silentium*, vel alio nomine ἔννοιαν, ſeu perceptionem, appellitabat. Tertio, ajebat, quod ex duobus primis illis Æonibus, ſeu ex *Profundo* & ex *Silentio* ejus conjuge, producti ſunt duo alii Æones, videlicet *Nus*, ſeu *Intellectus*, & *Alethia*, ideſt *Veritas*, quam dicebat eſſe ſororem *Nus*. Hæc eſt prima Æonum quaternitas. Quarto, docebat, quod ille *Nus* eſſet unigenitus filius primi Æonis, iſque ſolus, excluſis aliis Æonibus, poſſet cognoſcere primum Æonem, ſeu *Profundum*, a quo fuerat ipſe productus. Quinto, ex *Nus*, & *Alethia*, hoc eſt, ex *Intellectu* & ex *Veritate*, duos alios Æones profluxiſſe dicebat, videlicet *Verbum*, & *Vitam*, & ex *Verbo*, & *Vita* duos alios prodiiſſe Æones, nimirum *Hominem*, & *Eccleſiam*. Hæc eſt altera Æonum quaternitas, quæ alteri ſuperiori quaternitati juncta efficit Ogdoadem Valentinianam, ſeu numerum octo Deorum, quibus alios viginti duos Aeones, ſeu Deos adjungebat, ut tota Divinitatis plenitudo triginta Aeonum, ſeu Deorum, numero completa, & integra ſubſiſteret. Hinc Valentinus ex *Verbo*, & *Vita* Decadem Aeonum ortam eſſe comminiſcebatur : ex Homine autem, & ex Eccleſia duodecim alios Aeones progenitos fuiſſe ajebat, & ex his triginta Aeonibus, Pleroma, ſeu plenitudinem divinitatis conflatam eſſe fabulabatur. Quocirca, merito Tertullianus huic Hæreſiarchæ exprobrat, quod *uſque ad triginta Æonum fœtus examen divinitatis effudit*. Sexto, Carnis Reſurrectionem negabat Valentinus, triaque hominum genera conſti-

tuebat, *Terrenum*, *Animale*, & *Spirituale*. Terrenum ad *Cainum*, Animale ad *Abelem*, Spirituale ad *Setbum* revocabat, velut ad tres generis humani fontes. *Terrenos* homines, ſive bene, ſive male operarentur, corruptione omnino diſſolvi cenſebat. *Animales*, ſi bene vixerint, in mediocri Regione conquieſcere; ſi vero deteriora elegerint, penitus perire, atque igne extingui putabat. *Spirituales* vero homines natura ſua bonos eſſe affirmabat, nec eos perire poſſe, ſed Salvatoris Angelis matrimonio fore collocandos. Mundi, & Diaboli productionem tribuebat *Demijurgo*, quem ex *Enthymeſi*, Hebraice *Acamotb*, & ex ſubſtantia animata ortum eſſe ſtulte opinabatur. Octavo, duplicem Jeſum cum Nicolaitis, & Cerintho poſuit, ejuſque corpus per Mariam velut per canalem, vel fiſtulam tranſiiſſe pronuntiabat. Sed hæc, & alia id genus Valentini, ejuſque Sectariorum figmenta indicaſſe ſufficiat, quia ſatius eſt ea delirantium Hæreticorum ſomnia ignorare, aut ſilentio prætermittere, quam illa jam Natalitiis ſuis tenebris damnata in apertam producere lucem. (*a*)

(*a*) „ Valentinianam Æonum Genealogiam valde implexam mire explicat P. Renatus Maſſuet
„ Ordinis S. Benedicti in ſua editione operum S.
„ Irenæi Pariſiis producta, ac dein recuſa Ve-
„ netiis. Cernas ibi vere excultam arborem, in
„ qua Bython eminet, tum cæteri Æones ordi-
„ ne ſequuntur. Si quis vero Arborem hanc ocu-
„ lo non incurioſo conſideraverit, intelliget pro-
„ fecto Æonum nomine deſignaſſe. Valentinum
„ ipſa Dei attributa, quamquam in eo erravit,
„ quod attributa iſta ita inter ſe reipſa diſtinxe-
„ rit, ut totidem Numina eſſe viderentur. In-
„ ſuper Trinitatem ſtatuit, quam in tribus prio-
„ ribus Æonibus effigiavit; in hoc tamen pari-
„ ter eum erraſſe demonſtrat P. Maſſuet, quod
„ Trinitatem ſuam ex tribus inter ſe reipſa di-
„ ſtinctis, ac diverſis conſtituerit. Cætera ex eo
„ repetas.

D. Cum tota Valentini Hæreſis, ſicut clare expoſuiſti, in conjugatione, ſeu in varia illa combinatione, & diſpoſitione triginta Æonum, ſeu Deorum, præcipue conſiſteret, proclive erat unicuique hanc triginta Æonum combinationem pro ſuo arbitrio immutando, aliterque diſponendo, nova, nec minus abſurda procudere Syſtemata.

M. Recte dicis, & hinc eſt, quod Valentini Diſcipuli, præſertim *Secundus*, a quo *Secundiani*, & *Ptolomæus*, a quo *Ptolomaitæ* prodierunt, in his ordinandis Æonum conjugationibus variarint ſententiis, & in diverſas abierint Sectas. Verum, quamvis in hac Æonum diſpoſitione concordes haud eſſent, nec ſibi conſtarent Valentini diſcipuli, omnes tamen ea admittebant principia, quæ ad exterminium Chriſtianæ doctrinæ moralis recta collimabant. Enim vero, cum Hæretici Valentiniani ducerent, ſicut mox obſervavi, homines, quos vocabant *Spirituales*, eſſe natura ſua bonos, nec perire poſſe; ſeque in hac ſpiritualium hominum claſſe locum habere jactitarent, fidenter aſſerebant, ſe neque fide, & bonis operibus indigere, neque ulla diſciplinæ munia obſervare, neque fidem coram tyrannis profiteri debere, & inſuper, obſcenum iſtud ſtatuebant corruptæ moralis principium: *degenerem eſſe, nec legitimum veritatis, qui diverſatus in Mundo non amaverit fœminam, nec ſe ei junxerit*. Hoc nefandum principium Valentinianorum doctrinæ proram, puppimque fuiſſe, teſtatur Tertullianus lib. contra Valentinum cap. 30.

D. Habuitne Valentinus multos ſuæ Sectæ diſcipulos, qui virulentam ipſius doctrinam defenderint, ac propagarint?

M. Valentinus multos habuit diſcipulos, qui ejus fabulas, vel amplificarunt, vel alio modo expoſuerunt. Ex ipſius ſiquidem ſchola prodierunt, ut modo dixi, *Secundus*, a quo *Secundiani*, quorum meminit S. Epiphanius Hæreſi 32. & *Ptolomæus*, a quo *Ptolomaitæ*, de quibus idem S. Pater agit Hæreſi 33. Prodiit ex eadem Valentini ſchola *Marcus*, qui magicas artes edoctus, dum ſe ſacrificium offerre ſimulabat, poculorum liquorem certis carminibus in cæruleum, purpureumque colorem vertebat, & philtris utebatur, ut ſibi mulierum amorem conciliaret, quarum bene multas in Galliis ſeduxit. Hujus Marci diſcipuli dicti ſunt *Marcoſii*, qui ſuæ Sectæ Myſteriis initiandos baptizabant *in nomine ignoti rerum univerſarum parentis, & veritatis omnium rerum Procreatricis, & illius, qui e Cælo in Jeſum delapſus eſt*. Denique, ex cœnoſo Valentini gurgite promanarunt *Colobarſiana* Secta ſic appellata a *Colobarſo*, quem alii Marci mox laudati diſcipulum, alii Magiſtrum eſſe putant (*b*). Secta *Heracleonitarum*, ſeu *Barborianorum*, cujus meminit Theodoretus cap. 15. lib. 1. Hæreticarum fabularum; Secta *Archonticorum* ab *Eutacto* quodam Conſtantii Imperatoris temporibus propagata; Secta *Bardeſanis*, qui ſingulari eruditione, & eximia conſtantia in fide propaganda, ac vindicanda inſignis, poſtquam innumera pene Opera adverſus Hæreticos, qui ipſius ætate eruperunt, lucubraſſet, maculam tandem præclaræ famæ aſperſit, & fœdas, ac pudendas Valentini fabulas, quas antehac ipſe erudite redarguerat, inveſtigabili Dei judicio excepit, ſuoque calculo comprobavit. Filius ejus dictus *Harmonius* ſacris litteris apprime excultus errores patris ſui tuitus eſt, eiſque novos a ſe excogitatos adjecit. Sed *Bardeſanis*, ejuſque filii *Harmonii* errores Sanctus Ephrem Syrus perdocte confutavit.

(*b*) „ De Colobarſiana hæreſi plus aliquid
„ narrat auctor libri inſcripti *Prædeſtinatus*; tra-
„ dit enim hominum vitam ſeptem in ſtellis
„ poſitam eſſe hæreticum illum docuiſſe, eaſque
„ ſtellas eſſe ſeptem eccleſias & ſeptem candela-
„ bra aurea. Hunc hæreticum a Theodoro Pra-
„ genſi Epiſcopo, forte in Miſia mediterranea,
„ anathematizatum in Synodo ſeptem Epiſcopo-
„ rum ibidem legimus.

D. Lugendus ſane eſt Bardeſanis, viri, ut ais, de Eccleſia bene meriti, lapſus, infauſtuſque exitus. Sed nihil de *Tatiano* dicis, cui ſimilem ſortem obtigiſſe narrabant mihi nuperrime viri eruditi?

Digitized by Google

M. Eamdem, proh dolor! funeſtam ſortem expertus eſt *Tatianus*. Ille quippe, vivente Sancto Juſtino Martyre, cujus erat diſcipulus, in fide conſtans perſeveravit, & egregium edidit librum adverſus Gentiles, quem etiamnum modo habemus. Aſt poſt Sancti Juſtini martyrium Tatianus ſua ſcientia plus æquo elatus in Hæreſim lapſus eſt, & relicta Roma errores in Piſidia, & Cilicia docuit, factus Auctor Sectæ *Encratitarum*, ideſt, *Continentium*, qui nuptias deteſtabantur, & carnium, vinique uſum prohibebant, indeque etiam dicti ſunt *Hidroparaſtæ*, ſeu *Aquarii*, quod in myſteriis ſola aqua contenti, vino penitus abſtinerent. Præterea, Tatianus Æonum quorumdam inviſibilium fabulam a Valentino mutuatus eſt. Adamum primum generis humani parentem ſalvatum non eſſe contendebat. Denique, ex quatuor Evangeliis unum contexuit, quod *Diateſſaron* appellatur, hæreſimque ſapit, utpote in quo Tatianus ſeriem Avorum Chriſti Domini, & cætera, quibus eum veram carnem geſſiſſe, & ex ſemine Davidis oriundum eſſe declaratur, de induſtria reſecuit. Tatianum ſectatus eſt *Severus*, a quo Severiani originem habuerunt. Ex hac etiam Encratitarum Secta prodierunt Hæretici dicti *Apoſtolici*, qui, præter Tatiani errores, aſſerebant, non licere aliquid quocumque modo poſſidere, ideoque etiam *Apoſtatici*, ideſt, Renunciatores fuerunt appellati, vel *Saccophori*, quod ſacco induti incederent, ut ſub illo ſpecioſo pietatis obtentu popularem auram fucata, & adſcititia pœnitentia captarent. (*a*)

(*a*) „ Num evangelium diateſſaron ipſum ſit
„ Tatiani hæretici opus, dubii adhuc hæremus:
„ quamquam enim id ſenſiſſe viſi ſunt veteres
„ quidam, hoc ducti argumento, quod hoc in
„ libro Chriſti genealogia reſecata ſit; multa ta-
„ men in ea remanent intacta, quæ ſi ſcripta
„ fuiſſent ab hæretico, & quidem ſacrorum li-
„ brorum corruptore, vix ac ne vix quidem re-
„ licta fuiſſent integra; ex quo fit, ut non im-
„ merito Pagius aliique cum illo harmoniam Evan-
„ gelii a Tatiano ſcriptam ætatem nequaquam
„ tuliſſe, ſed una cum ejus aliis ſcriptis periiſſe
„ ſuſpicentur.

D. Memini etiam me audiiſſe, *Tertullianum*, virum omnigena litteratura præditum, & egregium Eccleſiæ defenſorem, a fide Catholica defeciſſe, & in Hæreſim impegiſſe, quæ, & qualis fuerit? rogo te ut me edoceas.

M. Sic eſt: Tertullianus poſt proſtratos Apellem, Praxeam, & Hermogenem, poſt profligatos Judæos, Gentiles, & Gnoſticos; poſt Infidelium blaſphemias multis voluminibus everſas; tandem inſanis fanaticarum mulierum ſomniis deluſus in Montani Hæreſim prolapſus eſt. Porro, *Montanus* ortus ex vico Phrygiæ *Ardaban* dicto in hos prorupit errores. Primo, inconditis vocibus Prophetam agendo, ſibi, non Apoſtolis, eximium Spiritus Sancti donum arrogabat. Secundo, duabus abreptitiis fœminis, videlicet *Priſcæ*, & *Maximillæ* a maritis abductis inſaniæ ſuæ afflavit ſpiritum, eaſque Prophetiſſas haberi voluit. Tertio, nuptias ſolvebat, eaſque prohibebat, ut infames. Quarto, nunquam in perſecutione fugiendum, ſed loco ſiſtendum docebat. Quinto, tres Quadrageſimas obſervabat in anno. Sexto, Novatianis præluſit, utpote qui ad omne pene delictum fores Eccleſiæ crudeliter obſerabat, ſicut ait Sanctus Hieronymus Epiſtola 54. ubi etiam Montaniſtarum Hierarchiam recitat, in qua primum locum ii, quos appellabant *Patriarchas*, occuparent; ſecundum, *Cenones*; tertium, ideſt pene ultimum, Epiſcopi tenerent. Fertur, Montanum, atque Maximillam malo genio afflatos, ſibi tandem laqueo fregiſſe gulam. His Montani erroribus, & inſulſis mulierum nugamentis adhæſit Tertullianus, qui antea omnes ingenii nervos in Chriſtianiſmi defenſionem intendens, immenſas eruditionis & eloquentiæ opes plena manu effuderat. Montani diſcipuli vocati ſunt *Cataphryges*, & *Pepuziani*, a locis videlicet, in quibus vel emerſit, vel magis viguit hæc Hæreſis, qua bene multi in Aſia, Phrygia, Galatia, Cilicia, & Africa fuerunt infecti. In duas tamen claſſes diviſi ſunt, quorum alii *Proclum* Ducem ſequebantur, alii *Æſchinum*, ut ait auctor Appendicis ad lib. Tertulliani de præſcript. Ejuſdem Montani Sectæ ſoboles fuerunt *Quintilliani* dicti etiam *Artotyritæ*, qui Euchariſtico pani caſeum admiſcebant, & mulieres ad Epiſcopatum, & Presbyteratum evehebant. Ab eadem quoque Secta profecti ſunt *Paſſalorynchitæ*, ſed *Aſcadrogitæ*, ſic appellati, quia inter orandum nari digitum infigebant. (*b*)

(*b*) „ His quæ de Montano hic traduntur,
„ addenda nonnulla judico; nempe ſecundas nu-
„ ptias omnino ab illo ut vetitas, & illicitas
„ damnari. Inſuper tres quadrageſimas, ita Mon-
„ taniſtæ ſervabant, ut hæreſis damnarent eos,
„ qui huic diſciplinæ ſeſe non ſubmitterent. Ce-
„ terum quæ hic traduntur de Tertulliano vera
„ quidem ſunt, verum minus caſtigate ſcripſit
„ auctor, dum ait, illum poſt profligatos Judæos,
„ Gentiles &c. tandem in hæreſim, Montani
„ incidiſſe; conſtat enim illum jam Montaniſtam
„ libros illos fere omnes ſcripſiſſe.
„ Accedit hiſce error maximus Montaniſtarum
„ de negandа venia iis, qui poſt Baptiſmum
„ Idololatriam, homicidium, ſive adulterium com-
„ miſiſſent, neque veniæ eis dandæ facultatem
„ Eccleſiæ indultam eſſe contendebant.

Jam ſeneſcente ſecundo Eccleſiæ ſeculo, ſedente *Victore* Romano Pontifice, *Blaſtus* damnatus eſt tanquam reus Schiſmatis Aſianorum, & *Florinus* Romanus quondam Presbyter in Marcionitarum Hæreſim lapſus eſt. *Blaſtus* ſiquidem, ut ait Euſebius lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 15. & 20. Aſianorum celebrandi Paſchatis ritum die decima quarta menſis primi, qua Judæi Paſcha peragere ſolent, Romæ acriter propugnavit. *Florinus* vero, inſtar Marcionis, duo Numina, boni ſcilicet & mali, admiſit. Quare S. Irenæus adverſus Florinum Epiſtolam ſcripſit *de unitate Numinis*, & aliam ad Blaſtum *de Schiſmate* direxit Epiſtolam, ſicut teſtatur mox laudatus Euſebius.

D. Recenſuiſtine omnes Hæreſes, quæ exortæ ſunt in ſecundo Eccleſiæ ſæculo?

M. Superſunt adhuc Hæreſes *Theodoti Coriarii*, *Artemonis*, & *Hermogenis*, a quibus breviter me expediam, ne tibi faſtidium ingeram. *Theodotus* Bizantinus, arte Coriatius, Chriſtum eſſe merum, ac purum hominem impie aſſerebat. Diſcipulos habuit *Aſclepiadem*, *Hermopylum*, *Apollonium*, & *Theodotum Trapezitam*, qui ultimus Pſeudo-Magiſtri ſui errori addidit, *Melchiſedechum* eſſe virtutem cæleſtem meliorem Chriſto. Hinc prodierunt *Melchiſedechiani* Hæretici. Diſcipuli Theodoti Coriarii appellabantur *Theodotiani*, quibus ſolemne erat Canonem Scripturarum mutilare, ubi Jeſu Chriſti Deitas enunciabatur. S. Epiphanius eos etiam nominat *Alogos*, idest, *ſine verbo*, quia Evangelium S. Joannis, in quo deſcribitur æterna Verbi Divini generatio, & Apocalypſin, ceu ſcripta eſſent ab Hæreſiarcha Cerintho repudiarent. In hoc Theodoti Coriarii erroris luto hæſit quoque *Artemon*, Chriſto divinitatem perinde abjudicans. Poſtremo, *Hermogenes* eo deſipuit, ut diceret materiam eſſe ingenitam, & Deo coæternam, ſicut videre eſt apud Tertullianum in libro, quem contra hunc Hæreticum concinnavit. Habes nunc compendioſe deſcriptas omnes Hæreſes, quæ ſecundo nominis Chriſtiani ſæculo, bellum Eccleſiæ indixerunt.

D. Profecto jam intelligo, Eccleſiam Chriſti ab omnibus portarum inferi concuſſionibus eſſe ſecuram; quippe quæ tot inter Hæreſes, & domeſticorum ſciſſuras non ſuccubuit, ſed potius Dei virtute freta, & continuo Dei protegentis auxilio munita, victrix ſemper extitit, ſemper triumphans, tot ornata palmis, quot Hæreticorum armis fuit laceſſita.

M. Alios, quos de Hæreticis Eccleſia retulit, triumphos enarrare pergam, ſi te audire non tædeat Hiſtoriam Hæreſum, quæ in tertio ſæculo in ruinam, atque exterminium Eccleſiæ conſpirarunt.

D. Eo libentius audiam, quod iſti Hæreticorum conflictus in decus immortale Eccleſiæ cedant, indeque fidei meæ firmetur credibilitas, & meus erga Matrem Eccleſiam filialis amor magis, ac magis inardeſcat.

M. Ut rem totam paucis conficiam, exordium duco ab illo Schiſmate, quod in tertio Eccleſiæ ſæculo ortum eſt in Africa, quodque progreſſu temporis in apertam degeneravit Hæreſim. Illius Schiſmatis Auctor *Feliciſſimus* fuit, in cauſa lapſorum, quos citra præmiſſam ſatisfactionem mox recipi, & contra antiquam, & receptam Eccleſiæ diſciplinam præpropera venia donari debere pertendebat. Erant porro duæ lapſorum claſſes. Prima erat illorum, qui, ſæviente Imperatoris Decii perſecutione, Idolis cultum per ſeſe exhibuerant. Altera claſſis erat eorum, qui *Libellatici* dicebantur, quique per ſe, vel per amicos fidem negaverant, & impunitatis libellos a Magiſtratibus obtinuerant. *Deciana* itaque deferveſcente, jamque ſopita perſecutione, non niſi poſt gravem, ac diuturnam pœnitentiam, quæ tamen Confeſſorum, ſeu eorum, qui pro fide Chriſti ſtrenue decertaverant, precibus minuebatur, in Eccleſiam iſti lapſi recipiebantur. Quam diſciplinam cum abolere vellent *Feliciſſimus*, & *Novatus* Presbyter Carthaginenſis veniam abſque mora omnibus promiſcue lapſis indulgentes, a Sancto Cypriano Carthaginenſi Epiſcopo fuerunt graviter objurgati, & tantum non ab Eccleſia reſciſſi. Quo factum eſt, ut Novatus haud parum ſtomachatus, & imminentem capiti ſuo procellam præſagiens, Romam venerit, ubi Novatiano Romano Eccleſiæ Diacono junctus diuturnas inter Chriſtianos turbas invexit. Novatianus quippe quietis impatiens, & impotenti ambitionis æſtu abreptus nihil intentatum reliquit, ut Cornelii Summi Pontificis ordinationem tanquam illegitimam abrogaret, ſeque in ejus locum ſufficeret. Quare magnam plebis partem mille nocendi artibus a Cornelio ſeparavit, & factione ſua corroboratus, in Romanum Pontificem, ſeu potius Antipapam evectus eſt, novamque Schiſmati Hæreſim adjunxit, negando videlicet, Eccleſiam jus & auctoritatem habere lapſis in perſecutione, ideſt *ſacrificatis*, & *libellaticis* veniam indulgendi. Quam feralem deinde ſententiam Novatianus ad cætera alia peccata poſt Baptiſmum commiſſa extendit, itaut omnibus in aliquod peccatum poſt Baptiſmum prolapſis, & ad Eccleſiam lachrymis, & gemitu, & dolore pulſantibus, divinæ pietatis, & paternæ lenitatis ſolatia, atque ſubſidia crudelitate poſt hominum memoriam maxima denegaret. Sic iſtud Schiſma a Feliciſſimo & Novato excitatum, quod a nimia facilitate veniæ lapſis concedendæ cœptum erat, tandem contra errantium vota deſinit in extremum & e regione oppoſitum errorem, & qui antea nullum lapſum a venia arcebant, poſtea nulli poſt lapſum veniam dandam cum Novatiano prædicarunt. Novatiani diſcipuli dicti ſunt ab illius Sectæ Auctore *Novatiano*, vel *Cathari*, ſeu *Mundi*, quod ſe ſolos labis puros exiſtimarent, & Phariſæorum more, ſe a peccatoribus, quos venia omnino indignos judicabant, diſcernerent *Novatiani* igitur nomen ſuum ſortiti ſunt non a Novato Carthaginenſi Presbytero, ſed a *Novatiano* Eccleſiæ Romanæ Diacono. Quod ſane Græcis Scriptoribus non fuit ſatis compertum, hi ſiquidem Novatum cum Novatiano perperam confundunt, licet aliunde Hiſtoria Schiſmatis Novatiani accurate narretur apud Euſebium lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 43. ubi inſeritur Epiſtola Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum.

Aliud in tertio ſæculo ſub Stephano Summo Pontifice non minus periculoſum fuit Schiſma Rebaptizantium, qui Hæreticos ad gremium Eccleſiæ redeuntes denuo baptizandos eſſe magno animorum æſtu contendebant, quibus Stephanus Papa ſe tanquam murum æneum oppoſuit. Sed de hoc Rebaptizantium Schiſmate, quod Eccleſiæ grave faceſſivit negotium, commodius in proximo Colloquio agemus, in quo ſermo nobis erit de Conciliis, quæ in tribus primis Eccleſiæ ſæculis ad profligandas Hæreſes, & ad componenda Schiſmata variis in locis fuerunt celebrata.

Præter illa duo Schiſmata, quæ Eccleſiam in tertio ſæculo haud parum exagitarunt, nonnullæ etiam

etiam obortæ ſunt Hæreſes, quæ illius ſinum viperino dente proſciderunt. Prima eſt *Noetii* Epheſii, qui conſepultam *Praxeæ* Hæreſim recoxit, ac poſtliminio revocavit, tres Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis in unam confundens, aſſerenſque Patrem æternum eſſe paſſum pro nobis, unde illius Hæreſeos fautores appellati ſunt *Patripaſſiani*. Eamdem Praxeæ, & Noetii Hæreſim ſuo nomine, ac patrocinio celebriorem fecit *Sabellius*, qui itidem docuit, ac vehementius propugnavit, in divinis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non eſſe tres diſtinctas Perſonas, ſed unam duntaxat trinominem eſſe Perſonam, quæ, prout ingenita eſt, & creandi principium, dicitur *Pater*, prout incarnata *Filius*, & prout ſanctificans creaturas, *Spiritus Sanctus* vocatur. Alteram, nec minus execrabilem, eodem ſæculo Hæreſim invexit *Paulus Samoſatenus*, natione Syrus, Epiſcopus Antiochenus, qui auſus eſt aſſerere, Chriſtum non ſemper fuiſſe, nec ante Mariam Virginem extitiſſe, ac ſubinde, non Deum, ſed purum putumque hominem eſſe. Hinc prodiit *Paulianiſtarum* Secta, quos relicta Hæreſi ad Eccleſiam revertentes iterum baptizari debere ſanxit Concilium Nicænum Primum, eo quod Baptiſmi formam interpolarent. Præter duas illas Hæreſes, quæ in tertio ſæculo Eccleſiam infeſtarunt, S. Epiphanius in lib. de Hæreſibus mentionem facit Sectæ *Valeſiorum*, cujus auctor fuit Arabs quidam nomine *Valens*. Horumce Hæreticorum non alius refertur error, quam quod ſeſe Eunuchos facerent. Meminit etiam idem Sanctus Pater cujuſdam *Angelicorum* Hæreſis, auctore ignoto. Quinam etiam fuerit palmaris illorum error? incertum omnino eſt. Nec minus obſcura eſt origo alterius, quam refert Sanctus Epiphanius, Hæreſis *Origeniſtarum*, qui ex infami Gnoſticorum cloaca egreſſi nuptias damnabant, obſcenis voluptatibus ſe conſpurcabant, & libris ſpuriis, & apocryphis, quos proprio marte procuderant, ad ſuos ſtabiliendos errores utebantur. Quapropter, ejuſmodi Origeniſtæ confundi haud debent cum Diſcipulis famoſi Origenis Adamantii. Poſtremo, *Nepos Ægyptiacus* Epiſcopus impii Cerinthi fabulam de millenario Chriſti in terris Regno deliciis corporeis, & illicitis voluptatibus referto, quod poſt Reſurrectionem juſtis promiſſum eſſet, inſtauravit in tertio Eccleſiæ ſæculo, quem Dionyſius Alexandrinus egregie confutavit, ſicut referunt Euſebius, & Theodoretus. Sed hic noſtro de Hæreſibus, quæ tribus primis ſæculis monſtruoſa capita erexerunt, colloquio finem imponamus, craſtina luce, bene fortunante Deo, acturi de Conciliis, quæ in tribus primis Eccleſiæ ſæculis ad jugulandas, & profligandas illas Hæreſes variis in locis coacta fuerunt.

D. Hoc argumentum mihi tam gratum erit, quam quod maxime. Nam ſicut in primo, quod de perſecutionibus contra Eccleſiam hinc inde excitatis habuimus, colloquio, a te perlubenti animo didici, quo pacto Eccleſia in tribus primis ſæculis licet in membris ſuis cæſa, vel in exilium relegata, vel in carcere captiva, vel fame conſumpta, vel flammis exuſta, vel aliis id genus tortorum immaniſſimorum ſuppliciis ubique exagitata, victrix tamen ſemper extitit, & tot inter imminentes ruinas florentior evaſit, atque vegetior; ita maxima cum animi mei oblectatione in proximo Colloquio addiſcam, quomodo Eccleſia in Conciliis congregata de proſtratis Hæreſibus illuſtria trophæa erexit.

COLLOQUIUM V.

De Conciliis, quæ in tribus primis Eccleſiæ ſæculis fuerunt celebrata.

D. UT pleniorem Conciliorum, quæ in tribus primis Eccleſiæ ſæculis fuerunt celebrata, notitiam aſſequi poſſim, haud parum juvabit paucis explicare verbis, quid, & quotuplicis generis ſit Concilium? & unde Conciliorum origo profecta ſit?

M. *Concilium* nihil aliud eſt, quam convocatio, ſeu Epiſcoporum cœtus ad dirimendas controverſias, quæ circa fidem, & bonos mores exoriuntur, vel ad ſarciendam diſciplinam Eccleſiæ, cujus rigor, cum temporum injuria quandoque remittatur, vi Canonum, qui conduntur in Conciliis, inſtaurari, atque reſarciri debet. Quadruplicis autem generis eſt Concilium, videlicet Œcumenicum, ſeu Generale, Nationale, Provinciale, & Diœceſanum. Concilium Œcumenicum, eſt convocatio totius, qua late patet, Orbis Chriſtiani Epiſcoporum, quæ fit per Epiſtolam Encyclicam ad omnes Epiſcopos directam a Romano Pontifice, cui ſoli ex jure, & ex officio incumbit indicere Concilia Generalia, eiſque vel per ſe, vel per ſuos Legatos præeſſe. Concilium Nationale eſt illud, quod a Patriarcha, vel a Primate cogitur, cuique omnes Primatiæ, ſeu alicujus Nationis, vel Regni Epiſcopi interſunt. Concilium Provinciale illud eſt, quod unius Provinciæ finibus coercetur, & convocatur ab Archiepiſcopo omnes ſuæ Provinciæ ſuffraganeos invitante Præſules. Poſtremo, Concilium Diœceſanum vocatur illud, quod ab Epiſcopo una cum ſuæ Diœceſeos Parochis in rem peculiaris Eccleſiæ ſibi a Deo creditæ celebratur. Porro ejuſmodi Concilia non pari gaudent in Eccleſia authoritate, ſed Concilia duntaxat Generalia a Summo Pontifice legitime convocata in fidei, morumque controverſiis dirimendis indeficienti pollent auctoritate, ut in confeſſo eſt apud omnes Catholicos, qui conſtanter profitentur, ſacra Concilia ſuam habere originem a Chriſto Domino, qui ſuam aſſiſtentiam ſacris Eccleſiæ Conciliis promiſit, dicens Matth. c. 18. v. 10. *ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Hinc Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano congregati, in eo, quod pro ceſſatione *legalium* ediderunt, decreto, authoritatem ſibi Spiritus Sancti aſciſcunt his verbis: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*, Actuum Apoſt. cap. 15.

D. Quando nam Concilia in Eccleſia celebrari cœperunt?

M. In primo Eccleſiæ ſæculo Concilia in Ec-

cleſia celebrari cœpiſſe, liquido colligitur ex lib. Actuum Apoſtolorum, quo legimus, tria ab ipſis Apoſtolis habita fuiſſe Concilia, in quorum primo diſcipuli, qui convenere numero circiter centum viginti, ſuffecerunt Mathiam in locum perfidi Judæ, qui impii ſui & ſacrilegi facti, ſed ſero, pœnitens, relatis argenteis triginta, contumelioſeque exploſus a ſuis emptoribus, in deſperationem actus ad reſtim confugerat, & ſuſpenſus ex arbore viſcera ſua voranda corvis turpiter egeſſerat. Sic enim ait ſacer Hiſtoricus: *Et ſtatuerunt duos, Joſeph, qui vocatur Barſabas, qui cognominatus eſt Juſtus, & Mathiam, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum Miniſterii hujus, & Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum; & dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.* Actuum Apoſt. cap. 1. Alterum Apoſtolorum Concilium refertur cap. 6. laudati libri, ubi dicitur, coacto per Apoſtolos diſcipulorum grege, communibus ſuffragiis electos primum fuiſſe ſeptem Diaconos, propter murmur Græcorum, ideſt Gentilium, qui Chriſtianæ Religioni nomen dederant, adverſus Hebræos Chriſtiana itidem Religione initiatos, eo quod in miniſterio quotidiano deſpicerentur viduæ eorum, ſeu Græcorum. Viduæ quippe Hebræorum, quæ menſarum miniſterio vacabant, non ſolum locupletiora miniſteria ſibi arrogabant, aliis vilioribus miniſteriis ad viduas Græcorum relatis, ſed etiam in ciborum, & veſtium diſtributione Hebræis magis favebant, pluraque illis ſuppeditabant quam Græcis. Quo factum eſt, ut murmur excitatum ſit Græcos inter, & Hebræos, ad quod ſedandum Apoſtoli Hieroſolymis in Concilio congregati ſeptem ſelegerunt Diaconos plenos ſapientia, & Spiritu Sancto, qui ſacra ordinatione muniti, menſæ non ſolum prophanæ, ſicut antehac factitabant viduæ, inſervirent, ſed etiam ſacræ menſæ eſſent miniſtri, omnibuſque, abſque ullo partium ſtudio, cum alimenta, tum veſtimenta æqualiter diſtribuerent. Tertium denique Apoſtolorum Concilium fuſe deſcribitur cap. 15. lib. Act. Apoſt. in quo decreverunt Apoſtoli immunes eſſe Fideles a jugo Circumciſionis & Moſaicæ legis obſervantiarum, illiſque tantum id oneris impoſuerunt, ut abſtinerent ab immolatis ſimulachrorum, a ſanguine, a ſuffocatis animalibus, & a fornicatione. Alia, præter hæc tria, quorum apertam mentionem facit Scriptura ſacra, referuntur Concilia ab Apoſtolis habita, quæ hic conſulto, ac jure merito prætermitto, quoniam de his omnino ſilet Scriptura ſacra, quæ utique non omiſiſſet, ſi revera fuiſſent ab Apoſtolis celebrata. Quare hic obſervaſſe ſufficiat, Eccleſiam ab ipſis Apoſtolis formam convocandi Concilia accepiſſe, quam ipſorum poſt diſceſſum retinuit, cogendo interdum Concilia, dum aliqua gravis Eccleſiæ urgebat neceſſitas, ſive ad gliſcentes proſcribendas Hæreſes, ſive ad morum, atque diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſanctiores regulas præſcribendas.

D. Fueruntne in tribus primis Eccleſiæ ſæculis frequenter celebrata Concilia?

M. Non tam frequenter in tribus primis Eccleſiæ ſæculis, quam ſuccedentibus aliis temporibus, habita fuerunt Concilia; tum quia ob ſævientes perſecutiones, & immania Ethnicorum Imperatorum edicta, integrum, ac tutum non erat Epiſcopis prodire, conventuſque habere; tum etiam cum id ætatis doctrinæ, Traditioniſque Apoſtolorum recens adhuc eſſet, omniumque fidelium animis altius impreſſa memoria, promptum unicuique, ac proclive erat verum a falſo diſcernere. Quocirca veritas in iſtis aureis Eccleſiæ ſæculis per ſeſe ſatis tuta, ac ſingulis pervia Conciliorum definitionibus ad confingendos errores minime egebat. Hinc eſt, quod apud nullum probatæ fidei Scriptorem Eccleſiaſticum legitur, fuiſſe olim habita Concilia, ſaltem Generalia, ad damnandas illas Hæreſes, quas in ſuperiori Colloquio ſingillatim recenſui. At enim tunc Chriſtiani, divino quodam affulgente lumine, detectos Hæreticorum errores e veſtigio execrari conſueverant, & avitæ fidei, quam ab Apoſtolis hauſerant, retinendæ tenaciſſimi, nihil commercii, aut ſocietatis cum iſtis fidei corruptoribus habere volebant, ſed eos tanquam male feriatos homines, tanquam excommunicationis fulmine perculſos, & a vera Eccleſia extorres diris devovebant, excitati præſertim cura, ac vigilantia Epiſcoporum, qui gregem ſibi creditum vera fide imbuere ſatagebant, & ſparſos ab Hæreticis errores qua Scripturæ ſacræ, qua illibatæ Traditionis authoritate ſtrenue retundebant.

D. Quonam igitur tempore poſt diſceſſum Apoſtolorum Concilia primum fuere celebrata in Eccleſia? & quænam illa ſunt?

M. Hiſtoria Eccleſiaſtica primo loco poſt Apoſtolorum diſceſſum ea reponit Concilia, quæ ſecundo exeunte Eccleſiæ ſæculo occaſione controverſiæ circa diei Paſchalis obſervationem habita ſunt. Eccleſia ſiquidem Romana, quæ mater eſt omnium Eccleſiarum, antiquam ſecuta conſuetudinem, Paſcha inviolabili ritu in venerationem Dominicæ Reſurrectionis peragebat Dominica die, quæ poſt æquinoctium vernum proxime ſequitur diem XIV. lunæ menſis Martii. Ex adverſo, Eccleſiæ Aſianæ Paſcha more Judæorum celebrabant die XIV. lunæ menſis Martii in quamcumque hebdomadæ diem incideret. Hæc porro controverſia de die Paſchalis celebrationis, cum primum cœpit, nullas animorum ſimultates, niſi leves, in quibus animarum ſalutis cardo non vertebatur, produxit. Nam S. Polycarpus Smyrnæ Antiſtes, qui Aſiaticum ritum conſectabatur, Romam cum veniſſet, nec in ſententiam Aniceti Papæ, qui Romanum & univerſalem circa diem celebrationis Paſchæ ritum ſequebatur, deſcendere voluiſſet, ambo tamen, ſicut viros bonos decet, ſalva, & incolumi amicitia, ſeque pacis oſculis mutuo amplexi diſceſſerunt, rati diverſum illum ritum, qui ſolam Eccleſiæ ſpectabat diſciplinam, nulla Eccleſiarum ſciſſione, ac nullo animarum damno inde ſubnaſcente, tuto poſſe hinc inde obſervari. Aſt

Digitized by Google

ſub Victore Papa, ſeneſcente jam ſecundo Eccleſiæ ſeculo, hæc lis vehementius exarſit. Tunc enim *Polycrates* Epiſcopus Epheſinus cum ſibi conſentientibus Epiſcopis Concilium convocavit, & epiſtolam Synodicam, cujus fragmentum refert Euſebius libr. 5. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 24. ad Victorem Papam miſit, in qua proteſtatur, ſibi, & aliis Orientis Epiſcopis nefas eſſe, alia die, quam decima quarta lunæ Martii Paſcha celebrare, ritumque illum Aſianarum Eccleſiarum vindicat tanquam omnino conformem ei, quam prædictæ Eccleſiæ a Sancto Joanne Evangeliſta acceperant, traditioni. Id ægre tulit Victor Papa, & Concilium Romæ coegit, in quo conſpirantibus omnium votis ſancitum eſt, Aſiaticos, qui alio, quam Dominicæ Reſurrectionis die, Paſcha deinceps celebrarent, & Eccleſiæ Romanæ diſciplinam ſequi detrectarent, a fidelium communione eſſe rejectos. Epiſtolam Synodicam hujus Concilii *Victor* ad Epiſcopos Aſianos miſit, & ſicut ſcribit Euſebius lib. 5. Hiſtor. Eccl. cap. 24. univerſos, qui illic erant, fratres proſcripſit, & ab unitate prorſus alienos pronunciavit. Nonnulla alia Concilia in iſto dirimendo circa Paſchatis celebrationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ negotio habita fuiſſe refert ibidem Euſebius, *Palæſtinum*, cui Theophilus Epiſcopus Cæſareæ, & Narciſſus Hieroſolymorum præfuerunt; *Ponticum*, *Corinthiacum*, *Lugdunenſe*, aliaque Gallicana, quæ cum Romanæ Eccleſiæ diſciplinæ obſervatione apprime conveniebant. S. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus nomine Eccleſiarum Galliæ ad Victorem Papam direxit epiſtolam, in qua eum adhortatur, ut Eccleſias Aſianas propter obſervationem illius de Paſchatis celebratione ritus, quem a majoribus ſuis acceptum retinebant, a ſua communione non ſepararet, maxime cum in Eccleſia pro locorum varietate & uſu, diverſi permittebantur ritus tam circa jejunii obſervationem, quam circa alia quædam diſciplinæ Eccleſiaſticæ capita. Veroſimile eſt, Victorem Papam ad hanc S. Irenæi ſuggeſtionem placatum pacem Eccleſiis Aſianis reddidiſſe, quia ut obſervat *Petrus de Marca* lib. 3. cap. 2. *de Concordia Sacerdotii, & Imperii*, conſtat ex Euſebio, & ex Socrate de excommunicatione a Victore Papa Eccleſiis Aſianis inflicta, & de epiſtola S. Irenęi; conſtat etiam ex Sozomeno de communione Victoris Papę, & Polycratis Epheſiorum Epiſcopi nunquam interrupta, quod certe contingere haud potuit, niſi ſuſpenſo a Victere Summo Pontifice excommunicationis effectu poſt monita S. Irenęi. Non deſunt tamen viri eruditi, qui aſſerunt, Victorem litteris quidem comminatoriis perſtrinxiſſe Aſianos veteris conſuetudinis de celebrando Paſchate die XIV. lunę menſis Martii retinentiſſimos; volunt tamen, eum dumtaxat hęſiſſe intra minas, nec ipſos revera a communione pręcidiſſe, pacem procurante S. Irenęo. Verum attente legenti Euſebium loco mox a me citato, luculenter patebit, Victorem non ſolum minatum fuiſſe Aſianis excommunicationem, ſed reipſa in illos excommunicationis tuliſſe ſententiam. Conſule, ſi plura hac de re ſcire aveas, doctiſſimum Schelſtrat. part. 2. Antiq. illuſtr. diſſert. 1. cap. 3. ubi hanc Polycratis cum Victore Papa pro obſervatione Paſchatis contentionem egregie dilucidat, & in optimo lumine collocat. Nobis vero hęc de Conciliis in ſecundo Eccleſię ſęculo celebratis pauca pręlibaſſe ſufficiat. (*a*)

„ (*a*) Adverſus Montanum celebratum Con-
„ cilium auctore Apollinario Hierapolis in Aſia
„ Epiſcopo coactis in unum viginti ſex Epiſco-
„ pis ejuſdem provinciæ, tradit auctor libelli ſy-
„ nodici, & confirmat Apollinarius in libro un-
„ decimo adverſus Cataphrygas, cujus fragmen-
„ tum legitur apud Euſebium Hiſtor. Eccleſiaſt.
„ libr. IV. capit. XVI. Ibi pariter damnatum
„ Theodotum Coriarium addit auctor libri ſynodici.
„ Occaſione Conciliorum in Africa addere hic
„ juvat Agrippinum Carthaginenſem Epiſcopum
„ aliud celebraſſe concilium in ſua ſede, in quo
„ ſancitum: *ne clericus ullam curam tutelamque*
„ *ſuſciperet*. Meminit hujus Sanctus Cyprianus
„ in Epiſtola ad Clerum & plebem Furnitanorum.

D. Quænam in tertio Eccleſiæ ſæculo fuerunt celebrata Concilia?

M. Occaſione graviſſimæ iſtius concertationis de validitate collati ab Hæreticis Baptiſmi, quæ tertio ſæculo agitata eſt, diuque Eccleſiam ferme univerſam diſtinuit, multa diverſis locis habita ſunt Concilia. Hæc autem diſceptatio ante S. Stephani Pontificatum mota primum fuit ab Epiſcopis Africanis ſub Agrippino Carthaginenſi Epiſcopo, totiuſque Africæ Primate, qui coacto Africæ, Numidiæque Epiſcoporum Concilio, Canonem edidit de iterando Hæreticorum Baptiſmo, ſicut teſtatur S. Cyprianus epiſt. 71. ad Quintum, & 73. ad Jubajanum. Iiſdem fere temporibus, hoc eſt, ante S. Stephani Pontificatum, duo in Oriente, videlicet *Iconii* in Phrygia, & *Synnadis* in Aſia celebrata ſunt Concilia, in quibus Hęreticos ad Eccleſiam revertentes, iterum baptizandos eſſe ſancitum eſt. At ſub *Stephano* univerſam adminiſtrante Eccleſiam cum hęc diſputatio, haud parum exacerbatis hinc inde partium animis, graviores turbas excitaret, neceſſe habuit Eccleſia complures celebrare Synodos, ne pax diutius turbaretur. Quare circa annum Chriſti CCLV. Epiſcopi Numidię quid in hacce controverſia facto opus eſſet, quidve in ea ſtatuerent, incerti, conſuluerunt Sanctum Cyprianum, & Africanæ Eccleſię Epiſcopos per litteras, eoſque obnixe rogarunt, ut ſuam hac de re ſententiam aperire haud gravarentur. Promptos ſeſe exhibuerunt Cyprianus, aliique Epiſcopi Africani, qui in Concilio congregati cenſuerunt: *Neminem foris baptizari extra Eccleſiam poſſe, ideoque de errore, & pravitate venientibus per omnia divinæ gratiæ Sacramenta unitatem, & fidei veritatem dari debere*. Hujus primæ Synodi Carthaginenſis magna pars fuit Sanctus Cyprianus, qui doctrinam de rebaptizandis Hęreticis non ſolum didicerat a ſuo prædeceſſore Agrippino, ſed illam inſuper hauſerat a Tertulliano, qui ante ſuam ab Eccleſia defectionem librum Græco ſermone procuderat, quo probandum ſuſcipiebat, ratum

non

Digitized by Google

non eſſe Baptiſmum a quoquam Hæretico collatum. Is quidem Tertulliani liber omnino intercidit, illius tamen meminit Tertullianus in libr. de Baptiſmo cap. 10. ubi eamdem doctrinam proponit, ac defendit. Peracta itaque illa Carthaginenſi Synodo, Cyprianus ſcripſit ad Stephanum Summum Pontificem epiſtolam Synodicam, quæ illum de hac definitione facta a Patribus Africanis certiorem faciebat. Quam ubi accepiſſet Stephanus, confeſtim reprobavit ſanctionem Africani Concilii, diſtricteque vetuit ne quis auderet a contraria Traditione Apoſtoli deſciſcere. Huic Stephani reſcripto morem non geſſit Cyprianus, ſed epiſtolam, quę ordine eſt LXXIV. ſcripſit ad Pompejum querimoniarum refertam, in qua moderationis limites tranſiliens inſimulat Stephanum. Miſit etiam reſcriptum Stephani ad Firmilianum, & ad alios Cappadociæ Epiſcopos, qui Africanorum ſententię de rebaptizandis Hæreticis adſtipulabantur. Firmilianus in omnibus Cypriano conſentiens ad ipſum dedit epiſtolam, quę eſt inter Cyprianicas LXXV. in qua ait, repudiandum eſſe Baptiſma, quod ſit extra Eccleſiam conſtitutum, hancque eſſe ſuæ Eccleſię conſuetudinem, quę a Chriſto, & ab Apoſtolis manavit, multis confirmant. Hoc epiſtolari Firmiliani reſponſio animatus Cyprianus, alteram ſine mora convocat Africanorum Epiſcoporum Synodum, quę eſt Carthaginenſis ſecunda, cui interfuere octoginta ſeptem Epiſcopi ex Provinciis Africę, Numidię & Mauritaniæ, qui omnes præcedens Synodi primæ Carthaginenſis Decretum firmarunt.

D. Necdum ſatis perſpectum habeo ſtatum iſtius controverſiæ, quæ S. Stephanum Papam inter & S. Cyprianum Carthaginenſem Epiſcopum fuit agitata. Quamobrem a te ſcire percupio, an iſta controverſia ſpectaret validitatem, aut invaliditatem Baptiſmi indiſcriminatim ab omnibus Hæreticis collati, vel an potius ſpectaret dumtaxat validitatem, aut invaliditatem Baptiſmi quorumdam Hæreticorum, qui conſuetam Baptiſmi formam interpolabant.

M. Contendebat S. Cyprianus, una cum Epiſcopis Africanis, Baptiſma a quocumque Hęretico, vel Schiſmatico extra Eccleſiam collatum prorſus nullum, & invalidum eſſe, ac ſubinde omnes omnino Hæreticos, vel Schiſmaticos, qui ad Eccleſiam, relicto errore, redibant, iterato Baptiſmo luſtrari, & expiari debere. Quem errorem S. Stephanus in epiſtola ad S. Cyprianum, quæ non amplius extat, reprobans, ſic ſuam protulit ſententiam: *Si quis ergo a quacumque Hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam, &c.* Occaſione illius Decreti a S. Stephano editi exiſtimant nonnulli, Stephanum, damnando morem Cypriani, & Africanorum Antiſtitum, necnon Firmiliani, & Orientalium de rebaptizandis Hæreticis, in extremum impegiſſe errorem, ac ſuo ſtatuiſſe Decreto, quorumcumque Hæreticorum Baptiſma, etiamſi conſueta, & ſolemni Eccleſię forma & ritu non eſſet collatum, ratum eſſe, ac legitimum, proindeque non iterandum. Verum ejuſmodi homines hanc erroris notam S. Stephano perperam inurunt. Primo, quia ſanctus ille Pontifex per hęc verba: *a quacumque Hæreſi*, ſolas illas comprehendit Hęreſes, quę Baptiſmi formam ſervaverant, ſeu quę verbis Evangelicis Baptiſma conferebant, ut innuit ipſemet Cyprianus in epiſtola ad Pompejum, in qua teſtatur, Stephanum Baptiſmum Hęreticorum ratum habuiſſe, ob vim & efficaciam verborum Evangelicorum, quibus confertur. Secundo, S. Auguſtinus lib. 5. contra Donatiſtas cap. 23. ait, *Conſuetudinem illam, quæ opponebatur Cypriano, ab Apoſtolorum traditione exordium ſumpſiſſe*. Vincentius Lirinenſis capit. 9. libr. Common. agens de errore ab Agrippino de rebaptizandis Hæreticis invecto, ait, Stephanum Papam huic errori reſiſtendo antiquitatem retinuiſſe, & novitatem exploſiſſe. Quod profecto nulla ratione dici poſſet, ſi Stephanus in hunc errorem antiquæ Traditioni prorſus oppoſitum lapſus fuiſſet. Poſtremo, ut alias momentis, quæ hanc in rem adduci poſſent, ſuperſedeam; ſi Stephanus in hoc errore verſatus fuiſſet, ſequeretur, univerſam tum temporis Eccleſiam in errore turpiter jacuiſſe, eamque omni ex parte defeciſſe, conſtat ſiquidem omnes id ætatis Epiſcopos, vel in Stephani, vel in Cypriani abiiſſe ſententiam, adeoque ſingulos ad unum Epiſcopos hinc inde erraſſe, cum utraque hypoteſis, ideſt, tam Stephani, quam Cypriani, fuiſſet erronea, quod certe nullus Catholicus aſſerere audeat, cum, juxta Chriſti Domini promiſſa, univerſalis Eccleſia ſpeciali adjuta, & illuſtrata Spiritus Sancti aſſiſtentia deficere haud poſſit. Plura ſuper hac re legi poſſunt apud doctiſſimum Schelſtratium part. 2. antiquit. Eccleſ. illuſtr. diſſert. 1. artic. 2. ubi lato calamo oſtendit, totam diſceptationem Stephanum inter & Cyprianum fuiſſe dumtaxat de Baptiſmo Hæreticorum, ſuppoſito quod in conſueta forma, ſeu in nomine totius Trinitatis Baptiſmum conferrent.

D. In tanto diſputationis æſtu fueruntne Patres Orientales, & Africani, una cum S. Cypriano pacis, atque unitatis Eccleſiaſticæ conſervandæ ſolliciti, aut potius fueruntne reipſa tanquam contumaces a communione, cœtuque Fidelium ſeparati?

M. S. Stephanum cum Afris, & Orientalibus non rupiſſe pacem, ſed tantum minatum eſſe ſe pacem cum iiſdem rupturum, ſi adverſus receptam totius Eccleſiæ conſuetudinem Hæreticos rebaptizarent, diſerte teſtatur Dionyſius Alexandrinus ad Xyſtum Romanum Pontificem Stephani ſucceſſorem, apud Euſebium libr. 7. capit. 5. *ſeſe ob eam cauſam ab illorum communione diſceſſurum, quod Hæreticos rebaptizarent*. Unde Sanctus Auguſtinus libr. 5. de Baptiſmo cap. 25. & aliis in locis ait, S. Stephanum & Cyprianum, alioſque Orientales & Afros Epiſcopos fraternam dilectionem, & pacem in his concertationibus jugiter ſervaſſe: *Vicit*, inquit Aquilinus ille Doctor, *pax Chriſti in cordibus eorum, ut nullum inter eos Schiſmatis malum oriretur*. Verum quidem eſt,

Digitized by Google

eſt, Firmilianum Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum, in ea, quam ad S. Cyprianum ſcripſit, epiſtola, quæ eſt inter Cyprianicas LXI. graviter expoſtulare, quaſi a Stephano Papa fuiſſet a communione Eccleſiæ rejectus. Sed hac in re Firmilianus haud parum ira commotus, Stephani comminationis, perinde ac ſi reipſa executioni mandata fuiſſet, Oratorum more, ſeveritatem plus æquo exaggeravit. Conſtat ſiquidem Firmilianum a S. Stephano nunquam fuiſſe excommunicatum; tum quia Eccleſia Græca in ſuo Menologio die 28. Octobris memoriam Firmiliani celebrat. Non eſt autem credibile Eccleſiam Græcam voluiſſe hominem a Sede Apoſtolica excommunicatum Sanctorum inſerere faſtis; tum quia etiam Firmilianus adfuit celebri Concilio contra Paulum Samoſatenum Antiochiæ celebrato, eumque Patres ſecundi Concilii Antiocheni adverſus eumdem Paulum indicti in ſua epiſtola Synodica ad Dionyſium Romanum Pontificem, & ad omnes Catholici Orbis Epiſcopos data vocant *Beatæ recordationis virum*, quo honoris titulo Patres illius Concilii omni proculdubio Firmilianum non compellaſſent, ſi revera fuiſſet a Stephano Papa excommunicatus. Denique, nec Firmilianum, nec Cyprianum, nec Epiſcopos Afros, & Orientales a Stephano Papa fuiſſe communione privatos, aperte innuit Sanctus Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos ita de Sancto Cypriano loquens: *Sciens illum hæc non cum Anathemate eorum, qui ſe ſequi noluerunt, edidiſſe; ſiquidem in Communione eorum permanſit, qui ſententiæ ſuæ contraierant*. Quapropter, etſi negari non poſſit, Legatos Africani Concilii a Stephano Papa principio durius habitos fuiſſe, eiſque tectum & hoſpitium, ſicut ad S. Cyprianum ſcribit Firmilianus, fuiſſe denegatum, illos tamen poſtea admiſit Stephanus, & ad litteras S. Cypriani reſcripſit, uti colligitur ex epiſtola S. Cypriani ad Pompejum, quod quidem Stephani reſcriptum licet non arriſerit Cypriano, ſed illi paulo acerbius viſum ſit, pacem tamen cum Stephano ſemper retinuit Cyprianus, quippe qui etiam poſt acceptum illud Stephani reſcriptum vocat illum fratrem in Epiſtola ad Pompejum ſub initium.

D. Fuitne hæc de rebaptizandis Hæreticis controverſia tempore Stephani Papæ ſopita, atque compoſita?

M. Nonnulli cum Eminentiſſimo Cardinali Baronio exiſtimant, hanc controverſiam de iterando hæreticorum Baptiſmate fuiſſe tempore S. Stephani Papæ omnino compoſitam, ac proinde Sanctum Cyprianum, Firmilianum, alioſque cum Orientales, tum Afros Epiſcopos ab errore reſipuiſſe, & tandem aliquando palinodiam decantaſſe. Verum, ut cordate fatear, nullum prætenſæ iſtius palinodiæ extat ſive in Cypriani ſcriptis, ſive in aliis antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentis, vel minimum veſtigium. S. Auguſtinus in epiſt. 48. ad Vincentium Donatiſtam, & lib. 2. de Baptiſmo cap. 4. conceptis verbis aſſerit, non inveniri Sanctum Cyprianum ſuam de rebaptizandis Hæreticis aliquando correxiſſe ſententiam. Præterea, ſi huic controverſiæ de rebaptizandis Hæreticis finem revera impoſuiſſet Sanctus Stephanus, quorſum, amabo, poſt illius litis deciſionem, poſt tam ſolemne Cypriani, Firmiliani, aliorumque Epiſcoporum, Orientalium, & Afrorum recantatam palinodiam, publicamque reſipiſcentiam, plures ex Sanctiſſimis Epiſcopis, & Primariis Sanctæ Eccleſiæ Doctoribus auſi deinde fuiſſent conſtanter aſſerere, Hæreticos ad Eccleſiam revertentes denuo eſſe baptizandos, ſi ab Hæreticis fuiſſent antehac baptizati? Certum enim eſt, S. Baſilium Magnum, qui eamdem Cæſareæ Cappadocum rexit Eccleſiam, quam jampridem rexerat Firmilianus, in ſua prima epiſtola ad Amphilochium aperte docere, eos, qui a pravitate Hæretica abſcedunt, priſtinumque errorem abdicant, novo Baptiſmate eſſe initiandos, dum ad Eccleſiam revertuntur. Vigebat igitur adhuc Baſilii Magni temporibus in Cappadocia, aliiſque finitimis Regionibus mos reiterandi Hæreticorum Baptiſma. Dionyſius etiam Alexandrinus, qui Cypriani & Firmiliani ſententiæ, teſte S. Hieronymo, adhæſit, iis, qui Baptiſmum ab Hæreticis collatum irritum eſſe cenſebant, ſe ſuffragari innuit in epiſtola, quam ſcripſit ad Xyſtum Romanum Pontificem: *At vide*, inquit, *quæſo, gravitatem negotii. Revera enim in maximis, ut audio, Epiſcoporum Conciliis decretum eſt, ut qui ab Hæreticis ad Catholicam Eccleſiam accedunt, primum Catechumeni fierent, ac deinde veteris, & impuri fermenti ſordibus per Baptiſmum purgarentur*. Clarius ſeſe explicat idem Dionyſius in epiſtola, quam ſcripſit ad *Philemonem* Eccleſiæ Romanæ presbyterum, apud Euſebium loco mox a me laudato. Unde, cum poſt S. Cypriani mortem Dionyſius haſce duas ſcripſerit epiſtolas, in quibus ſententiæ de rebaptizandis Hæreticis patrocinari ſe non obſcure teſtatur, apparet hunc morem Hæreticos rebaptizandi necdum in Eccleſia Orientali fuiſſe antiquatum, alioqui huic mori jam in Eccleſia abrogato ipſe non fuiſſet obſecutus. Extat quidem apud Euſebium libr. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 4. & 5. epiſtola ejuſdem Dionyſii ad Stephanum Papam, quem de ſancita inter Eccleſias Orientales pace his verbis certiorem facit: *Scias autem, frater, cunctas per Orientem, & ulterius poſitas Eccleſias, quæ prius erant diſciſſæ, nunc autem ad unitatem reverſas eſſe, & omnes Eccleſiarum ubicumque Antiſtites unum, idemque ſentire, & ob redditam inſperato pacem incredibili gaudio exultare*. Ex quibus Dionyſii verbis colligit Eminentiſſimus Annalium Parens, omnes Orientales, mutata ſententia, Stephani Papæ Decretum tandem amplexos eſſe, & in ejus ſententiam deſcendiſſe, poſtquam videlicet Stephanus tam Firmilianum Cappadocem, quam Helenum Tarſenſem cum finitimis Epiſcopis excommunicationis ſententia innodaturum ſe minatus fuiſſet. Verum hanc ſubleſtam Baronii conjecturam non admittunt periti hujus temporis Critici, quia pax illa, ſeu Orientalium Eccleſiarum concordia, de qua Dionyſius in illa epiſtola ad Stephanum loquitur, ſancita non fuit ob repudiatum morem de rebaptizandis Hæreticis, ut falſo ſibi perſuaſit Baronius, ſed occaſione Schiſmatis Novatianorum,

rum,

rum, quod ſub Stephano Papa in Eccleſia Orientali omnino extinctum eſt. Dionyſius itaque hac in epiſtola gratulatur Stephano, quod Orientales Epiſcopi, qui antea inter ſe diſſidebant, dum alii Novatiani partibus, errorique faverent, alii e contra Novatianos diris devoverent, in mutuam tandem redierint concordiam, & Novatiani Hæreſim damnantes ſtatuerint lapſos in Eccleſia eſſe recipiendos. Idque confirmari poteſt locupletiſſimo Euſebii teſtimonio lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 4. ubi hæc habet: *Ad hunc igitur*, ideſt Stephanum, Papam, *multa de hoc argumento Dionyſius per litteras ſcripſit, in quibus id tandem illi indicat, omnes ubique Eccleſias, mollito jam perſecutionis furore, Novati turbulentam novitatem deteſtantes inter ſe pacem iniiſſe*. Ex quibus liquet, Dionyſium hac in epiſtola ad Stephanum Papam indicare dumtaxat voluiſſe concordiam Eccleſiarum Orientis, quæ Novatiani Hæreſim proſcripſerunt, & lapſos venia donari debere communi ſuffragio decreverunt.

D. Vix in animum meum inducere poſſum, Cyprianum, & Firmilianum, quos doctrina, & eximia vitæ ſanctimonia præditos fuiſſe certiſſime conſtat, errorem ſuum nunquam depoſuiſſe, & Stephani Papæ decreto obfirmatis animis parere detrectaſſe. Hæc quippe macula eſt, quæ utriuſque ſanctitati haud parum officere videtur.

M. Quamvis nulla ſuppetant antiquitatis Eccleſiaſticæ monumenta, queis certo evinci poſſit Cyprianum & Firmilianum hanc ſententiam de rebaptizandis Hæreticis aliquando depoſuiſſe, mihi tamen probabilius videtur, eos ſaltem ab hac ſententia ante mortem diſceſſiſſe, & omnem inde contractam maculam pœnitentia expunxiſſe. Præterquam quod, excuſari etiam poſſunt Cyprianus, Firmilianus, aliique Orientales, & Africani Epiſcopi, qui morem rebaptizandi Hæreticos poſt Stephani Papæ decretum ſectati ſunt, quia exiſtimarunt morem iſtum ad fidem minime pertinere, ſed ad œconomiam dumtaxat, & diſciplinam Eccleſiaſticam, in qua, ut ipſemet loquitur S. Cyprianus, ſalvo pacis, & concordiæ vinculo integrum erat Epiſcopis quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſunt uſurpata, retinere. Hinc S. Auguſtinus excuſat S. Cyprianum, non ſolum quia nunquam receſſit a communione Sancti Stephani Papæ, ſed etiam quia ipſius ætate necdum celebratum fuerat Concilium plenarium ad eliquandam iſtam de rebaptizandis Hæreticis controverſiam. Porro hæc excuſatio locum in S. Cypriano habere non poſſet, ſi ipſe putaſſet, hanc de rebaptizandis Hæreticis controverſiam ad fidem ſpectaſſe; cum nullo pacto excuſari poſſint illi, qui aliquem errorem contra fidem a Sede Apoſtolica confixum pervicaci animo propugnaverint etiam ante Concilii Oecumenici celebrationem, uti videre eſt in cauſa Pelagianorum, quibus ſpem Concilii Generalis ademit S. Auguſtinus. Hoc pacto excuſari poſſunt Africani, & Orientales Epiſcopi, ſed præſertim S. Cyprianus, cujus doctrina (ſi tamen hanc de rebaptizatione Hæreticorum exceperis ſententiam, quam, ut mox dixi, non ad fidem, ſed ad Eccleſiæ tantum diſciplinam pertinere autumavit) jure ac merito appellari poteſt fidei propugnaculum, traditionum Promptuarium, diſciplinæ Eccleſiaſticæ Palladium, Moralis Evangelicæ firmamentum, & invictum Chriſtianæ doctrinæ munimentum, pro cujus defenſione Sanctus ille Doctor exilia, tormenta, & carceres pati, ipſamque mortem conſtanter oppetere non dubitavit.

D. Dicebas, ſi bene memini, in præcedenti colloquio, S. Cyprianum diſciplinæ Eccleſiaſticæ vindicem acerrimum noluiſſe ad reconciliationem illos admittere, qui graſſante perſecutione Imperatoris Decii lapſi erant, niſi prius laborioſam, atque diuturnam peregiſſent pœnitentiam. Nunc geſtit animus ſcire, an fuerint aliqua celebrata Concilia tum ad ſanciendam illam erga lapſos diſciplinam, tum ad profligandum errorem Novatiani, qui omnem ſpem veniæ lapſis adimebat, eiſque ad reconciliationem aditum præcludebat.

M. Ad ſtabiliendam erga lapſos peragendæ pœnitentiæ diſciplinam, & ad proſcribendum Novatiani errorem, nonnulla in tertio Eccleſiæ ſæculo tam a S. Cypriano, quam a S. Cornelio Papa fuere celebrata Concilia, quæ hic ordine recenſebo, ut continuam rei geſtæ ſeriem compertam facilius habere poſſis. Inprimis, poſtquam S. Cyprianus *Feliciſſimum*, *Novatum*, & alios quinque Eccleſiæ Carthaginenſis Presbyteros fraterne corripuiſſet, eo quod nimia erga lapſos facilitate antiquam Eccleſiæ corrumperent diſciplinam, omneſque lapſos citra congruam ſatisfactionem mox recipiendos eſſe contenderent, Concilium anno Chriſti CCLI. coegit, in quo de cauſa lapſorum ſynodice concluſum eſt primo, non eſſe in totum ſpem communicationis, & pacis denegandam lapſis contra Novatiani errorem. Secundo, ne antiquæ erga lapſos Eccleſiæ diſciplinæ rigor ſolveretur; ad reconciliationem temere, & ſine præmiſſa ſatisfactione lapſos proſilire haud debere, contra *Feliciſſimi* factionem. Sed quia diverſæ erant lapſorum claſſes, ne iiſdem pœnis omnes ſubjicerentur, ſapienter ab illius Synodi patribus cautum eſt, ut communione donarentur illi lapſi, qui dicebantur *Libellatici*, ideſt, qui palam fidem non negaverant, ſed ſolum munus, aut pecuniam dederant, ut eo pretio impunitatis libellos a Magiſtratibus obtinerent, & hoc pacto cum vitæ, tum Idololatriæ exterioris periculum redimerent, ſeque a ſatellitum audacia, ac ſutore tuerentur, nominis Chriſtiani profeſſionem confuſione quadam abnegantes; hi vero lapſi, qui palam idolis ſacrificaverant, pœnitentiæ addicerentur, nec ad reconciliationem admitti poſſent, niſi ingruente mortis periculo, & ea etiam lege, ut iis omnino denegaretur communio, qui ante lethalem morbum nulla ediderant pœnitentiæ ſigna, aut ſaltem pœnitentiam, dum ſani eſſent, non inchoaverant, vel poſtulaverant: Clericos autem, qui publice Idola coluerant, perpetuo in pœnam tanti delicti a Clero arcendos ſtatutum eſt. Hæc cum definiſſent patres Concilii

Car-

Carthaginenſis, miſerunt epiſtolam Synodicam ad Cornelium Summum Pontificem, qui Romæ habuit Concilium, in quo Synodi Carthaginenſis decreta de lapſis ſuſcipiendis confirmata ſunt, & *Novatianus*, qui *Clinicus*, hoc eſt, in lecto baptizatus, & a dæmone ab exorciſtis liberatus, a tribus rudibus Epiſcopis Italis in Romanum Pontificem fuerat evectus, Anathemate cum ſuis ſectariis perculſus eſt. Interfuerunt huic Romanæ Synodo LX. Epiſcopi, & multo plures Presbyteri, ac Diaconi. Hac terminata Synodo, Cornelius ad Fabium Antiochenum Epiſcopum, qui Novitiani partibus nimis favebat, ſcripſit litteras de Novatiani facinoribus, quas ubi primum accepiſſet Fabius, Concilium Antiochenum indixit, ad quod *Helenus* cum ſuis e Cilicia, & *Firmilianus* e Cappadocia, & *Theotieſtus* e Palæſtina Sedi Antiochenæ Subditi Dionyſium Alexandrinum invitarunt, quod ſentirent, Antiochiæ nonnullos ad Novatiani Schiſma confirmandum paratos eſſe. Sed priuſquam iſtud celebraretur Concilium, vita functus eſt *Fabius*, & ejus loco electus eſt *Demetrianus*, qui Synodum Antiochenam coegit, cujus meminit libellus Synodicus poſt Baronii mortem in lucem editus, ſicut teſtatur doctiſſimus Pagius in ſua Critica ad annum Chriſti 252.

D. Ejuſmodi diſciplina, qua reconciliatio, ſeu abſolutio ſacramentalis ad mortem uſque lapſis procraſtinabatur, aut ſaltem ipſis non concedebatur, niſi poſt emenſum integrum pœnitentiæ ſtadium, fuitne eo rigore ab illis omnibus, qui erant lapſi, obſervata, ut ab ea neminem Eccleſia eximerit?

M. Quamvis lapſis, ſeu graviorum peccatorum reis reconciliatio ſeu abſolutio ſacramentalis uſque ad mortem quandoque differretur, vel ſaltem poſt peractam dumtaxat pœnitentiam, & impletam ſatisfactionem ordinaria lege antiquitus concederetur, hujus tamen pœnitentialis diſciplinæ ſeveritatem erga aliquos quibuſdam in caſibus relaxabat Eccleſia. In primis, cum urgeret mortis periculum, aut in diſcrimine verſaretur pœnitentis ſalus, vel perſecutio immineret, abſolutio ſacramentalis concedebatur lapſis ante impletam ſatisfactionem, juxta decretum latum in Concilio ſecundo Carthaginenſi habito a S. Cypriano anno Chriſti 252. in quo relaxatio quædam facta eſt decreti in primo Concilio Carthaginenſi circa lapſos conſtituti, & ob Eccleſiæ perſecutionem, quam crebris, & aſſiduis argumentis admoniti illius Concilii patres jamjam imminere videbant, lapſos, vere alioqui pœnitentes ad pacem, & reconciliationem ſine ulla cunctatione admiſerunt, ut protectione Corporis, & Sanguinis Chriſti roborati Chriſtiani ad prælium, quod tum impendebat, efficacius armari, & animari poſſent, ut videre eſt in epiſtola Synodica illius Concilii Carthaginenſis ſecundi, quæ miſſa eſt ad Cornelium Romanum Pontificem, & quæ inter epiſtolas S. Cypriani apud Pamelium eſt LIV. Præterea, ejuſdem pœnitentialis diſciplinæ erga lapſos ſeveritatem remittebat pia Mater Eccleſia, vel quando lapſi Martyrum libellis erant commendati, vel quando poſt ſcelus commiſſum, facti pœnitentes, Chriſtum urgente perſecutione conſtanter confitebantur, aut pro ipſius gloria patiebantur. Tunc enim pacis, & ſacramentalis abſolutionis beneficium lapſis indulgebat Eccleſia, etiamſi ſatisfactionem necdum abſolviſſent. Poſtremo, eamdem diſciplinæ erga lapſos aſperitatem haud parum emolliebat Eccleſia, quando cirra Schiſmatis, vel alicujus tumultus periculum differri diu non poterat ſacramentalis abſolutio, vel quando ex reditu lapſorum ad Eccleſiam ingens aliquod bonum in eam redundabat, ſicut Schiſmatis extinctio, vel imminutio, aut multorum ad gremium Eccleſiæ reductio. Tunc enim lapſi actutum reconciliabantur, eiſque luctuoſæ pœnitentiæ labores condonabantur. Uti conſtat ex bene multis exemplis ex Hiſtoria Eccleſiaſtica petitis, ſed potiſſimum exemplo Confeſſorum *Maximi*, *Urbani*, *Sidonii*, & *Macarii*, qui a Novatiani Schiſmate ad Eccleſiæ unitatem redeuntes, ſummiſque precibus deſiderantes, ut ea, quæ antea Novatiani dolis circumventi, ejuſque Schiſmate impliciti geſſerant, in oblivionem cederent, protinus ad Communionem, & pacem Eccleſiæ, nullis pœnitentiæ impoſitis laboribus admiſſi ſunt a Sancto Cornelio Papa, qui horum omnium Sanctum Cyprianum certiorem fecit ea in epiſtola, quæ inter Cyprianicas apud Pamelium eſt XLVI.

D. Difficile adducor ut credam, ſeveram adeo fuiſſe veterem erga lapſos Eccleſiæ diſciplinam, maxime ſi illam ad hujus ævi praxim, ſeu ad diſciplinam, quæ mox in Eccleſia inolevit, conferre, atque expendere liceat. Nunc quippe lapſis raro denegatur, aut differtur ſacramentalis abſolutio, nullaque laborioſa præmiſſa ſatisfactione peccatores graviſſimorum licet criminum rei, non pœnitendo compendio ſtatim reconciliantur. Non eſt autem credibile, Eccleſiam a primæva ſua diſciplina ſic deſciviſſe, ac degeneraſſe, ut nullum in præſentia illius ferme veſtigium retineat.

M. Veterem erga lapſos Eccleſiæ diſciplinam, a fluxa, ſolutiorique multum diſcrepaſſe conſtans eſt omnium diſciplinæ Eccleſiaſticæ peritorum judicium. Quapropter, ut verbis utar doctiſſimi Cardinalis Bona libr. 1. *rerum liturgicarum* cap. 18. *de ſacris Eccleſiæ ritibus, eorumque veneranda antiquitate illi proculdubio male merentur, qui priſcos mores præſentis temporis conſuetudine metientes, omnem veterem diſciplinam ad hujuſ ævi praxim expendunt, ea perſuaſione decepti, quod nihil unquam ab iis uſibus diverſum fuerit, quod a parentibus, & Præceptoribus didicerunt, & quibus ab infantia aſſueverant. Quod ſi aliquando priſcorum patrum monumenta evolvunt, quæ in illis obſcura ſunt, obſcuriora reddunt, veterem Eccleſiam cum præſenti comparantes, & ſi forte in aliquid incidunt, quod ab hodiernis ritibus diſcrepet, ſubſiſtunt, & nutant, vel inconſulto reſpuentes, vel falſa interpretatione in alienum ſenſum detorquentes quidquid a ſuis præjudicatis opinionibus abhorret.*

Ex

Ex quo fit, ut in maximos errores, inque rituum Eccleſiaſticorum confuſiſſimam perturbationem labantur: quia nimirum cauſas, & fundamenta, ac ipſaſmet definitiones ignorant; quas bene percipere nemo poteſt, niſi ideam, & imaginem antiquæ diſciplinæ in mente habeat. Ex quibus doctiſſimi Cardinalis verbis perſpicuum eſt, eos vehementer decipi, qui antiquam Eccleſiæ ergo lapſos diſciplinam conferunt cum hodierna, quæ progreſſu temporis remiſſa eſt, & mollior, ſolutiorque evaſit, quamvis Eccleſia nihil tam in votis habeat, ſuamque omnem, quantum fieri poteſt, det operam, ut collapſa diſciplina reſtauretur, & Chriſtianorum mores in melius emendentur.

D. Fueruntne in tertio Eccleſiæ ſæculo alia celebrata Concilia, præter ea, quæ hactenus enumeraſti.

M. Contra *Paulum Samoſatenum* Epiſcopum Antiochenum, qui Verbi divinitatem inficiabatur, duo Antiochiæ coacta ſunt Concilia, quorum primo, quod fuit indictum anno Chriſti 264. interfuerunt *Firmilianus* Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, *Gregorius Thaumaturgus* Neocæſareæ Epiſcopus, ejus frater *Athenodorus* Epiſcopus Ponti, *Hymenæus* Hieroſolymorum, *Nicomas* Iconii, *Helenus* Tarſenſis Epiſcopus, *Theotectus* Cæſareæ in Palæſtina, & alii magni nominis Præſules. Ad illud Concilium *Dionyſius* Alexandrinus invitatus eſt, ſed cum ob gravem ætatem venire haud potuiſſet, epiſtolam miſit, qua ſuam de Paulo Samoſateno, ejuſque errore ſententiam aperiebat, &, ſicut ſcribit Euſebius libr. 7. Hiſtor. Eccleſiaſt. capit. 30. *Erroris Ducem*, videlicet Paulum Samoſatenum, *ne ſalutatione quidem dignatus, neque ad eum nominatim, verum ad univerſam Antiochenſem Eccleſiam ſuas litteras direxit*. Paulus Samoſatenus, poſtquam in iſto Concilio palam pollicitus fuiſſet, ſe mutaturum ſententiam, deceptis per ſimulationem Firmiliano, qui præerat huic Concilio, aliiſque Epiſcopis, indemnis abſceſſit. Sed datam fidem cum violaſſet vaferrimus ille Hæreſiarcha, erroremque ſuum, quem fuco patribus facto, data opera occultaverat, & tantum non ejurare viſus fuerat, obſtinato animo tueretur, altera Antiochiæ celebrata eſt Synodus anno Chriſti 265. vel, ut alii volunt, 270. ad quam LXX. Epiſcopi, teſte S. Athanaſio in libr. de Synodis, convenere, quibus iterum illudere conatus Paulus Samoſatenus, a *Malchione* Antiochenæ Eccleſiæ Presbytero fuit Hæreſeos convictus, & Epiſcopatu abdicatus, ſuffecto in ejus locum *Domno*, ſicut videre eſt in epiſtola Synodica, quam Patres iſtius ſecundi Antiocheni Concilii ad Dionyſium Roman. Pontifice direxerunt, in qua, poſtquam præmiſerunt, Paulum Samoſatenum fuiſſe omnium calculis damnatum, & ab ipſis Anathemate perculſum, eoquod *Artemæ*, ſeu *Artemonis* Chriſtum nudum hominem eſſe, & ante Mariam Virginem non fuiſſe effutientis Hæreſim recoxiſſet, illiuſque ſuperbiam, faſtum, atque diſſolutos mores graphice deſcripſerunt: Subdunt deinde, *Domnum*, amoto Paulo Samoſateno, in Sedem Antiochenam fuiſſe ſubrogatum, adeoque ad illum, tanquam ad verum, & legitimum Sedis Antiochenæ Epiſcopum litteras ſuas communicatorias deinceps Romanum Pontificem mittere debere. Verum, quamvis Paulus Samoſatenus Sede ſua Epiſcopali fuiſſet in hac ſecunda Antiochena Synodo deturbatus, nihiloſecius munitus patrocinio *Zenobiæ* Palmyrenorum Reginæ, quæ maxima in Civitate Antiochena auctoritate pollebat, e Domo Epiſcopali egredi, *Domnoque* cedere loco noluit, donec tandem *Aurelianus* Ethnicus Imperator Antiochia potitus, & a Catholicis Epiſcopis interpellatus, Domum Epiſcopalem huic adjudicanda . edixit, cui Epiſcopus Romanus ſcriberet concedendam. Quocirca expulſo Paulo Samoſateno admiſſus eſt *Domnus* legitimus poſſeſſor. Sancti Patres Athanaſius, Baſilius, & Hilarius tradunt, hanc vocem *ὁμοούσιον*, quod idem ſonat ac conſubſtantialis, fuiſſe proſcriptam a patribus ſecundæ Synodi Antiochenæ ob perverſum, & plane Hæreticum ſenſum, quem huic voci perperam affingebat Paulus Samoſatenus. Hanc tamen vocem *ὁμοούσιον* Patres Concilii primi Nicæni in ſuo genuino ſenſu acceptam conſecrarunt, & ſymbolo inſeruerunt, tanquam teſſeram Fidei Chriſtianæ ad profligandam perfidiam Arii negantis Verbum divinum eſſe cum Patre Æterno conſubſtantiale. Idem Concilium ſanxit Canone 19. ut *Paulianiſtæ*, ideſt, diſcipuli Pauli Samoſateni, qui ejurata Hæreſi ad Eccleſiam revertebantur, iterato Baptiſmo luſtrarentur, eoquod conſuetam Baptiſmi formam data opera interpolarent, & in eam ſuum inveherent errorem, quo, cum Hæreſiarcha Sabellio, Trinitatem Divinarum Perſonarum e medio tollebant, unamque tantum Divinam Perſonam aſſerebant.

Præter duas illas Synodos Antiochenas, quæ adverſus Paulum Samoſatenum celebratæ fuerunt, aliam Baronius ad annum Chriſti 265. ait a Dionyſio Romano Pontifice convocatam eſſe ad damnandos errores illius Hæreſiarchæ, & ad aſſerendum Verbi Divini conſubſtantialitatem. At clariſſimus *Pagius* in ſua Critica ad annum Chriſti 264. cenſet Synodum illam Romanam in cauſa Pauli Samoſateni ſuppoſititiam eſſe, nec unquam fuiſſe celebratam. Hæc ſunt in ſumma omnia Concilia, quæ tribus primis Eccleſiæ ſæculis ad dirimendas controverſias, quæ circa fidem, vel diſciplinam emerſerunt, diverſis in locis fuerunt coacta. Quapropter præſenti Colloquio finem imponamus, aliud proximo die habituri, cujus argumentum erit de Viris Illuſtribus, qui tam eximia doctrina, quam ſingulari pietate in tribus primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt. (*a*)

„ (*a*) Adverſus Origenem pariter tertio hoc „ ſæculo Concilia quædam convenerunt auctore „ Demetrio Epiſcopo Alexandrino. Cum enim Origenes contra jus & fas a Theoctiſto Hieroſolymorum, & Alexandro Cæſareæ Epiſcopis ſacerdos conſecratus fuiſſet, Demetrius in Synodo de Epiſcopis illis conqueſtus, pellendum illum Alexandria, prohibendumque ne „ deinceps doceret, judicavit. Dein altera

„ coacta

„ coacta Synodo cum Epiſcopis aliquot Ægypti „ ſacerdotio illum privavit, quin & in Synodo „ Romana eundem damnatum exculpit Hardui- „ nus ex verbis illis Rufini *invect. in Hieron.* lib. „ 2. *in damnationem ejus conſentit urbs Roma.*

D. Id genus argumenti perplacet mihi. Quid enim, amabo, jucundius, quam memoria tenere dicta, facta, exempla & Opera SS. Patrum, virorumque illuſtrium, qui omnem ſuam curam, induſtriam, laborem & ingenii perſpicaciam ad Eccleſiæ ſplendorem, gloriam & incrementum contulerunt, atque mirabili vitæ ſanctimonia toti Orbi Chriſtiano præfulſerunt.

COLLOQUIUM VI.

De Viris Illuſtribus, qui in tribus primis ſæculis Eccleſiam doctrina, & pietate illuſtrarunt.

D. Protulitne prima Chriſtianorum ætas eruditos Scriptores, qui Eccleſiam ſuis lucubrationibus illuſtrarunt, & extantne etiamnum germana ab illis edita Opera, in quibus appareat quodnam fuerit illorum ingenium, quæ ſtudia, quæ occupationes?

M. Quamvis certum ſit, plures in primo Eccleſiæ ſæculo clariſſimos extitiſſe Scriptores, qui varia ediderunt Opuſcula, Epiſtolas, Tractatus: fatendum tamen eſt, bene multa ex pretioſis illis illuſtrium hominum monumentis (ſi excipias omnes Novi Fœderis libros, quos hoc ſæculo ſcriptos ſingulari divinæ providentiæ beneficio adhuc integros, ac illibatos conſervamus) penitus interiiſſe. Quo fit, ut pauciſſima modo reſidua ſint Patrum primi ſæculi Opera, quæ eo pluris æſtimanda ſunt, quo majorem iidem Patres & merito ſuo, & ſua cum Chriſto, & Apoſtolis conſuetudine, ac familiaritate ſibi auctoritatem conciliarunt. Porro inter illos primi ſæculi Scriptores, alii libros ediderunt ad demonſtrandam Chriſtianæ Religionis veritatem, & ad probandum contra Judæos Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, verum Deum, & in eo fuiſſe adamuſſim completa omnium Prophetarum Oracula, ac proinde Moyſis legem, cæremonias & ſacrificia ab eo reſciſſa, & abrogata fuiſſe. Alii, Infidelibus, & Idolorum cultoribus perſuaſum ibant, plures Deos, quales a Diabolo deluſa admittebat ſuperſtitioſa Gentilitas, omnino impoſſibiles eſſe, unumque tantummodo exiſtere cœli & terræ, rerumque omnium conditorem. Alii, libros concinnabant, ut eos, qui Chriſtianæ Religionis myſteriis recens erant initiati, ſalutaribus novæ legis erudirent, atque informarent præceptis. Scripſerunt alii virtute, & merito præſtantiorum id ætatis Chriſtianorum hiſtoriam, itinera, pericula, labores, certamina, paſſiones, ſupplicia & omnia Martyrii eorum Acta. Alii, Statuta, Canones ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus ad doctrinæ explicationem, morumque inſtructionem ſancita ſcriptis tradiderunt. Alii, Epiſtolis ſuis Chriſtianos accenderunt ad imminentes tyrannorum perſecutiones æquis animis tolerandas. Alii, denique, in gliſcentes abuſus, in naſcentes Hæreſes, falſaſque pullulantes doctrinas ſtylum, calamumque acuerunt. In his potiſſimum tractandis argumentis tempus, operamque ſuam in rem Eccleſiæ locabant Scriptores primi ſæculi, quorum tamen, proh dolor! multa opera temporis rerum omnium edacis injuria, perierunt, & ad nos uſque non pervenerunt.

D. Certe vehementer doleo tam gravem jacturam pretioſorum monumentorum, queis, tanquam primis avitæ doctrinæ canalibus efficacius revinci poſſent Chriſtianæ Religionis hoſtes. Aſt quoniam nonnulla, ut præmonuiſti, ſuperſunt adhuc aurei illius Eccleſiæ ſæculi monumenta, quæ nobis non inviderunt fata, rogo te ut juxta ſeveriores Criterii Regulas germana Opera Patrum primi ſæculi, quorum ſudore, & ſanguine parta nobis, & quaſi per manus Religio tradita eſt, diſcernas a ſpuriis, & ſuppoſititiis, quæ circumferuntur, illiſque, ut audivi, falſo adjudicantur.

M. Ad ſecernenda genuina veterum Scriptorum Opera ab his quæ adulterina ſunt, plurimum juvant doctiſſimæ lucubrationes editæ a clariſſimis hujus ætatis viris, qui Critices diſciplinæ bono nati ad edenda, & illuſtranda veterum Patrum ſcripta, & e tenebris educenda quæcumque antiquorum monumenta diu, multumque maximo Reipublicæ Chriſtianæ emolumento inſudarunt. Ex his ergo eruditis lucubrationibus, ut tuæ utilitati conſulam, pauca delibabo, ac ſummatim perſtringam, quæ ad perveſtiganda genuina Opera Patrum, qui in tribus primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt, tibi impræſentiarum ſat ſuperque ſufficere poterunt. De libris tamen, Actis, Liturgiis, & Epiſtolis, quæ falſo Apoſtolis tribuuntur, non diſſeram, ne actum agere videar, cum in Tractatu, quem de Sacra Scriptura edidi, plura hoc de argumento dixerim, quæ hic repetere ſupervacaneum omnino eſſet. Ordior autem ab examine Operum, quæ tribuuntur Patribus primi ſæculi, quales ſunt, *Hermas*, *Clemens* Romanus Pontifex, *S. Martialis*, *S. Polycarpus*, *Acta paſſionis S. Andreæ* ab Achajæ Presbyteris conſcripta. *S. Dionyſius Areopagita*, *S. Ignatius* Martyr, & *Papias* Hierapolitanus Epiſcopus.

In primis *Hermas*, qui fuit Apoſtoli Pauli Diſcipulus, auctor eſt Operis *Paſtoris*, quod tribus conſtat libris. Primus, quatuor viſiones complectitur. Secundus, duodecim mandata continet. Tertius, ſimilitudines decem exhibet. Nonnulli antiqui Patres, quos inter cenſetur *S. Irenæus* lib. 4. adverſus Hæreſes cap. 37. & *S. Clemens Alexandrinus* lib. 1. Stromatum, tanti fecerunt hoc *Paſtoris* Opus ab *Herma* editum, ut illud tanquam ſacrum divinæ Scripturæ Codicem laudaverint; quibus tamen hac in re aſſentiri minime debemus, tum quia nobiliſſimi Scriptores, videlicet *Athanaſius* in lib. de Decretis Synodi Nicenæ, *Euſebius* lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 25. *Hieronymus* in Prologo Galeato, *Rufinus* in expoſitione Symboli, *Auctor Sticometriæ* in calce Chronographiæ Nicephori Conſtantinopolitani editæ, hunc librum Paſtoris extra Canonem Scripturæ Sacræ

cræ jure ac merito ablegant; tum quia etiam Gelaſius Papa in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum Romæ habito anno Chriſti 494. prædictum Paſtoris librum poſt maturum, ac diuturnum examen, Apocryphorum Operum numero accenſuit, non quod eum noxia doctrina inſectum, aut ſuppoſititium eſſe exiſtimaret, ſed quod extra Scripturæ Sacræ Canonem eſſet collocandus. Cæterum, quamvis hic liber Paſtoris Sacra, & Canonica non polleat auctoritate, negari tamen haud poteſt eum utiliſſimum eſſe, non ſolum quia, teſte Euſebio loco mox laudato, Patres antiquitate, & doctrina celeberrimi maximis eum extulere laudibus, & Sanctiſſimi Præſules voluerunt publice in Eccleſiis legi, atque in omnium verſari manibus; verum etiam, quia Auctor illius operis totus in id incumbit, ut homines ad agendam peccatorum pœnitentiam, ad amorem, & exercitium virtutum, ad perſecutiones tyrannorum jam jam in primis Eccleſiæ temporibus imminentes patientiſſime tolerandas vehementer adhortetur, atque accendat; mendacium & adulterium fugiendum moneat, ea, quæ virtutibus adverſantur, prohibeat, & quæ Fidei ſunt fundamenta, atque capita amplectenda proponat. Quæ omnia quantæ utilitatis Chriſtianis eſſe poſſint, nemo eſt qui non videat. Quocirca, merito caſtiganda eſt temeritas quorumdam recentiorum Scriptorum, qui ad carpenda aliena opera prompti, hunc Paſtoris librum elato ſupercilio aſpernantur, faſtidiunt, & tanquam Novatianorum, Pelagianorum, & Montaniſtarum Hæreſibus oppletum, necnon fabulis, & ineptis, anilibuſque viſionibus infartum omnino repudiant. Sed hanc intemperantioris Critices hominum præpoſteram dubitationem tam ſolidis argumentis confutarunt doctiſſimi Auctores *Natalis Alexander* ſæcul. 1. Hiſt. Eccleſ. & *Nicolaus le Nourry* diſſert. 4. Apparatus ad Biblioth.max.PP.ut ad illius Operis *Paſtoris* vindicias nihil a viris doctis deſiderari poſſit. Hic liber *Paſtoris* extat tom. 5. Bibliot. Patrum Editionis Pariſienſis. Ipſum etiam edidit, notiſque doctiſſimis illuſtravit clariſſimus vir *Joannes Baptiſta Cotelerius* inter opera Patrum, qui Apoſtolorum temporibus floruerunt.

Expendamus nunc ſcripta, quæ circumferuntur ſub nomine Clementis, qui, juxta Seriem Chronologicam Romanorum Pontificum, quam in ſecundo Colloquio tibi exhibui, tertio poſt S. Petrum rexit Eccleſiam. Huic autem Romano Pontifici, cujus meminit Apoſtolus Paulus cap.4. epiſt. ad Philippenſes, præter epiſtolam primam ad Corinthios ab ipſo ſcriptam, quam una cum fragmento ſecundæ ad eoſdem epiſtolæ publici juris fecit *Patricius Junius* ex Bibliotheca Magnæ Britanniæ Regis anno 1633. tribuuntur aliæ Epiſtolæ, & decem libri recognitionum ad *Jacobum* fratrem Domini. Quid vero de his ſcriptis, quæ Clementis nomine inſigniuntur, ſtatuendum ſit, hic juxta peritiorum Critices diſciplinæ judicium paucis indicabo. Primam Epiſtolam, quæ directa eſt ad Corinthios, Opus eſſe S. Clementis Romani Pontificis legitimum, concors eſt omnium Criticorum ſententia, non ſolum quia hac in epiſtola apparent venerandæ antiquitatis notæ, ſed etiam quia veteres Scriptores multa ex illa epiſtola, quæ Clementis nomen præfert, teſtimonia citarunt, quæ in ea, quam nunc habemus, totidem verbis leguntur. Conſuli poſſunt *S. Irenæus* lib. 3. adverſus Hæreſes cap. 3. *Origenes* lib. de Principiis cap. 3. *Clemens Alexandrinus* lib. 1. Stromatum pag. 289. *Euſebius* lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 16. *S. Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Eccleſ. in Clemente, *Photius* in Biblioth. Cod. 113. & alii multi antiqui Patres, qui hanc primam S. Clementis epiſtolam ſæpius laudarunt, eamque ut germanam ipſius prolem agnoverunt. Hæc prima S. Clementis ad Corinthios Epiſtola reperitur in Tomo 1. Conciliorum Editionis Pariſienſis Anno 1671.

Altera vero Epiſtola ad Corinthios, quæ ſub ejuſdem Clementis nomine proſtat, & cujus tantummodo fragmenta habemus latina, interprete *Vendelino*, & cum Græco rurſus excuſa tom. 1. Conciliorum, non ita fuit a primis Eccleſiæ Scriptoribus approbata, ac celebrata, ſicut prior ejuſdem S. Clementis ad Corinthios epiſtola. Hinc eſt, quod alii Critici poſt Baronium hanc ſecundam epiſtolam ab antiquis Patribus velut ſpuriam reprobatam eſſe ac ſubinde Clementi Papæ adjudicari non debere contendant: alii e diverſo Critici, quorum judicio lubens ſubſcribo, affirment hanc ſecundam ad Corinthios epiſtolam, perinde ac priorem eſſe S. Clementis fœtum, maxime cum *Photius* ſtudioſiſſimus antiquitatis indagator utramque ad Corinthios epiſtolam aſſerat S. Clementi Cod. CXXVI. & hoc de iſta ſecunda epiſtola proferat judicium, quod videlicet ſalutaria documenta, *Inſtitutionem, admonitionemque melioris vitæ contineat*. Præter duas illas Clementis Papæ ad Corinthios epiſtolas, aliæ quinque ei tribuuntur Epiſtolæ Decretales, quarum duæ Priores datæ ſunt ad *Jacobum* fratrem Domini. Tertia, *ad omnes Epiſcopos, Presbyteros, & Fideles*. Quarta, *ad Julium, & Julianum*. Quinta, *ad Hieroſolymitanos*. Sed duas priores epiſtolas, quæ ad *Jacobum* fratrem Domini ſunt directæ, non fuiſſe a S. Clemente conſcriptas facile colligitur ex tempore, quo fuerunt exaratæ, hoc eſt, poſt obitum S. Petri. Quis autem, niſi in Hiſtoria Eccleſiaſtica peregrinus & hoſpes omnino ſit, neſciat S. Jacobum fuiſſe Hieroſolymis occiſum anno ſeptimo Neronis Imperatoris, ac proinde ante obitum S. Petri, qui, ut in ſecundo Colloquio obſervavimus, anno dumtaxat duodecimo Neronis fuit Romæ martyrio coronatus? Nullo igitur pacto fieri potuit, ut duas priores iſtas Epiſtolas poſt S. Petri obitum conſcriptas S. Clemens direxerit ad Jacobum fratrem Domini. Tres alias ſequentes epiſtolas ſuppoſititias eſſe, & falſo Clementi adſcriptas probant eruditi Critici ex ſtylo, quo ejuſmodi epiſtolæ ſunt deſcriptæ, qui plane diſſimilis eſt ſtylo geminæ epiſtolæ Clementis ad Corinthios. Quamobrem quinque illas Clementis epiſtolas Decretales, non ſecus ac alias ejuſdem farinæ, quæ a Clemente uſque ad Siricium Papam veteribus Romanis Pontificibus perperam tribuuntur, ex *Iſidori* Mercatoris Officina prodiiſſe autumant viri eruditi multis adducti rationibus, quas in ſecundo Colloquio expendimus. (a)

Ad

Digitized by Google

„ (*a*) Poſtremis hiſce annis opera Wetſtenii „ in tom. II. Novi Teſtamenti græci, e codice „ Syriaco vulgatæ ſunt geminæ S. Clementis e- „ piſtolæ encyclicæ ad *omnes fratres & ſorores*, „ quibus caſtitatem perpetuo inſinuat, ejuſque e- „ ditoris judicio ſinceræ habendæ ſunt. Verum „ in tanto antiquorum ſilentio vix eſt, ut non „ apocryphæ cenſeantur. Difficile eſt enim cre- „ ditu Hieronymum, qui alioquin geminas Cle- „ mentis Epiſtolas commemorat, de illis, ſi noſ- „ ſet, omnino ſiluiſſe. Cenſet autem idem Wet- „ ſtenius Patres nonnullos eaſdem epiſtolas non „ ignoraſſe, cum apud S. Epiphanium hæreſi „ XXX. legantur tanquam ex Clemente laudes E- „ liæ, Davidis, & Sampſonis, quæ, ſicut in edi- „ tis non apparent, ita in epiſtolis Wetſtenii ſeſe „ offerunt. Sed facile eſt eas quoque laudes eſſe- „ ri in ſecunda epiſtola ad Corinthios, cujus non- „ niſi fragmenta vulgata ſunt.

Ad eamdem S. Clementis Operum Apocryphorum claſſem ablegant viri eruditi *Conſtitutiones Apoſtolorum* nomine inſcriptas, & octo libris comprehenſas, quas *Carolus Bovius* Oſtunenſis Epiſcopus anno 1563. in lucem emiſit, e Græco in latinum ſermonem a ſe translatas, quas etiam poſtea *Turrianus* latine interpretatus eſt, & notis illuſtravit, easque *Labbeus* in noviſſima Conciliorum editione a ſe adornata, Franciſco Turriano Interprete, ac libros 8. adjuncto textu Græco, exhibuit. Harum, inquam, Conſtitutionum Apoſtolicarum auctor non eſt Clemens Romanus Pontifex, tum quia Euſebius, & Hieronymus, cum de ſcriptis S. Clementis agunt, octo libros Conſtitutionum illarum Apoſtolicarum ei minime tribuunt; tum quia etiam *Humbertus* Cardinalis Epiſcopus Sylvæ Candidæ, Leonis apud Conſtantinopolim Legatus, *Nicetæ Pectorato* quædam loca Conſtitutionum Apoſtolicarum contra Sabbati jejunium objicientis his verbis reſpondit: *Hoc aſſerere conaris ex Apocryphis libris, & Canonibus patri ſententia Sanctorum Patrum repudiatis*; tum quia denique, in his Conſtitutionibus Apoſtolicis multa veritati diſſona offenduntur, & Hæreticorum Baptiſma invalidum, ac proinde iterandum declaratur, ſicut videre eſt lib. 6. cap. 15.

Recognitionum libri 10. ad *Jacobum* fratrem Domini non minus ſuppoſititii ſunt, & Clementi falſo adſcripti, quam Conſtitutionum Apoſtolicarum libri octo. Illos ſiquidem decem recognitionum libros velut Apocryphos explodunt, Clementique ſuppoſitos aſſerunt *Euſebius* lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 38. *Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum in Clemente, *Epiphanius* Hæreſi XXX. quæ eſt *Ebionitarum*, *Photius* in Bibliotheca Codice 113. & alii, qui Opera Clementis Romani Pontificis Criticum ad examen vocarunt. Præterea, multa in hiſce libris recognitionum, ſicut optime advertit doctiſſimus noſter *Sixtus Senenſis*, reperiuntur incerta, fabuloſa, nonnulla Catholicis dogmatibus contraria, complura etiam ſub perſona Petri Apoſtoli ex intima Platonis & Ariſtotelis philoſophia referuntur, quæ a S. Petro prolata eſſe nulla ratione fit veroſimile. Poſtremo, illud recognitionum Opus idem plane eſt ac illud quod vulgo *Itinerarium S. Petri* dicitur, quodque *Gelaſius* Summus Pontifex in Concilio LXX. Eſcoporum Romæ in ſuo Decreto Apocryphum eſſe declaravit. Hoc igitur Recognitionum Opus S. Clementem non habet parentem. Idemque judicium ferendum eſt *de Homiliis undeviginti* nomine Clementis inſcriptis, *de Canonibus Apoſtolorum* Græce compoſitis, & *de Liturgia* ei adſcripta, quam *Beſſario* Cardinalis in libro de Sacramento Euchariſtiæ, *inter Apocrypha commemorare ſolere*, ſcribit.

D. Nunc genuina S. Clementis Opera a ſpuriis ſecernere probe ſcio. Velim modo indices mihi Opera, quæ in primo Eccleſiæ ſæculo ediderunt S. Martialis, & S. Polycarpus, pauciſque exponas, an Acta de paſſione S. Andreæ ab Achajæ, ut dixiſti, Presbyteris conſcripta, genuina ſint, aut ſuppoſititia?

M. S. Martiali, qui fuit unus ex LXX. Chriſti Diſcipulis, in Gallias miſſus in primo Eccleſiæ ſæculo, ubi Lemovicenſem fundavit Eccleſiam, duæ tribuuntur epiſtolæ, quæ extant tom. 3. Bibliothecæ Patrum Editionis Pariſienſis. Prima epiſtola ad omnes Burdigalenſis Eccleſiæ Chriſtianos directa eſt. Altera, quæ priore longe prolixior eſt, ad Toloſanos data eſt. Hæ autem duæ epiſtolæ, ſicut teſtatur *Gaufredus Gauſius*, in ſcriniis, ſeu tabulario Eccleſiæ Lemovicenſis ſæculo XI. repertæ ſunt, ſed in vulgus tantum typis excuſæ prodierunt anno 1521. & deinceps repetitis editionibus publicatæ ſunt Venetiis anno 1546. Baſileæ annis 1550. & 1569. Coloniæ Agrippinæ 1570. Pariſiis 1562. 1576. 1589. 1610. Hamburgi cum notis *Elmenhorſtii* ann. 1614. Item cum Operibus Abdiæ Babylonii ann. 1571. & 1614. Denique in Ortodoxographia, & in omnibus Patrum Bibliothecis inſertæ ſunt. Porro, auctorem illarum duarum epiſtolarum non eſſe Sanctum Martialem docent omnes periti Critici hiſce adducti rationibus; primo, quia auctor iſtarum epiſtolarum nomen *Martialis Cephæ*, & titulum Apoſtoli ſibi arrogat, aſſeritque ſe miraculorum Chriſti, & proditionis Judæ oculatum teſtem fuiſſe. Quæ omnia S. Martiali, qui fuit unus ex LXX. Chriſti Diſcipulis, nullo pacto convenire poſſunt. Conſtat ſiquidem, S. Martialem in numerum XII. Apoſtolorum nunquam fuiſſe cooptatum, ac ſubinde credibile non eſt, S. Martialem in epiſtolis ſuis nomen Apoſtoli ſibi adſciſcere voluiſſe, quod XII. tantum Apoſtolis a Chriſto Domino inditum ignorare haud poterat. Fatentur etiam poſt S. Hieronymum in cap. 2. epiſt. ad Galatas viri eruditi, neminem, præter Apoſtolum Petrum, cognomine *Cephæ* fuiſſe nuncupatum. Quorſum igitur hoc nomen *Cephæ* in his epiſtolis ſibi tribuiſſet S. Martialis? Nunquam autem ex Hiſtoria Evangelica, nec ex ullo antiquitatis monumento probari poterit, S. Martialem præſentem fuiſſe, quando Judæ proditori Chriſtus Dominus oſculum porrexit. Immo, omnes Evangeliſtæ memoriæ prodiderunt, litteriſque conſignarunt, Chriſtum cum ſuis tantum duodecim Apoſtolis in horto extitiſſe, ubi Judam oſculo excepit. Non igitur ſibi conſtant ea, quæ vana oſtentatione de ſe jactat geminæ epiſtolæ Scriptor. Præterea, in epiſtola ad Toloſanos narrat auctor, *Stephanum*, quem

quem Gallorum Regem fuiſſe dictitat, ad fidem a ſe eſſe adductum, quod tamen oppido falſum eſt, & a prophanæ hiſtoriæ veritate prorſus alienum. Temporibus ſiquidem S. Martialis nulli erant in Galliis Reges, ſed ibi imperabant Romani, qui ſumma in toto Orbe rerum potiebantur. Denique, auctor illarum epiſtolarum, quiſquis ille ſit, vulgata Scripturæ Sacræ verſione latina a Sancto Hieronymo in quinto dumtaxat ſæculo elucubrata aliquando utitur, quod utique evidens argumentum eſt, prædictas epiſtolas a S. Martiali, qui in primo Eccleſiæ ſæculo florebat, editas non fuiſſe, ſed ab auctore longe poſteriori. Unde non mirum, ſi antiqui priorum Eccleſiæ ſæculorum Patres ejuſmodi epiſtolas alto ſilentio prætermiſerint, quas tamen omni procul dubio non prætermiſiſſent, ſi revera S. Martialem Auctorem habuiſſent.

*Joannes Baptiſta Coteleriu*s inter Opera Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, inſeruit epiſtolam S. Polycarpi Smyrnenſis Epiſcopi ad Philippenſes datam, quam ab illo S. Epiſcopo, & Martyre fuiſſe exaratam colligunt perdocti Critici non ſolum ex ipſius ſtylo, ingenio, aliiſque antiquitatis notis, & characteribus, qui in ea reperiuntur, ſed etiam ex locupletiſſimis teſtimoniis veterum Scriptorum, qui ſunt probatiſſimæ fidei, & omni exceptione majores, quales ſunt *S. Irenæus* lib. 3. adverſus Hæreſes cap. 3. *Euſebius* lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 36. & lib. 4. cap. 15. & *S. Hieronymus* in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quibus adjungi poſſunt *Photius*, *Maximus*, *Theodoretus*, cœterique, qui de S. Polycarpi ſcriptis nobis deinceps aliquid tradiderunt. Hi ſiquidem omnes hanc epiſtolam S. Polycarpo adjudicat. Fruſtra igitur *Dallæus* Calviniſticæ Sectæ Pſeudo-Miniſter hanc epiſtolam, quam ſuis erroribus non favere ſentiebat, futilibus conjecturis in dubium revocat, quas nullo negotio exſufflarunt Catholici Doctores, quos inter legeſis eruditum patrem *Nicolaum le Nourry* diſſertatione 8. *Apparatus ad Bibliothecam maximam veterum Patrum*. Exſtat hæc S. Polycarpi epiſtola ad Philippenſes græce, & latine in editione *Petri Halloix* Duaci ann. 1633. cum verſione *Jacobi Uſſerii* Oxon. ann. 1544.

Quod ſpectat *Acta paſſionis S. Andreæ* ab Achajæ Presbyteris conſcripta, fatentur quidem periti Critici ea non tot habere certa veritatis, & antiquitatis argumenta, quot habet S. Polycarpi Epiſtola; illa tamen genuina eſſe, auctoritate Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui ſeptingentis abhinc annis ad hæc uſque tempora floruerunt, evincunt contra Heterodoxos Criticos, qui hoc monumentum Orthodoxis eripere moliuntur, quod in eo realis Corporis Chriſti in Auguſtiſſimo Altaris Sacramento præſentia luculentis hiſce verbis ſtabiliatur: *Ego Omnipotenti Deo, qui unus, & verus eſt, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in Altari, cujus carnem, poſtquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat ac vivus.*

D. Interfui nuperrime numeroſo Theologorum cœtui, quorum alii multa proferebant ſcripta, quæ S. Dionyſio Areopagitæ tribuenda eſſe magnis animis aſſerebant, alii vero mordicus contendebant, hæc ſcripta alium quam Dionyſium Areopagitam habere Auctorem. Vehementer igitur optarem ſcire, num horum Auctor Scriptorum is vere ſit Dionyſius Areopagita a Paulo Apoſtolo ad Chriſtianam fidem adductus, ejuſque poſtea diſcipulus, an alius, qui ementito tanti viri nomine ſcriptis ſuis auctoritatem conciliare voluerit?

M. Quamvis hæc controverſia, quam proponis, fuerit tanta diligentia, tamque acri ſtudio, hiſce præſertim temporibus, diſcuſſa, ac ventilata, ut vix alia ſit, in qua examinanda Critici majorem curam, ac ſedulitatem adhibuiſſe videantur; fatendum tamen eſt, eam nondum plene eſſe finitam, adeoque illam adhuc ſub Judice eſſe. Quapropter ipſe virium mearum probe conſcius, etſi meum in tam lubrica diſceptatione, quæ peritorum torſit animos, nolim interponere judicium, & utriuſque partis rationes æqua lance ponderare; breviter tamen votis tuis ut faciam ſatis, referam Opera, quæ vulgo S. Dionyſio Areopagitæ adſcribuntur, & deinde adductis opinionibus, in quas Critici in examine illorum Operum ſcinduntur, eam, quæ mihi magis probatur, indicabo; tuo tamen permittens arbitrio illius, quam volueris, opinionis delectum. Primus itaque liber Dionyſii Areopagitæ nomine inſcriptus præfert titulum *de Cæleſti Hierarchia*. Alter, *de Eccleſiaſtica Hierarchia*. Tertius, *de Divinis Nominibus*. Quartus, *de Myſtica Theologia*. Decem inſuper Epiſtolæ Dionyſii nomine inſigniuntur, quarum quatuor priores ad *Cajum* datæ breviſſimæ ſunt. Quinta, ad *Dorotheum* miſſa eſt. Sexta, ad *Soſipatrum* Presbyterum ſcripta, quæ omnium breviſſima eſt. Septima, ad *Polycarpum* directa eſt. Octava, ad *Demophilum* Monachum. Nona, ad *Titum* Epiſcopum data. Decima, ad *Joannem* Evangeliſtam in Inſula Patmos exulantem ſcripta eſt. Hæc ſunt Opera, quæ S. Dionyſio Areopagitæ vulgo tribuuntur, in quorum examine perdocti hujus tempeſtatis Critici in tres partes diſtrahuntur. Alii ſiquidem pro antiquiorum opinione ſtantes prolixis diſſertationibus non ita pridem in vulgus emiſſis acerrime defendunt, ac tuentur, hæc ſcripta a S. Dionyſio Areopagita, cujus nomine inſcribuntur, fuiſſe profecta. Alii e diverſo, omnes illas lucubrationes Dionyſio Areopagitæ plane penituſque abjudicant, ipſaſque adulterinas, & tanto viro ſuppoſitas eſſe arbitrantur. Alii denique, ulterius progreſſi, non ſolum hæc ſcripta Dionyſio Areopagitæ tribui debere negant, ſed etiam affirmant, ea non alium parentem habere quam Hæreticum Monophyſitam, ſeu Euthychianum, qui ſuæ Hæreſeos virus in hiſce Operibus effudit, ſicut multis argumentis, & teſtimoniis ex hiſce libris petitis evincere conatur doctiſſimus *P. le Quien* Ord. Præd. diſſertatione, quæ eſt ordine ſecunda inter alias diſſertationes Damaſcenicas, quas præfixit recenti Editioni a ſe adornatæ Operum S. Damaſceni. Non is certe ego ſum, qui tantas velim, aut poſſim componere lites; candide tamen dicam, non omnino certam mihi videri opinionem illorum, qui hæc Opera S. Dio-

nyſio

Digitized by Google

nyſio Areopagitæ vindicant. At enim, ſi hæc ſcripta Auctorem haberent S. Dionyſium, non eſt dubium quin propter Auctoris nomen, & res ſacras, ac plane divinas, quæ in eis pertractantur, fuiſſent ſemper celeberrima, & omnibus Chriſtianis trium priorum Eccleſiæ ſæculorum notiſſima. Conſtat attamen ejuſmodi ſcripta per tria priora Eccleſiæ ſæcula nulli prorſus cognita fuiſſe, ſed altiſſimo prætermiſſa ſilentio, ac denſiſſimis tenebris conſepulta. Conſtat etiam antiquos Patres, qui accuratiſſimos Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogos ediderunt, videlicet Dionyſium Corinthium, Euſebium & Hieronymum, ne minimam quidem ejuſmodi Operum, & epiſtolarum feciſſe unquam mentionem. Immo anno Chriſti 533. quando juſſu Juſtiniani Imperatoris collationem Severiani, ſeu Acephali Hæretici, Conſtantinopoli habuere cum Catholicis, & hæc Pſeudo-Dionyſii ſcripta tum primum ad ſuos tutandos errores protuliſſent Hęretici, incunctanter reſponderunt Catholici, ejuſmodi ſcripta non eſſe S. Dionyſii Areopagitæ, quippe quæ nec S. Athanaſio, nec S. Cyrillo innotuerant. Præterea, hæc ſcripta, quæ S. Dionyſii Areopagitæ nomen præſerunt, nuncupantur Timotheo Pauli diſcipulo, & tamen Auctor citat cap. 4. libri *de divinis nominibus* epiſtolam S. Ignatii Epiſcopi Antiocheni ad Romanos, ejuſque ipſiſſima verba laudat in hunc modum: *Scribit autem & Divus Ignatius: Amor meus crucifixus eſt*. Porro certum eſt, Timotheum Pauli diſcipulum jam mortem obiiſſe, quando S. Ignatius Martyr hanc ad Romanos dedit epiſtolam; nuncupaſſet igitur S. Dionyſius hos libros Timotheo jam demortuo. Denique, hic Auctor, quiſquis ille ſit, meminit Monachorum, & uſurpat voces *Ouſias*, ſeu ſubſtantiæ, & *Hypoſtaſis*, ſeu Perſonæ. Quis autem neſciat, Monachos longe tardius ætate S. Dionyſii Areopagitæ cœpiſſe florere in Eccleſia, maxime cum id aperte innuant Sancti Patres Athanaſius, & Hieronymus, qui Pauli & Antonii primorum Monachorum vitas deſcripſerunt? Similiter, hæ voces *Ouſias*, & *Hypoſtaſis* longe poſt ævum S. Dionyſii in Eccleſia fuere receptæ, hoc eſt, ſi Socrati fides habeatur lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 7. poſt Alexandrinam Synodum coactam anno 362. His, & aliis id genus momentis productis a viris eruditis, quibus nunc brevitatis ergo ſuperſedeo, adducor, ut credam prædicta illa, quæ circumferuntur, ſcripta non poſſe certo vindicari Sancto Dionyſio Areopagitæ. (*a*)

„ (*a*) De S. Dionyſio Areopagita paucis me
„ expediam. Cum enim in hac palæſtra viri
„ plures ſcientia validi ſtrenue ſeſe exercuerint,
„ non eſt cur ego, nequaquam illis comparandus,
„ immittere me audeam. In meis notis ad Nat.
„ Alexandrum eam quidem ſententiam propugnan-
„ dam ſuſcepi, quæ libros ſub nomine Areopa-
„ gitæ vulgatos neque illi abjudicat, neque aſſe-
„ rit, ſed demonſtrandum ſuſcepi argumenta om-
„ nia contra Areopagitam allata certam demon-
„ ſtrationem nequaquam ſibi vindicare, ſed poſſe
„ ſingula probabili reſponſione eludi. Verum ſem-
„ per mihi viſa ſunt majoris ponderis argumen-
„ ta, quæ libros ad Pſeudo-epigraphos rejicit.
„ Quæ tamen ſuſpicio in illos inducta eſt a P. le
„ Quien, qui hos libros ab hæretico ſcriptos ju-
„ dicat, egregie amovetur a P. Bernardo de Ru-
„ beis in ſua docta Diſſert. novæ Edit. S. Dio-
„ nyſii præmiſſa.

D. Perpauca, ut video, ſuperſunt ſincera Scriptorum primi ſæculi monumenta. Qua de re nudius tertius audiebam graviter conquerentem quemdam Theologum Scholaſticum, qui furiis invectus diris devovebat omnes hujus temporis Criticos, eo potiſſimum nomine, quod iſti Ariſtarchi (ſic eos appellabat) in Theologia Scholaſtica peregrini, graſſentur, & arbitratu ſuo virgam cenſoriam exerceant in omnia indiſcriminatim Opera. Unde, proh dolor! contigit, ut inutiles plane reddantur omnes Doctorum Scholaſticorum libri, in quibus paſſim citantur antiquorum Patrum Opera, quæ tamen juxta rigidiores iſtos, ſi ſuperis placet, veritatis exactores, procul ad Apocryphorum claſſem amandari debent. Quod malum late jam ſerpens ni quamprimum comprimatur, de Religione, & de tota Theologia Scholaſtica, quam unicum, ac verum Operum SS. Patrum Criterium eſſe dictitabat, actum omnino & conclamatum eſſe tragica voce lamentabatur ſpeculativus ille, & reſolutivus Doctor.

M. Somnia mihi narras forte alicujus delirantis ſenis, ſuaque dumtaxat garrulitate famoſi. Dicas enim, ſodes, gratumne haberes, ſi tibi ex ipſis fontibus Antiquitatis notitiam Hiſtoriæ haurire cupienti, ipſe dolo malo pro legitima merce adulterinam venditarem? ſi pro veritate fabulas ingererem, pro germanis veterum ſcriptis, ſuppoſititia, aut dubia obtruderem? Si denique pro ſinceris monumentis auribus tuis inculcarem Acta neſcio quæ ſpuria, vel commentitia & *quidquid Græcia mendax audet in Hiſtoriis*? Nullus dubito quin hoc permoleſte laturus eſſet. Deinde, Religio ſtat per ſeſe altis defixa radicibus, nec figmentorum eget adminiculis, ſed potius eruditos oculos, & introſpicientium aciem amat, lucroque apponit. De illa bene meretur, non qui omnia promiſcue monumenta ſine ullo delectu amplectitur, eaque genuina eſſe pertendit, ſed qui, abdicatis omnibus præjudiciis & maturo adhibito examine ſcit germana Patrum Opera ab adulterinis ſecernere, & quæ confuſis temporibus obſcuritatem pariunt, ſuis temporibus, ac locis critices beneficio reſtituere; ille, inquam, bene de Religione meretur, qui opinionum commenta delet ex populorum animis, non ſecus ac qui inutiles falce ramos amputat, juvat arborem, nedum lædit. Caduca contra ac pernicioſa res eſt omnis falſitas, quæcumque demum illa ſit. Hinc Apoſtolus Paulus Titum, Timotheumque tam impenſe monet, ut fabulas reſpuant, vultque ut nihil credamus, quod non antehac lente, & accurate probaverimus: *omnia probate, quod bonum eſt, tenete*. Faceſſat igitur Doctor ille *ſpeculativus*, aut ſi mavis, *reſolutivus*, in quem trita iſta Adagia optime quadrare videntur: *Ne ſutor ultra crepidam. Aſinus inter ſimias: Sus Minervam.*

D. Revertamur, ſi placet, ad id unde paululum digreſſi ſumus, videlicet ad examen Operum

primi ſæculi Scriptorum, jamque expecto quid dicturus ſis de Operibus *S. Ignatii* Martyris Epiſcopi Antiocheni, & *Papiæ* Hierapolitani Antiſtitis, quos inter primi ſęculi Scriptores cenſuiſti.

M. Septem Epiſtolas primævæ pietatis, doctrinæ Eccleſiaſticæ, & Epiſcopalis Regiminis documentis pleniſſimas a S. Ignatio Martyre ad varias Eccleſias fuiſſe conſcriptas, & a S. Polycarpo collectas, conſtans eſt peritorum Criticorum ſententia. Hæ autem ſunt: *Ad Epheſios*, *ad Magneſianos*, *ad Trallianos*, *ad Romanos*, *ad Philadelphienſes*, *ad Smyrnæos*, *ad Polycarpum*, quas puras, & ab omnibus aſſumentis liberas *Iſaacus Voſſius* ex manuſcripto Græco Bibliothecæ Florentinæ Græce edidit, quarumque antiquam verſionem latinam *Uſſerius* Archiepiſcopus Armachanus ex duobus Codicibus manu exaratis, uno videlicet Bibliothecæ *Richardi Montacutii*, altero *Cantabrigenſi* antea publici juris fecerat. Has tamen ſeptem genuinas S. Ignatii Epiſtolas, quas ſemper venerata eſt antiquitas, totis viribus oppugnarunt Presbyterianæ, Calvinianæque ſectæ homines *Blondellus*, *Dallæus*, *Salmaſius*, contra quos ad propugnandam harumce Epiſtolarum veritatem prolixiores diſſertationes publica luce donarunt non ſolum Catholici Doctores, ſed etiam ſectæ Calvinianæ Hæretici, nimirum *Vedelius* Calviniſta ac Genevenſis Miniſter, *Voſſius*, *Henricus Hammondus*, Presbyter in Schiſmate Anglicano, qui prolixam adverſus Blondellum adornavit diſputationem, qua non ſolum omnibus Blondelli argumentis fecit ſatis, ſed adductis novis, firmiſque rationum momentis ſeptem illas Epiſtolas aſſeruit. Earumdem etiam Epiſtolarum doctas vulgarunt vindicias *Joannes Pearſonius* in eodem Schiſmate Presbyter, & poſtea Epiſcopus Ceſtrienſis, & *Uſſerius* ſupra laudatus, quibus Ignatianam cauſam validis, invictiſque munierunt argumentis, & omnes adverſariorum objectiones funditus diſſlarunt. Cum igitur tota retro antiquitas, & peritiores Critici cum Catholici, tum Hæretici has ſeptem Epiſtolas S. Ignatio adjudicent, ne pili quidem facere debemus ſubleſtas, & frigidas conjecturas, quibus nonnulli Hæretici omnes ingenii ſui nervos in eo contendunt, ut his ſeptem Epiſtolis, quæ ipſorum errores jugulant, omnem detrahant auctoritatem.

Præter illas ſeptem germanas S. Ignatii Martyris Epiſtolas, octo aliæ illius nomine inſcriptæ feruntur, quæ ſanctiſſimo huic Epiſcopo affictæ ſunt, videlicet una *ad Mariam Caſſabolitam*, una *ad Tarſenſes*, una *ad Antiochenos*, una *ad Heronem*, una *ad Philippenſes*, una *ad Beatam Virginem Mariam*, duę *ad Joannem Apoſtolum*. Has, inquam, octo Epiſtolas perperam S. Ignatio adſcriptas eſſe dico, quia nec ab Euſebio, neque a S. Hieronymo, neque ab antiquis Patribus laudantur, nec redolent ſtylum, & ingenium S. Ignatii, multaque complectuntur, quæ naſcentis Eccleſiæ moribus non conveniunt. Sed de Epiſtolis tam genuinis, quam ſuppoſititiis S. Ignatii legeſis diſſertationem XXIII. Sæc. I. Hiſt. Eccleſ. Patris *Natalis Alexandri*, & diſſertationem ſeptimam *P. Nicolai le Nourry* in apparatu ad Bibliothecam maximam veterum Patrum. (*a*)

„ (*a*) Adjicere tamen his omnibus oportet, ſeptem illas epiſtolas, quæ pro ſinceris hic vindicantur, ac reipſa Ignatianæ ſunt, antequam ab Iſaacio Voſſio e Florentina Bibliotheca producerentur, vulgatas ac notas fuiſſe eruditis græce & latine; ſed vetuſtiores iſtæ in multis interpolatæ ſunt, ut facta collatione inter Voſſianas & antiquiores ante Voſſium intelligimus. Quæ ergo pro ſinceris habendæ ſunt, Voſſianæ tantummodo titulum hunc juſte merentur. Profecto Voſſius græcum textum ſincerum epiſtolæ ad Romanos non reperit, ſed illum debemus P. Ruinart, qui inter Acta Martyrum ſincera illum primus evulgavit.

Supereſt nunc, ut pauca dicam de ſcriptis *S. Papiæ* Hierapolitani Epiſcopi, quem alii auditorem S. Joannis Apoſtoli, alii vero Joannis Senioris, ſeu Presbyteri, Diſcipulum fuiſſe dicunt. Is S. Antiſtes, qui, juxta Euſebium & S. Hieronymum quinque ſcripſit libros, qui inſcribuntur: *Explanatio Sermonum Domini*, quorum hodie nonnulla dumtaxat ſuperſunt fragmenta, non eximio, ſed potius mediocri fuit prædirus ingenio, ſicut ex ipſius ſcriptis colligit Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. ultimo. Extat quidem nunc apud eumdem Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 36. ejuſdem Papiæ elogium his verbis conceptum: *Papias quoque Hierapolitanus Epiſcopus eadem ætate celebris fuit, vir in primis diſertus, & eruditus, ac ſcripturarum peritus*. Sed hoc totum Papiæ elogium, ſicut optime obſervat doctiſſimus *Valeſius* in notis Euſebianis, deeſt in tribus codicibus manuſcriptis *Mazarino*, nempe, *Mediceo*, & *Fuketiano*. Quare non dubitat *Valeſius*, quin hoc elogium fuerit ab imperito quodam Scholiaſte adjectum, & in textum Euſebii intruſum. Ut ut ſit, conſtat nunc Papiam primum auctorem fuiſſe opinionis, ſeu fabulæ de millenario poſt reſurrectionem in terris Chriſti cum Sanctis futuro Regno, quem ſecuti ſunt Juſtinus, Irenęus, & multi antiqui, quibus hæc hæreſeos nota inuri non debet, cum hæc controverſia necdum hiſce temporibus eſſet plane eliquata, nec quidquam hac de re judicium decretorium pronunciaſſet Eccleſia, ſicut poſtea ſuper ſtatu animarum e corporibus migrantium ſolemne ſuum promulgavit judicium in Conciliis Florentino, & Tridentino. Sed hactenus de Scriptoribus primi ſæculi dictum ſit.

D. Fueruntne in ſecundo Eccleſiæ ſæculo plures Scriptores, quam in primo?

M. Multo plures floruerunt Scriptores in ſecundo Eccleſiæ ſæculo, ſed quorumdam lucubrationes magno Reipublicæ Chriſtianæ diſpendio in integrum perierunt, vel quædam dumtaxat Operum, quæ ediderunt, fragmenta ad noſtram uſque ætatem pervenerunt. Non deſunt tamen etiamnum integra Opera a ſecundi ſæculi Scriptoribus lucubrata, quæ optimo jure locupletiſſima dici poſſunt venerandæ antiquitatis monumenta.

D. Incipiamus, ſi placet, ab illis ſecundi ſæculi Scriptoribus, quorum lucubrationes, vel injuria temporum omnino perierunt, vel quædam dumtaxat illarum fragmenta ad noſtram uſque ętatem pervenerunt.

M. Bene multa virorum illuſtrium, ſeu Scriptorum Eccleſiaſticorum ſecundi ſęculi nunc deſiderantur Opera, vel quędam tantum illorum exigua extant fragmenta, quę Euſebius & Sanctus Hieronymus in ſuis libris referunt, & quę hic indicare abunde ſuffi-

Digitized by Google

ſufficiet. In primis, non amplius extat Apologia, quam *Quadratus* Senator Romanus pro Religione noſtra adverſus Ethnicos a ſe adornatam porrexit Adriano Imperatori, cujus Apologiæ mentionem faciunt Euſebius lib. 4. Hiſt. Eccleſiaſt. c. 3. & S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum. Secundo periit itidem Apologia pro fide Chriſtiana eidem Imperatori oblata ab *Ariſtide* Athenienſi Philoſopho eloquentiſſimo, ut legitur apud Euſebium ibidem, & apud S. Hieronymum in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 31. Tertio, deperdita ſunt Opera, quæ adverſus Marcionitarum Hæreſim ediderunt *Philippus* Gortinenſis Epiſcopus, & *Modeſtus*, qui ſub Imperatoribus M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo floruerunt. Quarto, ad nos uſque non pervenerunt epiſtolæ Serapionis ad Pontium, & Carinum viros Eccleſiaſticos adverſus Montani Hæreſim, nec Epiſtolæ Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi, nec Hiſtoria Eccleſiaſtica *Hegeſippi*, nec Opera *Rhodonis* adverſus Marcionitas, & Montaniſtas, nec liber *Muſani* contra Encratitarum Hæreſim, nec Apologia pro Chriſtiana Religione Imperatori M. Antonino Vero oblata ab Apollinario Hierapolitano in Aſia Epiſcopo, nec denique alii libri, quos ſcripſit idem Apollinarius, videlicet quinque contra Gentiles, duo de veritate, duo item contra Judæos, & alii contra Montani Hæreſim, quæ tum primum prodire cœpit. Horum, inquam, Operum, quæ laudati Scriptores, & nonnulli alii ſecundi Eccleſiæ ſæculi viri illuſtres ediderunt, nihil impræſentiarum ſupereſt præter ſolam memoriam, vel pauca fragmenta, quæ leguntur apud Euſebium in Hiſtoria Eccleſiaſtica, & apud S. Hieronymum in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

D. Fueruntne iſti, quos nominaſti, clariores ſecundi Eccleſiæ ſæculi Scriptores?

M. Quamvis Eccleſiam ab iſtis, quos laudavi, Scriptoribus, plurimum fuiſſe in ſecundo ſæculo illuſtratam negari minime poſſit, palmam tamen eruditionis illis præripuerunt, majoremque in eodem ſæculo ſuis lucubrationibus Eccleſiæ ſplendorem contulerunt *S. Juſtinus Martyr*, *S. Irenæus*, *S. Clemens Alexandrinus*, *& Tertullianus*, quorum genuina Opera, quæ adhuc extant, vel vetuſtate evanuerunt, necnon ſuppoſititia, breviter recenſebo, ut in examine Operum, quæ ediderunt ſecundi Eccleſiæ ſæculi Scriptores, ſanum & accuratum eruditorum hujus ætatis Criticorum judicium compertum, ac exploratum habere poſſis.

Ordior igitur a S. Juſtino, qui Neapoli Paleſtinæ, patre *Priſco Bacchio* natus eſt, & ad Chriſtianam Fidem converſus pro illius gloria Martyrii corona ſub Marco Antonino Imperatore redimitus obiit, nobiſque plurima reliquit ingenii ſui eximia monumenta, & omnis generis eruditionis, utilitatiſque plena. Inter genuina S. Juſtini Opera, quæ etiamnum extant, iſta cenſentur: *Parænesis ad Græcos. Apologia pro Chriſtianis prima. Apologia pro Chriſtianis ſecunda. Dialogus cum Tryphone Judæo. Epiſtola ad Diognetum.* Advertendum tamen eſt cum doctiſſimis Criticis, Apologiam S. Juſtini, quæ prior inſcribitur, & ad Senatum data, revera poſteriorem eſſe, nec ſoli oblatam Senatui, ſed Imperatoribus M. Aurelio, & L. Vero; eam autem Apologiam, quæ inſcribitur *ſecunda*, & Antonino Pio Imperatori porrecta eſt, reapſe primam eſſe, ſicut teſtantur Euſebius lib. 4. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 18. S. Hieronymus in Catal. Script. Eccleſiaſt. cap. 34. & Photius in Bibliotheca Cod. 125. Præter iſta genuina S. Juſtini Opera, quæ etiamnum extant, alia conſcripſit S. Martyr, quæ tempus nobis invidit, cujuſmodi ſunt iſta. *Liber de Anima. Liber de Monarchia Dei. Liber Pſaltes dictus. Liber contra omnes Hæreſes. Liber contra Marcionem. Commentarius in Hexameron. Liber de Reſurrectione carnis.* Hæc, inquam, S. Juſtini Opera non comparent amplius. Poſtremo, alia Opera, quæ S. Juſtino tribuuntur, ſunt plane ſuppoſititia, videlicet, *liber de Monarchia. Quæſtiones, & Reſponſiones ad Græcos. Quæſtiones Græcanicæ de Incorporeo, &c. Et ad eoſdem Chriſtianæ reſponſiones. Quæſtionum 146. Reſponſio ad Orthodoxos. Dubitationum adverſus Religionem ſummariæ ſolutiones. Expoſitio fidei de Sancta Trinitate. Epiſtola de vita Chriſtiana ad Zenam, & Serenum. Ariſtotelicorum quorumdam dogmatum everſio* (a).

„ (a) Sunt tamen Critici, ætate noſtra doctiſ-
„ ſimi, qui & nonnulla alia Juſtini opera ſince-
„ ra eſſe judicant, uti librum *de Monarchia*,
„ cujus tamen partem priorem intercidiſſe inter
„ omnes conſtat, cum in illa probaverit Juſtinus
„ ex auctoritate ſacrorum librorum unum eſſe
„ ſingulare numen, quod utique in ea parte li-
„ bri de monarchia, hodie ſuperſtite, nihil ea de
„ re legatur. Epiſtolam etiam *ad Zenam & Se-*
„ *renum* Juſtinum ſapere, ſicut etiam *everſionem*
„ *Ariſtotelicorum quorumdam dogmatum* plerique
„ hodie agnoſcunt.

Floruit in eodem ſecundo ſæculo *S. Irenæus* natione Græcus, Lugdunenſis Epiſcopus, Pothini præclari Martyris ſucceſſor, & S. Polycarpi diſcipulus, qui poſtquam triginta circiter annis Epiſcopalis regiminis clavum tenuiſſet, tandem anno Chriſti 202. martyrio coronatus eſt, multoſque a ſe conſcriptos reliquit libros, qui ad nos uſque non pervenerant, niſi quinque libri, quos edidit adverſus Hæreſiarcham Valentinum. Convenit inter omnes S. Irenæum fuiſſe Græcum, ejuſque phraſim græciſmum redolere. Quapropter hallucinatus eſt *Eraſmus*, vir licet emunctæ naris, qui exiſtimavit S. Irenæum, non Græce, ſed Latine ſcripſiſſe. Quo nomine jure merito vapulat a Joſepho Scaligero, aliiſque viris eruditis. Alia Opera, quæ præter iſtos quinque jam numeratos libros edidit S. Irenæus, temporum vetuſtas delevit, & ſunt iſta: *Libellus de ſcientia adverſus Gentes. Demonſtratio Apoſtolicæ prædicationis ad Marcianum fratrem. Liber de Ogdoade contra Valentinos*, cujus exiguum fragmentum refert Euſebius l. 5. Hiſt. Eccl. c. 8. *Epiſtola ad Blaſtum de Schiſmate. Epiſtola ad Florinum de Monarchia*, ſeu quod Deus non ſit auctor mali, cujus fragmentum recenſet ibidem Euſebius, *Epiſtola ad Victorem Papam de Paſchate. Epiſtola ad varios Epiſcopos* eadem de re, ſeu *de Paſchate. Variorum Tractatuum liber unus.* Hæc Sancti Irenæi Opera periiſſe dolent viri eruditi.

Digitized by Google

S. Clemens Alexandrinus, qui ſecundum Eccleſiæ ſæculum eruditione & pietate illuſtravit, fuit patria Athenienſis, Pantæni Stoici Philoſophi diſcipulus, Origenis Præceptor, dictuſque eſt *Alexandrinus*, tum quia Eccleſiæ Alexandrinæ Presbyter eſſet, tum quia etiam diutiſſime docuit in ſchola Alexandrina, cui ante ipſum præfuit *Pantenus* illius Præceptor, teſte Euſebio lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 10. ubi hæc habet: *Per idem tempus* (Commodo nimirum imperante) *Fidelium ſcholæ præerat vir doctrinæ cauſa celeberrimus, nomine Pantanus, quippe jam inde a priſcis temporibus ſacrarum litterarum ſchola in eadem Civitate Alexandrina fuerat inſtituta, quæ quidem noſtra ætate adhuc perſeverat*. Porro *Commodus* ab anno Chriſti 180. uſque ad annum 193. Imperii habenas moderatus eſt: per hoc igitur temporis intervallum Pantænus ſcholæ Alexandrinæ præfuit, eique poſtea ſucceſſit Clemens Alexandrinus, qui tam ſacra, quam exotica eruditione præditus inſignia conſcripſit volumina, quorum quædam adhuc extant, nimirum: *Adhortatio ad Gentes. Libri tres Pædagogi. Libri octo Stromatum. Oratio quiſnam dives ille ſit qui ſalvetur? Epitome doctrinæ Orientalis Theodoti*. Quædam vero S. Clementis Alexandrini Opera ad nos uſque non pervenerunt, videlicet *libri octo Hypotypoſeon*, ſeu *Inſtitutionum. Canon Eccleſiaſticus. Liber adverſus Judaizantes. Liber de Paſchate. Liber de Obtrectatione. Diſputationes de Jejunio. Exhortatio ad Patientiam. Liber ad Neophytos*, ſeu ad nuper baptizatos. Alia Opera, quæ ſub Clementis Alexandrini nomine circumferuntur, ſunt ſuppoſititia, ſcilicet *Commentariola* in primam Epiſtolam Canonicam S. Petri, in Epiſtolam Judæ, & in tres Epiſtolas S. Joannis Apoſtoli. (*a*)

(*a*) „ De libro octavo Stromatum S. Clementis, prout hodie ſupereſt, dubitatum eſt, cum totus ſit in dialecticis explicandis, nec præcedentibus ſeptem libris omnino cohæreat. Verum Photius hoc opus ſic olim legit, ut hodie habemus. Sinceris etiam Clementis operibus adjici ſolet Epitome, ſive excerpta ex ſcriptis Theodoti & doctrina, quæ Orientalis vocatur, ad Valentini tempora ſpectantia. Opuſculum iſtud ſtylum Clementis ſapere eruditi agnoſcunt. Num ejus ſit dubitari poſſet ex eo quod quædam in eo continentur abſona & a Clemente aliena. Forte tamen ex Theodoti ſententia hæc afferuntur.

Inter celebriores ſecundi ſæculi Scriptores non immerito numerari debet *Tertullianus* natione Afer, patria Carthaginenſis, acris ac vehementis ingenii vir, & in omni genere literarum peritus, ſed in loquendo parum facilis, minus comptus, & multum obſcurus, ſicut ait Lactantius lib. 5. Inſtitut. Divin. cap. 1. Multa ſcripſit Opera, ſive dum adhuc Catholicam Fidem profiteretur, ſive poſtquam in Montani Hæreſim lapſus eſt, quorum nonnulla adhuc extant, quædam vero omnino perierunt. Opera, quæ edidit Tertullianus, dum adhuc eſſet in gremio Catholicæ Eccleſiæ, & quæ etiamnum extant, ſunt: *Liber Apologetici. Libri duo ad Nationes. Liber de Teſtimonio Animæ. Liber ad Scapulam Africæ Præfectum. Liber de Spectaculis. Liber de Idololatria. Liber de Corona. Liber de Pallio. Liber de Pœnitentia. Liber de Oratione. Liber ad Martyres. Liber de Patientia. Libri duo de Cultu fœminarum. Libri duo ad Uxorem. Liber de Virginibus velandis. Liber adverſus Judæos. Liber de præſcriptione Hæreticorum. Liber de Baptiſmo. Liber adverſus Hermogenem. Liber adverſus Valentinianos. Liber de Anima. Liber de Carne Chriſti. Liber de Reſurrectione Carnis. Libri quinque adverſus Marcionem. Liber adverſus Praxeam. Liber Scorpiaci adverſus Gnoſticos*. Poſtquam autem Tertullianus univerſalis ac vetuſtæ fidei parum tenax ab ea diſcivit, & in Montani Hæreſim lapſus eſt, hæc Opera edidit, videlicet: *Librum de Exhortatione caſtitatis. Librum de Monogamia. Librum de fuga in perſecutione. Librum de Jejuniis. Librum de Pudicitia*. Opera Tertulliani, quæ non amplius extant, ſunt: *Liber de Paradiſo. Liber de Spe Fidelium. Sex Libri de Ecſtaſi. Liber adverſus Apollonium. Liber adverſus Apellicanos. Liber de veſtibus Aaron. Liber de Cenſu Animæ*. Alia Opera, quæ Tertulliano tribuuntur, ſunt ſuppoſititia, ſcilicet *Poemata — libri quinque contra Marcionem carmine ſcripti — de Judicio Domini — Geneſis — Sodoma*. Sed hæc dicta ſufficiant de genuinis & ſpuriis Operibus Patrum Juſtini, Irenæi, Clementis Alexandrini, & Tertulliani, quos celebriores ſecundi Eccleſiæ ſæculi Scriptores extitiſſe diximus. (*b*)

(*b*) „ Lectores noſſe juvat librum Tertulliani de Oratione ad noſtram uſque ætatem mancum perveniſſe; poſtremo vero a Cl. Muratorio in Codicibus Ambroſianis integer repertus evulgatus ab eo fuit in anecdotis tom. III. pag. 1.

D. Hi ſunt igitur omnes Scriptores Eccleſiaſtici, qui ſecundo nominis Chriſtiani ſæculo floruerunt, & Eccleſiam ſcriptis illuſtrarunt?

M. Aliorum ſecundi ſæculi Scriptorum, præter iſtos, quos memoravi, meminit Hiſtoria Eccleſiaſtica, quos inter recenſentur *Tatianus*, *Melito*, *Theophilus Antiochenus*, *Athenagoras*, *Miltiades* & *Apollonius*, de quorum Operibus pauca hic attexam. *Tatianus* S. Juſtini Martyris diſcipulus infinita ſcripſit volumina, ex quibus unum egregium, quod adverſus Gentiles edidit, etiamnum hodie habemus adjectum ad calcem Operum S. Juſtini, & tom. 1. Biblioth. Patrum Græcolatinæ. Mortuo S. Juſtino in multos errores prolapſus eſt Tatianus factus auctor Sectæ *Encratitarum*, quaſi continentium, qui nuptias deteſtabantur. *Melito* Aſianus Sardenſis Epiſcopus floruit ſub *M. Antonino Vero* Imperatore, cui egregiam pro Chriſtianis obtulit Apologiam, ut liquet ex ejus fragmento apud Euſebium lib. 4. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 26. Multa alia ejus Opera recenſent ibidem Euſebius & S. Hieronymus in Catal. Script. Eccleſiaſt. quæ magno Eccleſiæ damno perierunt, librum tamen inſcriptum *de Tranſitu Virginis* non eſſe genuinum Melitonis fœtum fatentur omnes periti Critici, non ſolum quia hujus libri inter Opera Melitonis non meminere Euſebius, & S. Hieronymus, ſed etiam quia ſtylus

hujus

Digitized by Google

hujus libri tantum a ſtylo Apologiæ diſſidet, quantum ab homine ſimia diſtat. Hinc *Gelaſius* Papa hunc librum *de Tranſitu Virginis* declaravit Apocryphum in Concilio Romæ habito anno Chriſti 494. *Theophilus* Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus multa elegantiſſima ſcripſit Opera, ex quibus ſoli ſuperſunt tres libri ad *Autolycum*, qui extant tom. 1. Biblioth. Patrum Græco-latinæ. *Athenagoras* edidit Apologiam pro Chriſtianis, & librum *de Reſurrectione Mortuorum*: extat utrumque opus ad finem Operum S. Juſtini, editionis Pariſienſis anni 1615. & tom. 1. Bibli. Patrum Græco-latinæ. *Miltiades* Apologiam pro Chriſtiana Religione ſcripſit, aliaque Opera, quæ non amplius extant. *Apollonius* inſigne volumen edidit adverſus Montanum, Priſcillam, & Maximillam, cujus aliquot fragmenta refert Euſebius lib. 5. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 18. De his Eccleſiaſticis ſecundi ſæculi Scriptoribus plura dicere non vacat, maxime cum adhuc mihi incumbat onus diſſerendi de Scriptoribus, qui in tertio Eccleſiæ ſæculo floruerunt.

D. Cedo, ſi placet, nomina Scriptorum, qui in tertio Chriſtiani nominis ſæculo doctrina, & pietate claruerunt.

M. Tertio ſæculo Eccleſiam ſuis lucubrationibus illuſtrarunt *Minutius Felix*, *Hippolytus* Portuenſis Epiſcopus, *Cajus*, *Origenes*, *Ammonius*, *Julius Africanus*, *S. Cornelius Papa*, *Dionyſius* Romanus, *Pierius*, *Pontius* Diaconus, *S. Gregorius* Neocæſarienſis, *& S. Dionyſius* Alexandrinus, quorum gennina Opera juxta doctiſſimorum virorum judicium hic breviter recenſebo, ut tuum deinde judicium acuere, & confirmare poſſis, uberioremque ex eorum lectione valeas percipere fructum.

In primis *Minutius Felix*, qui fuit natione Afer, & inter Romanos Cauſidicos celebris, eloquentiſſimum edidit Dialogum inter *Cæcilium* Gentilem, & *Octavium* Chriſtianum, in quo totum Gentilium cultum tam erudite, tam venuſte, & ingenioſe convellit Minutius Felix, & e contra Chriſtianos, eorumque ſacra ab omnibus Cæcilii calumniis, atque objectionibus adeo nervoſe, & eleganter vindicat, ut tandem Cæcilius manus det, herbam porrigat, atque ab Octavio Chriſtianorum vindice, ac Patrono victum ſe, ac ſuperatum glorietur. Hic Dialogus diu Arnobio, tamquam Octavus ipſius liber habitus eſt, eo potiſſimum nomine quod cum ſeptem Arnobii libris in veteri quodam manuſcripto Bibliothecę Vaticanæ repertus fuerit, & quater ſub nomine Arnobii typis mandatus. At eruditus Juriſconſultus *Balduinus* vulgarem hunc errorem primus animadvertit, atque Heidelbergæ anno 1560. hunc Dialogum excudendum curavit cum doctiſſima præfatione, qua illum Minutio Felici vero ſuo Authori reſtituit.

S. Hippolyti Epiſcopi Portuenſis Opera recenſet Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 22. S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſ. c. 72. & Photius in Bibliotheca Cod. 121. & 202. eorumque indiculus habetur in nobili, & pervetuſto monumento, quod, teſte Cl. Abbate *Joanne Vignolio* in diſſertatione, quam nuper edidit, *de anno primo Imperii Alexandri Severi*, effoſſum eſt in Agro Verano non procul ab Æde S. Laurentii anno Domini 1551. *Marcello Cervino* Cardinali, poſtea Summo Pontifice, tunc S. R. Eccleſiæ Bibliothecario, cui par viſum fuit, ut in Bibliothecam Vaticanam inferretur. Iſtud autem celebre Antiquitatis Eccleſiaſticæ Monumentum nihil aliud eſt, quam marmorea ſtatua Cathedræ inſidens, utrinque litteris Græcis inſcripta, in qua habetur Canon Paſchalis, & ad ejus marginem Catalogus multorum librorum, quos edidit S. Hippolytus, & qui non amplius extant, præter Canonem Paſchalem, quem omnes periti Critici S. Hippolyto adjudicant, & Orationem de Antichriſto, quam Rivetus, Caſaubonus, aliique ex Hæreticorum grege fruſtra S. Hippolyto eripere conati ſunt. Canonis ſui Paſchalis initium auſpicatus eſt S. Hippolytus ab anno Domini 222. in quem quidem annum Imperii Alexandri Severi primum incidiſſe multis argumentis evincit jam laudatus Abbas *Joannes Vignolius*, quem, ſi tibi per otium liceat, conſulere poteris, ſicut & *Joſephum Scaligerum* lib. 7. de emend. temporum pag. 723. *Petavium* lib. 11. de Doctrina Temporum, *Lenoinium* in ſuis obſervationibus pag. 930. *Bucherium* de Doctrina Temp. pag. 291. qui omnes Indiculum Operum S. Hippolyti deſcriptum in celebri jam citato Antiquitatis monumento doctiſſimis ſuis Notis illuſtrarunt.

Sedente Zephirino Papa, floruit vir inſignis Romanæ Eccleſię Presbyter *Cajus*, qui, imperante *Caracalla*, diſputationem adverſus *Proclum*, ſeu *Proculum* Sectatorem Montani habuit, eumque ſuper novam Prophetiam temeritatis arguit. Auctor eſt idem Cajus libri *de Univerſo*, qui olim Joſepho Hiſtorico erat falſo adſcriptus, & libri, cui titulus eſt, *Labyrinthus*, in quo *de Natali*, qui Theodoti partes ſecutus fuerat, mentionem facit, quod ex eo libro tranſcripſit Euſebius. Scripſit & alium Tractatum *Cajus* contra Artemonis Hæreſim, teſte Photio in Biblioth. Cod. 48. ubi etiam ait, Cajum ordinatum fuiſſe Epiſcopum, ut ad Gentes prædicaturus iret.

Verum, inter Scriptores tertii Eccleſiæ ſæculi præcipue eminet *Origenes* Patria Alexandrinus, S. Leonidis Martyris filius, a puero ſacris literis imbutus, ſublimis ingenio, eruditione nulli ſecundus, & ita laboris patiens, ut, ob indefeſſam in ſcribendo, legendoque conſtantiam, fuerit *Adamantius* cognomine dictus. Caſtitatis autem adeo rigidus cultor & amator fuit, ut, dum ſcholæ Alexandrinæ poſt S. Clementem Alexandrinum eſſet præpoſitus, Fœminiſque Fidei præcepta compluribus dare cogeretur, ſemetipſum eviraverit, ut omnem calumniæ occaſionem Ethnicis adimeret. In Achajam poſtea profectus Origenes, dumque in Palæſtina verſaretur, ab *Alexandro* Hieroſolymitano, & *Theoctiſto* Cæſarienſi Epiſcopo ad Presbyterii gradum evectus eſt anno ætatis ſuæ circiter 44. Quam ordinationem ægre tulit *Demetrius* Alexandrinus Epiſcopus, qui magno animi æſtu facinus ab Origene adhuc adole-

Digitized by Google

ſcente patratum criminatus, Epiſcopos, qui illum ordinaverant, ſuis accuſationibus involvit, & ipſum Origenem, cujus famæ celebritati haud parum invidebat, Alexandria pulſum perculit Anathemate. Origenem tamen Epiſcopi Palæſtinæ nunquam a ſua communione ſepararunt, immo illum ſemper in maximo honore habuerunt, dignumque judicarunt, qui munia Eccleſiaſtica obiret, quibus Origenes, ob ſummam, qua pollebat, eruditionem, maxima cum laude perfunctus eſt. Anno Domini 238. Boſtram, cauſa *Berylli* hujus Civitatis Epiſcopi venit Origenes. Negabat *Beryllus* Chriſtum, ante Nativitatem ſuam ex Virgine, in propria perſona ſubſtitiſſe. Cum illo igitur familiariter collocutus Origenes, errantem ad rectam viam reduxit. Dein, jam ſexagenario mâjor, anno Domini 247. regatus a Synodo Arabiam denuo petiit, ut adverſus Auctores erroris, qui animas cum corporibus interire, & rurſus ad vitam redire ſtatuebant, diſputationem inſtitueret, contra quos tanto robore pugnavit, ut a veri tramite deflectentibus errorem penitus excuſſerit. Anno 250. imperante Decio, & ſæviente dira perſecutione ab immaniſſimo illo Imperatore mota, Origenes conſtanti, & infracto animo multa, graviaque paſſus eſt ſupplicia, vincula, cruciatus, & ærumnas, ex quibus tamen liberatus, tandem vir ille toto Orbe percelebris vitæ ſuę curſum in labore corporis, atque in animi contentione abſolvit anno Domini 253. Gallo, & Volnſiano imperantibus, ætatis ſuæ LXIX. mortuus eſt Tyri, ubi eſt ſepultus. Defunctum præclaris laudibus extuletunt Vincentius Lirinenſis l. 1. Commonitorii c. 23. & S. Hieronymus Epiſt. LXV. ad Pammachium, & Oceanum.

D. Quæ mox de Origenis conſtantia in Deciana perſecutione narraſti, nova mihi plane apparent, & communi Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ peritorum opinioni omnino contraria. Audivi quippe a multis viris eruditis, Origenem tanto caſtitatis amore flagraſſe, ut eam in Deciana perſecutione fidei prætulerit, elegeritque potius fidem negare, & thus Idolis offerre, quam læſa caſtitate impuro miſceri Æthiopi, & nefando contaminari crimine.

M. Non me fugit, multos etiamnum eſſe viros eruditos, qui poſt S. Epiphanium hæreſi 63. exiſtimant, Origenem in Deciana perſecutione, ne ab Æthiope ſtuprum pateretur, avitæ fidei nuncium remiſiſſe, & Gentium Idolis ſacrificaſſe. Verum, hunc Origenis lapſum commentitium eſſe plurimis, ac ſolidis momentis evincunt periti alii Critici, quibus utroque pollice ſubſcribo. Primo, quia illi Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, qui Sancto Epiphanio ſunt antiquiores, vel ſaltem ſuppares, tanti Origenis lapſus, qui tamen per ora omnium volitaſſet, nuſtatenus meminere. Certe evirationem Origenis diſerte memorant Euſebius, & Hieronymus; de thure autem focis impoſito ab Origene ne minimum quidem verbulum habent. Secundo, Demetrius Alexandriæ Epiſcopus iniquo animo ferens quod Origenes fuiſſet Presbyter ordinatus, in ipſius quidem evirationem invectus eſt, quo illum Sacerdotio abdicaret, ſed nunquam ei Idololatriæ crimen exprobravit. *Demetrius*, inquit Euſebius l. 6. Hiſt. Eccl. c. 8. *Quando nihil aliud habebat, quod ei*, ſeu Origeni, *objiceret, facinus illud, quod olim adoleſcens patraverat, graviſſime criminatus eſt*. Credibile ne eſt, Demetrium laudi, gloriæque Origenis infenſiſſimum illius in Idololatriam lapſum de induſtria reticere voluiſſe, ſi revera contigiſſet? Denique, ut cætera mittam graviſſima momenta, queis liquido evincitur hunc Origenis lapſum eſſe plane confictum, teſtatur idem Euſebius c. 27. mox laudati libri, quod, ubi relicta Alexandria, Cæſaream migravit Origenes, *ipſi ſoli interpretationem Scripturæ ſacræ permiſerunt Theoctiſtus* Cæſareæ Epiſcopus, & *Alexander* Hieroſolymæ Epiſcopus. Porro, ſi Idolis ſacrificaſſet Origenes, publica pęnitentia fungi debuiſſet juxta immotam Eccleſiæ regulam, quam tamen nunquam peregit, ſive Alexandriæ, ſive Cæſareæ, ſed potius ubi primum Cæſaream adventaſſet, Presbyteri munia obivit. Falſus itaque videtur Origenis in Deciana perſecutione lapſus.

D. Utinam ſcripta Origenis tam facile ab erroribus poſſes vindicare, quam lapſum illius in Deciana perſecutione excuſaſti. Aſt, ſicut audivi a viris eruditis, tam fœdis erroribus ſcatent ſcripta Origenis, ut ex his, tanquam ex virulento fonte omnes penę, quæ deinde exortæ ſunt Hæreſes, manaſſe videantur.

M. De ſcriptis Origenis prolixe juxta ac eleganter diſſerit *Daniel Huetius* Epiſcopus Abrincenſis linguarum, & Antiquitatis Eccleſiaſticæ peritia clariſſimus, qui tribus libris quæcumque ad Origenis vitam, ſcripta, erroreſque ſpectant, ſolide enucleavit, & quod diu a viris doctis optatum fuerat, omnia Origenis Opera Græco-latina Notis illuſtrata, duobus tomis comprehenſa publica luce donavit. (*a*) Quapropter, cum aliunde Origenis genuina Opera ſint pene infinita (ſcripſit enim, teſte S. Epiphanio, ſena millia volumina, quæ, ut ait Vincentius Lirinenſis, non ſolum perlegi, ſed ne inveniri quidem poſſibile eſt) hic dumtaxat adnotabo breviter Opera, quæ ipſi ſunt falſo adſcripta, cujuſmodi ſunt: libri tres *Commentariorum in librum Job. Commentarius in Evangelium S. Marci. Homiliæ in diverſos. Liber de Sectis Philoſophorum, & Dogmatibus. Lamentum Origenis. Scholia in Orationem Dominicam, & in Cantica B. Virginis, Zachariæ & Simeonis. Dialogus contra Marcionitas. Liber de recta in Deum fide*. Hæc, inquam, Opera, ut fatentur periti Critici, Origenem non habent Authorem. Quod attinet ad genuina Origenis Opera, quæ ad nos uſque pervenerunt, certum eſt, ea multis eſſe fędata erroribus. Hinc S. Baſilius in libro de Spiritu Sancto c. 20. dicit, Origenem non habuiſſe ſanas de Spiritu Sancto opiniones. S. Epiphanius in libris de Hæreſibus ponit Origenem in Claſſe Hæreticorum. S. Hieronymus vertit in latinum Idioma libros Origenis dictos *Periarchon*, ideſt, *de Principiis*, ut oſtenderet errores plurimos, qui in iſtis libris paſſim oſtenduntur. Synodus Quinta Generalis Anathema quoque dixit Origeni & ſcriptis ejus. Denique, Gelaſius Papa in Concilio LXX. Epiſcoporum Romæ habito anno Chriſti 494. omnia Origenis Opera, quæ a S. Hieronymo fuere reprobata, proſcripſit. Fuere quidem olim variæ pro Origene editæ Apologiæ, quas inter duæ extitere celebres, Euſebii videlicet Cæſarienſis una,

& Ru-

Digitized by Google

& Rufini Presbyteri Aquilejenſis altera. Sed his non obſtantibus Apologiis, ultro fatendum eſt, Origenem deceptum ex Platonis Philoſophia, quam perperam cum Chriſtiana Religione conciliare ſtuduit, in multos impegiſſe errores, quibus Ario, Pelagio prælufit, ovaque poſuit, quæ poſtea nefarii Hæreſiarchæ in perniciem Eccleſiæ excluſerunt. Hæc fuit fortuna Origenis, qui ut optime ait Caſſiodorus, *ubi bene, nemo melius: ubi male, nemo pejus*. Si plura de Origenis doctrina ſcire aveas, legeſis Sixtum Senenſem, librum ab Halloixio editum, qui inſcribitur *Origenes defenſus*, Illuſtriſſimi Danielis Huetii Abrincenſis Epiſcopi *Origeniana*, & Natalis Alexandri diſſertationem 18. tertii ſæculi, qui tam fuſe, cumulateque hocce argumentum pertractarunt, ut actum profecto agerem, ſi in eo diutius immorari vellem. (*a*)

(*a*) „ Cl. Petrus Huetius duobus a ſe productis
„ voluminibus Origenis opera non quidem omnia,
„ ſed commentaria ejus in Joannem tantummodo
„ edidit. Omnia Origenis opera debemus Cl. P.
„ de la Rue Gallo Ord. S. Bened. Maurino, cu-
„ jus opus prodiit Pariſiis an. 1733. Ibi compa-
„ ret liber *de principiis* latine ex Rufini interpre-
„ tatione, cui tamen ad latus adjunxit Editor
„ græca quædam fragmenta ejuſdem operis hinc
„ inde accepta. Nec præteriit Cl. Editor frag-
„ menta alterius verſionis ejuſdem libri a S.Hie-
„ ronymo poſt Rufinum adornatæ, cujus collatio-
„ nis ope apparet quid a Rufino adjectum ſit
„ textui Origenis.

D. Perge, quæſo, aliorum, quos memoraſti, tertii ſæculi Scriptorum Eccleſiaſticorum recenſere Opera.

M. Floruit Alexandriæ in tertio Eccleſiæ ſæculo *Ammonius* Philoſophus omnium ore celebratus, Plotini, Longini & Amelii Præceptor, tantæque eruditionis vir, ut cum ejus ſcholam ingreſſus docentem audiiſſet Plotinus, dixerit Amico: *hunc ipſum quærebam*, teſte in vita Plotini Porphyrio. Ammonium fidem Chriſti ejuraſſe mentitur Porphyrius, quem falſi coarguit Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 19. his verbis: *Ammonius divinæ Philoſophiæ præcepta ad extremum uſque terminum vitæ integra, atque remota retinuit. Teſtantur id etiamnum lucubrationes illius viri ab eo, quæ reliquit, ingenii monumenta celeberrimi, exempli gratia: liber ille cui titulus eſt: De conſenſu Moyſis, & Jeſu, & quicumque alii apud ſtudioſos reperiuntur*. Harmoniam quatuor Evangeliſtarum olim dictam *Diateſſaron*, quæ in Biblioth. Patrum ſæpius excuſa eſt, quamque Ammonio vindicat *Victor Capuanus*, & poſt Victorem eruditi complures; revera tamen ab Ammonio editam non fuiſſe doctiſſimus *Valeſius* in ſuis Notis Euſebianis pag. 75. hac luculenta ratione demonſtrat: Opus Ammonii, inquit Valeſius, nihil aliud erat, quam Evangelium Matthæi, cujus ſingulis capitibus adjuncta erant ad latus capitula aliorum trium Evangeliſtarum, quæ cum Matthæi conſentiebant Evangelio; atqui in Harmonia illa, quæ a Victore Capuano prolata eſt, nihil ejuſmodi cernitur; hæc igitur Harmonia non eſt Ammonii, ſed alius Authoris, quem *Tatianum* eſſe pervulgata eſt virorum eruditorum opinio. (*b*)

(*b*) „ Hodie prævalet inter eruditos opinio, opus,
„ quod *Diateſſaron* inſcribitur, eſſe Ammonii fœtum
„ ſincerum. Capita vero illa adjuncta ad latus
„ Evangelii S. Matthæi, ſeu potius numeri capi-
„ tulorum aliorum trium Evangeliſtarum, in qui-
„ bus eadem continentur, quæ S. Matthæus in lo-
„ co illo narrat, quique *Canones vocantur*, alii
„ Ammonio tribuunt, alii vero Euſebio. Sunt
„ etiam qui ab Ammonio excogitatos & ab Eu-
„ ſebio expolitos cenſent. Vid. Simonium Hiſt.
„ Critic. comment. novi teſtamenti gallice ſcri-
„ pta cap. VI.

Claruit eodem tertio Eccleſiæ ſæculo *Julius Africanus*, vir undecumque doctiſſimus, Philoſophus, Hiſtoriographus, accuratiſſimus temporum obſervator, & Theologus inſignis. Vixit Nicopoli in Palæſtina, & ſub *Marco Aurelio Antonino Elagabalo* Imperatore legationem obiit pro inſtauratione Urbis *Emmaus*, quæ poſtea *Nicopolis* nuncupata eſt. Scripta ejus ſunt hæc: *Commentarii inſcripti* de Ceſtis, *ſic appellati propter argumentorum varietatem*. *Epiſtola ad Origenem de Hiſtoria Suſannæ, quam ipſe ceu Apocrypham explodebat. Volumina quinque Annalium, ſeu Chronicorum libri quinque. Epiſtola ad Ariſtidem de diſcrepantia Genealogiæ Chriſti a Matthæo, & Luca Evangeliſtis deſcriptæ*.

S. Cornelium Papam numero Eccleſiaſticorum tertii ſæculi Scriptorum jure merito S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſt. cap. 77. accenſet. Scripſit enim Summus ille Pontifex quatuor Epiſtolas ad Fabium Antiochenum Epiſcopum, quem S. Hieronymus, fallente memoria, Flavianum appellat. Scripſit quoque S. Cornelius quatuor Epiſtolas ad S.Cyprianum, quarum duæ temporum injuria exemptæ ſunt, & in Pameliana Operum S. Cypriani editione extant num. 46. & 48. Hæc ſunt genuina S. Cornelii Opera. Sed ſunt & alia, quæ ipſi tribuuntur, & tamen ſunt ſuppoſititia. Cujuſmodi ſunt: *Epiſtola de Translatione Corporum Apoſtolorum Petri & Pauli e Catacumbis*, quæ data eſt *ſeptimo idus Septembris Decio, & Maximo Viris Clariſſimis Coſs.* Altera Epiſtola ad *Rufum*, vel *Ruſticum* Coepiſcopum Orientalem miſſa XI. Kalend. Junii Maximo, & Decio Viris Clariſſimis Conſulibus data. Has duas Epiſtolas non eſſe Sancti Cornelii ex eo maxime evincitur, quod nullus, ſedente Cornelio, Decii, & Maximi fuerit Conſulatus, quo tamen notantur ambæ illæ Epiſtolæ. Præter duas illas Epiſtolas, quæ falſo tribuuntur S. Cornelio, alia eſt ſub ipſius nomine ſcripta Epiſtola, & ad *Lupicinum* Viennenſem Epiſcopum directa, quæ itidem ſuppoſititia eſt, & a notho Parente creata; cum nullus veterum, & probatæ fidei Scriptorum meminerit prædictæ Epiſtolæ tanquam germanæ S. Cornelii prolis.

S.Cornelio coævus fuit S.Cyprianus natione Afer, Patria Carthaginenſis, ita ingenio facili, jucundo, & ſuavi, teſte Lactantio cap. 1. lib. 5. Inſtitut. ut vix diſcerni poſſit, an ornatior in loquendo, vel in explicando facilior, aut in perſuadendo potentior quiſquam fuerit. Ethnicus primo quidem fuit Cyprianus, ſed ſuadente *Cæcilio*, a quo in-

de Cæ-

Digitized by Google

de *Cæcilius* cognominatus eſt, Chriſtianæ Religioni nomen dedit, mortuoque Donato, Carthaginenſis Epiſcopus & totius Africæ Primas ordinatus eſt anno Chriſti 248. ac pro Chriſto martyrium paſſus eſt ſub Valeriano Imperatore, ejuſque filio Gallieno anno Chriſti 258. Multa piiſſima Opera elegantiſſimæ phraſeos & Ciceroniano candori proximæ, in rem, & ædificationem Eccleſiæ edidit Sanctus Cyprianus. Complures tamen ſub nomine S. Cypriani circumferuntur libri, qui omnium eruditorum calculo vel dubii ſunt, vel omnino ſuppoſititii. Libri S. Cypriani dubii ſunt: *Libri de ſpectaculis. De Diſciplina, & bono pudicitiæ. De laude Martyrii ad Moyſem, & Maximum Confeſſores, & ad Novatianum. Duæ Orationes, una pro Martyribus, altera, quam dixiſſe fertur S. Cyprianus in die Paſſionis ſuæ.* Hæc, inquam, Opera S. Cypriani dubia eſſe colligunt viri eruditi poſt Eraſmum ex nonnulla ſtyli diſſimilitudine. Libri vero, qui falſo adſcribuntur S. Cypriano, ſunt iſti: *Liber de Cardinalibus operibus Chriſti. Liber de Aleatoribus. Liber de Montibus Sina, & Sion. Carmen inſcriptum Sodoma. Carmen aliud ad Senatorem Apoſtatam. Hymnus de Paſcha Domini. Liber de ſingularitate Clericorum. Expoſitio in Symbolum Apoſtolorum. Liber adverſus Judæos, qui inſecuti ſunt Chriſtum. Liber de Revelatione Capitis B. Joannis Baptiſtæ. Liber de duodecim Abuſionibus ſæculi. Liber de Cœna.* Hos libros viri eruditi, qui in ſecernendis genuinis SS. Patrum Operibus a ſpuriis, & adulterinis diu, multumque inſudarunt, S. Cypriano abjudicant. *Pontius* Diaconus, qui fuit tertii Eccleſiæ ſæculi Scriptor, S. Cypriani, cujus fuit individuus Comes uſque ad illius Martyrii diem, vitam conſcripſit, quæ præfixa eſt S. Cypriani Operibus in Editione Pameliana.

D. Habuitne Eccleſia Orientalis in tertio Chriſtiani nominis ſæculo Epiſcopos doctrina, & pietate conſpicuos, qui cum S. Cypriano conferri poſſint?

M. Habuit Eccleſia Orientalis multos in tertio ſæculo Epiſcopos, qui doctrina, & vitæ ſanctimonia floruerunt. Quos inter eminet S. Gregorius Epiſcopus Neocæſarienſis, & a magnitudine patratorum miraculorum *Thaumaturgus* appellatus, cujus genuina ſcripta hæc ſunt: *Panegyricus in Origenem*, cujus, dum eſſet Adoleſcens, auditor fuit, ab ejus tamen erroribus omnino immunis. *Metaphraſis in Eccleſiaſtem. Brevis expoſitio Fidei. Epiſtola Canonica*, & aliæ plures Epiſtolæ, quæ amplius non extant. Cætera Opera, quæ S. Gregorio Neocæſarienſi tribuuntur, ſunt ſuppoſititia. Eccleſiæ Orientali maximum itidem ſplendorem in tertio ſæculo contulit S. Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus, qui plures Epiſtolas ad ſanciendam diſciplinam, & ad profligandas id temporis emergentes Hæreſes ſcripſit, *Nepotem* aſſertorem erroris de terreno Chriſti cum Sanctis millenario Regno ſtrenue impugnavit, & Sabellium Hæreſiarcham damnavit. His duobus ſplendidiſſimis Eccleſiæ Orientalis luminibus addi poteſt *Firmilianus* Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus doctrina, & pietate inſignis, qui ad S. Cyprianum dedit Epiſtolam de Hæreticorum Baptiſma, in qua paulo acrius ex zelo, quamvis non ſecundum ſcientiam, invehitur in S. Stephanum Romanum Pontificem. Sed hæc vitę alioqui ſanctiſſimæ macula fuit, quam pœnitentia expunxit. Unde Firmilianum Sanctorum cultu celebrat Eccleſia Græca, ut videre eſt in Menologio ad diem 17. Octobris.

D. Hi ſunt igitur omnes Scriptores, qui in tertio ſæculo Eccleſiam ſuis ſcriptis illuſtrarunt.

M. Tres adhuc proferam tertii ſæculi Scriptores Eccleſiaſticos, quorum primus eſt *S. Dionyſius* Romanus Pontifex, qui contra Sabellianos ſcripſit Epiſtolam, cujus inſigne ſupereſt fragmentum apud S. Athanaſium in lib. de Synodi Nicænæ Decretis: aliæ autem Epiſtolæ, quæ S. Dionyſio adſcribuntur, ſuppoſititiæ ſunt. Alter Scriptor eſt *Pierius* Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter, & propter ſummam eruditionem atque ſermonum elegantiam *Origenes junior* nuncupatus. Multos in Scripturam Sacram edidit Commentarios, & Homilias. Tertius denique Scriptor eſt *Anatolius* Epiſcopus Laodicenus, qui librum *de Paſchate* conſcripſit, qui adhuc extat. Hic igitur, ſi placet, Colloquio noſtro de Scriptoribus, qui in tribus primis ſæculis Eccleſiam ſuis lucubrationibus illuſtrarunt, finem imponamus, ſitque iſtud proximi noſtri Colloquii, quod agitabimus, argumentum: quamnam videlicet doctrinam, diſciplinam, & moralem tenuerint, & obſervaverint tria priora Eccleſiæ ſæcula?

D. Neceſſarium profecto, & perutile proponis argumentum, mihique tam gratum erit, quam quod maxime, ſcire quam doctrinam, diſciplinam, & moralem habuerint Chriſtiani trium priorum Eccleſiæ ſæculorum? Te igitur hoc de argumento ediſſerentem craſtina luce lubenti animo auſcultabo, mihique in proponendis quæſtionibus, quæ ad perdiſcendam antiquitatem Eccleſiæ juvare poterunt, injuncto officio non defuturum me certiſſime promitto.

COLLOQUIUM VII.

De Doctrina, Diſciplina, & Morali trium priorum Eccleſiæ ſæculorum.

D. HActenus in deſcribenda hiſtoria trium priorum Eccleſiæ ſæculorum ſelecta argumenta, quæ juxta præſcriptum ordinem tractanda ſuſcepiſti, luculenta ſatis methodo, meumque ad captum accommodata digeſſiſti. Supereſt tamen, ad perfectum trium priorum ſæculorum aſſequendam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notitiam, ut modo ſummatim perſtringas Doctrinam, Diſciplinam, & Moralem Chriſtianorum, qui in tribus primis Eccleſiæ ſæculis vixerunt. His ſiquidem ſemel diſcuſſis, ac dilucidatis, quæ ad antiquitatem Eccleſiæ illuſtrandam maximi momenti eſſe nullus inficias ire poteſt, nihil amplius erit, quod ad plenam, & abſolutam trium priorum Eccleſiæ ſæculorum hiſtoriam deſiderari poſſit.

M. Antequam rem adgrediar, velim ſedulo advertas, doctrinam Eccleſiæ nulli vel minimæ mutationi poſſe eſſe obnoxiam, ſed inviolabili ſæcu-

Digitized by Google

lorum ſerie eamdem omnino integram, & illibatam a Chriſti Apoſtolorumque temporibus ad nos uſque jugiter fuiſſe conſervatam, nec ullo pacto unquam defecturam. Tam quippe impoſſibile eſt, ut vera deſinat Eccleſia, quam ut vera Eccleſia a doctrina, quam a Chriſto Domino accepit, ne latum quidem unguem deſciſcat. Ratio in promptu eſt. Quia ſi Eccleſia Fideles imbueret alia doctrina ab ea, quam Chriſtus Dominus tradidit, tunc non amplius vera eſſet Eccleſia. Doctrina igitur Eccleſiæ mediis, & poſtremis ſæculis æque ſincera, & incorrupta eſt ac in primis: nec timet ſortem, & conditionem rerum humanarum, videlicet rerum publicarum, legum & diſciplinarum, quæ, quo magis a ſua recedunt origine, eo etiam in dies pejus ruunt: ſed potius, ſicut eleganter ait *Vincentius Lirinenſis*, doctrina Eccleſiæ annis conſolidatur, dilatatur tempore, ſublimatur ætate, nihilque permutationis admittit, nulla proprietatis diſpendia, nullam definitionis ſuſtinet varietatem. Chriſtus itaque unicus omnium Gentium Doctor cæleſtem, quam e ſinu Patris æterni hauſerat, doctrinam ſuis Apoſtolis inſtillavit. Dein, Apoſtoli hanc Chriſti doctrinam per totum, qua late patet, Orbem diſſeminarunt, & fidei depoſitum cuſtodiendum omnibus, quas fundarunt, Eccleſiis concrediderunt. Poſtremo, eadem fidei doctrina ab Apoſtolis ſata, atque propagata omni ævo tum Scripturæ Sacræ, tum perpetuæ, ſibique ſemper conſtantis traditionis beneficio, inviolabilis & irreformabilis, ſicut loquitur Tertullianus, permanſit in Eccleſia, quæ eſt Columna & Firmamentum veritatis, & *cui*, ut ait idem Tertullianus, *nemo præſcribere poteſt, non ſpatia locorum, non intervalla temporum, non patrocinia perſonarum*. Verum quidem eſt, Eccleſiam, poſtquam prodierunt Hæreſes, majorem in myſteriorum explicatione adhibuiſſe ſollicitudinem, novaſque cœpiſſe uſurpare, & conſecrare voces, quæ ad proſcribendas exortas illas Hæreſes, & ad ſtabilienda fidei dogmata perquam appoſitæ, & neceſſariæ viſæ ſunt, ſed nihilo ſecius eadem fides, ſive ante, ſive poſt ortum Hæreſum ſtetit inconcuſſa, cui nihil plane additum, nihil detractum voluit Eccleſia depoſiti fidei pervigil cuſtos. Licet ergo doctrina Eccleſiæ acceperit progreſſu temporis evidentiam, lucem, ac diſtinctionem, ſemper tamen retinuit plenitudinem, integritatem, proprietatem. Hanc autem doctrinæ Eccleſiæ puritatem ne tantillum quidem labefactarunt, aut obſcurarunt hi errores, in quos quidam Scriptores, & antiqui trium priorum Eccleſiæ ſæculorum Patres proruperunt, quia nunquam Eccleſia ejuſmodi errores ſuo fovit aſſenſu, vel pravo illis ſavit ſilentio, ſed eos potius ſuo indeficienti judicio reprobavit, ſuoſque omni ætate habuit Doctores, qui in iſtos errores inſurrexerunt, & ſanam doctrinam, qua nihil antiquius habebant, acerrime tuiti ſunt. Id totum, quod hactenus dixi, facile perſpectum habere poteris ex doctrina primorum Chriſtianorum, quam hic compendioſe ſubnectam, quamque ſi cum hodierna Chriſtianorum doctrina conferre haud graveris, nullo negotio intelliges, ovum non eſſe ovo ſimilius, quam doctrina primorum Chriſtianorum ſimilis ſit præſenti Chriſtianorum doctrinæ.

At enim conſtanter docuerunt omnes primi Chriſtiani, Scripturam Sacram, & Traditionem certas eſſe doctrinæ noſtræ regulas, omniaque fidei noſtræ myſteria, quamvis rationi omnino impervia ſint, ſtabili tamen, firmaque fide eſſe credenda. Deum inviſibilem, æternum, immortalem, omniumque bonorum, & perfectionum fontem eſſe dixerunt. De illius providentia, quæ latiſſime ad omnia protenditur, de potentia, bonitate, juſtitia, & miſericordia frequenter juxta ac copioſe in ſuis ſcriptis diſſeruerunt. Falſa Ethnicorum Numina, necnon craſſos Hæreticorum plures Deos admittentium errores exploſerunt. Deum eſſe ſupremum rerum omnium Conditorem, ac ſubinde materiam non eſſe æternam invicte propugnarunt, Sacram Divinarum Perſonarum in unitate eſſentiæ Triadem, divinitatem, & æternitatem Verbi, & Spiritus Sancti pronis animis adorarunt. Verbum divinum ab æterno fuiſſe in Deo; & iſtum adſpectabilem Mundum per illud in tempore a Patre conditum eſſe, & gubernari crediderunt. Ejuſdem Verbi Divini Incarnationem profeſſi ſunt, & in Jeſu Chriſto, quem verum Deum, & hominem agnoverunt, duas prorſus diſtinctas naturas, divinam ſcilicet, & humanam, nexu tamen indiviſibili in unitate divinæ Perſonæ conjunctas admiſerunt. Chriſtum vera anima, veroque corpore in utero mundiſſimo Mariæ Virginis ſola Spiritus Sancti operatione compacto præditum fuiſſe aſſeruerunt, ac ſubinde illum vere paſſum, ac mortuum fuiſſe, ut Genus humanum primigenia Protoparentis labe perditum repararet, homines veritatis, & virtutis viam ſuo exemplo edoceret, illos e dira Diaboli captivitate ereptos in priſtinam Filiorum Dei libertatem morte ſua vindicaret, atque ad Inferos deſcendiſſe, & ad vitam propria virtute rediiſſe, denuo in extremo Judicio venturum poſt generalem corporum Reſurrectionem, ut ſuprema, qua pollebit, Judicis auctoritate palpitantes coram ſuo Tribunali reos æternis pœnis addicat, Juſtos vero interminabili gloria, ac perpetua felicitate donet. Hæc fuit conſtans primorum Chriſtianorum fides, quam omnes Orbis Eccleſiæ ab exordio acceperunt ab Apoſtolis, ſicut diſerte teſtantur Sancti Patres trium priorum Eccleſiæ ſæculorum, quorum Opera in ultimo Colloquio ad Criſim revocavimus. Nec minus pura, ac recta fuit circa alia dogmata primorum Chriſtianorum fides. Docuerunt ſiquidem, hominem e feliciſſimo innocentiæ ſtatu ſua culpa excidiſſe, & pœnam peccati, quo ſe, totamque ſui poſteritatem turpiter fœdavit, donis gratuitis ſpoliatum fuiſſe, & in ſtatu naturæ lapſæ ita elevatum, & ſauciatum liberum arbitrium retinuiſſe, ut niſi divinæ gratiæ ope adjuvetur, nullum opus bonum vitæ æternæ exerere valeat. Neceſſitatem Baptiſmi, ejuſque effectus comprobarunt. Virtutem, qua Spiritus Sanctus in Baptizatos per Sacramentum Confirmationis, quod ſtatim poſt Baptiſmum conferebatur, inviſibiliter illabitur, tribuerunt impoſitione manuum Epiſcoporum. Aſſeruerunt Eccleſiæ poteſtatem reconciliandi peccatores, eiſque, poſtquam

ſince-

ſinceram pœnitentiam peregiſſent, abſolutionis beneficium impertiendi, Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti vere, & realiter eſſe in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento nunquam in dubium revocarunt. Virginitatem ita laudarunt, ut tamen nuptias non improbarint. Martyribus debitum honorem detulerunt, & Beatiſſimam Virginem Mariam ſingulari veneratione ſunt proſecuti. Septem Sacramentorum numerum admiſerunt, ſicut colligitur ex unanimi Orientalis Schiſmaticæ, & Occidentalis Orthodoxæ Eccleſiæ conſenſione. Neque enim Orientales Schiſmatici cum Orthodoxis latinis in unam, eamdemque ſententiam circa ſeptem Sacramentorum numerum conſpirare potuiſſent, niſi illam ab antiquis, ſeu a primis Chriſtianis accepiſſent. Hæc eſt in ſumma primorum Chriſtianorum Fides, quam antiqui Patres, & trium priorum Eccleſiæ ſæculorum Scriptores Eccleſiaſtici in ſuis ſcriptis ſtabilierunt, inculcarunt, & adverſus Chriſtianæ Religionis hoſtes totis ingenii, & eloquentiæ viribus vindicarunt.

Hic tamen ſedulo advertas velim, antiquos Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos conſulto quædam Myſteria, & Fidei noſtræ dogmata, præſertim de Sanctiſſima Trinitate, de Sacro-ſancta Euchariſtia, & de aliis Sacramentis, oculis & auribus Gentilium, Judæorum, & Catechumenorum religioſe occultaſſe, quorum profanationem metuentes ab iis abſtinebant in ſermonibus, & ſibi cavebant, neque in ſcriptis ſuis de his agebant. Hinc Origenes lib. 1. contra Celſum, cum dixiſſet *Celſus* homo Ethnicus, & Chriſtiani nominis hoſtis, *Chriſtianos clam quidquid ipſis libet, vel facere, vel docere*, ſic ipſi reſpondet; *deinde, quoniam ſæpius nominat doctrinam clancułariam, coarguendum eſt hoc quoque: quando per totum Orbem notior eſt Chriſtianorum prædicatio, quam Philoſophorum placita. Quis Jeſum e Virgine natum, Crucifixum ignorat? quis Reſurrectionem ejus multis creditam, & denunciationem Judicii redituri pro dignitate pœnas Peccatoribus, & Juſtis præmia? Quin, & Reſurrectionis futuræ Myſterium vulgatum eſt, tametſi rideatur ab Infidelibus. Quæ cum ita ſe habeant, perabſurdum eſt doctrinam hanc vocare clancułariam. Quod vero quædam inſunt, quæ non annunciantur quibusvis, id non ſolius doctrinæ Chriſtianæ proprium eſt, verum etiam Philoſophicæ. Nam & illi exteriorem, & penitiorem doctrinam habebant, & alii Pythagoram audiebant contenti ipſius auctoritate. Alii ſecrete diſcebant rationes non evulgandas in prophanos, nondumque purgatos.* Enumerat Origenes dogmata, quæ palam prædicabantur, nimirum Incarnationis, Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti Domini, extremi Judicii, & Reſurrectionis noſtræ. At non loquitur de Sanctiſſimæ Triadis Myſterio, de Sacramento Euchariſtiæ, & de aliis Sacramentis, quod illa ex iis eſſent, quæ non quibuſvis communicabantur. Hinc eſt, quod in primis Eccleſiæ ſæculis Catholici Scriptores rarius, & obſcurius de Sacramentis ſcripſerint, neque de eorum numero recenſendo ſolliciti fuerint, quamvis tamen, ut mox dixi, ſeptenarium Sacramentorum numerum admitterent. Qua de re legeſis egregiam Diſſertationem *de Diſciplina Arcani*, quam edidit doctiſſimus *Schelſtratius*. (*a*)

„ (*a*) Ad aſſerendam magis magiſque arcani „ diſciplinam addere hic juvat, Eccleſiam eorum „ ſeculorum tam caute cuſtodire conſueviſſe ſa„cros libros, ut nonniſi fidelibus vendi permit„teret. Hinc Manes provideri ſibi volens de ſa„cris libris, diſcipulos ſuos clanculo miſit, ut ſi„mulata religione, quam profitebantur, Chri„ſtianos ſe mentirentur, eoque nomine ſacros co„dices emerent, & obtinerent. Narrat hæc Ar„chelaus in celebri diſputatione cum Manete, „ agens de iis, quos Manes ſummiſerat ad hos li„bros emendos: *Sumpto ergo aliquantulo auri mo„do abierunt ad loca, in quibus Chriſtianorum li„bri conſcribebantur, & ſimulantes ſe nuntios eſſe „ Chriſtianos rogabant præſtari ſibi libros ad com„parandum, & ut ne multa dicam comparant.*

D. Miram quidem in Myſteriis, & fidei Dogmatibus conſenſionem video veterem inter & præſentem Eccleſiam. Sed, ſi placet, craſſiori Minerva expone mihi id quod modo obiter inſinuaſti, videlicet antiquos Patres, & Scriptores trium priorum Eccleſiæ ſæculorum in aliquot impegiſſe errores, quos poſtea confixit Eccleſia. Id quippe mihi haud mediocrem ingerit difficultatem. Nam ſi errarunt antiqui Patres, licebit unicuique ipſis erroris, & hæreſis dicam ſcribere, ac ſubinde nutabit eorum in tradenda vera Eccleſiæ doctrina teſtimonium, quod tamen omnibus tam certum eſſe deberet, quam quod maxime.

M. Nihil plane derogatur authoritati antiquorum Patrum, dum dicitur, illos in aliquot lapſos fuiſſe errores, quos ea ætate necdum proſcripſerat Eccleſia, & quos ipſi citra pertinaciam propugnarunt; quamvis tamen ſiquis iſtos errores poſt ſolemne Eccleſiæ judicium poſtliminio revocare, & obſtinato animo vellet in præſentia defendere, omni proculdubio in apertam incurreret hæreſim. Hinc Vincentius Lirinenſis commonitorio 1. cap. 11. de rebaptizantium errore, ejuſque auctoribus & ſectatoribus ita ſcribit: *O rerum mira Converſio! Auctores ejuſdem opinionis Catholici, Conſectatores vero Hæretici judicantur. Abſolvuntur Magiſtri, condemnantur Diſcipuli.* Nulla igitur Hæreſeos nota inuri debet Patribus, & Scriptoribus trium Priorum Eccleſiæ ſæculorum, qui ante definitionem Eccleſiæ in aliquos errores prolapſi ſunt. Errare quippe humanum eſt, & exceptis ſolis Scriptoribus ſacris, qui inter ſcribendum Spiritu Sancto fuerunt afflati, atque ſpeciali ejus aſſiſtentia directi; nullum invenies, qui ſit ab omni nævo immunis. *Nemo*, inquit Melchior Canus lib. 7. de locis cap. 3. *quantumvis eruditus, & ſanctus, non interdum hallucinatur, non alicubi cæcutit, non quandoque labitur. Sanctus vero is fuit, qui credidit ab Hæreticis baptizatos eſſe rebaptizandos. Sanctus fuit, qui in Chriſti corpore & ſenſum pœnæ, & dolorem fuiſſe negavit. Sanctus fuit, qui in Chiliaſtarum dogma deſcendit. Sanctus fuit, qui viro ob adulterii culpam uxorem repudianti alterum matrimonium conceſſit. Sanctus fuit, qui animas piorum uſque ad Judicii diem veram felicitatem ademit. Sanctus fuit, qui animam Adæ*

ante

Digitized by Google

ante corpus editam opinatus eſt, *Sancti fuere*, *qui Angelos multis ante Mundum corporeum æternitatibus creatos eſſe exiſtimarunt*. Quid mirum igitur, ſi antiquis Patribus quantavis doctrina, & ſanctitate præditis nonnulli inter ſcribendum errores obrepſerint, cum nihil ſit ex omni parte beatum, nec aliquid tam felix, cui non ſint ſuæ additæ labes? Sol ipſe, quo nihil ſplendidius occurrit aſpectui, ſuas plerumque umbras, ſua patitur deliquia. Unde merito Baronius ad annum Chriſti 83. num. 223. ait: *Haud facile eſt invenire aliquem rerum Eccleſiaſticarum tractatorem*, *qui*, *quantumlibet titulo ſanctitatis*, *atque doctrinæ effulſerit*, *non ſit erroris alicujus arguendus*.

D. Si ita ſit, nihil profecto gratius, ac utilius mihi accidere poteſt, quam ſi velis hic obiter iſtos indicare errores, in quos lapſi ſunt antiqui Patres & Scriptores Eccleſiaſtici trium priorum Eccleſiæ ſæculorum, ne videlicet legendo illorum Opera a veri tramite deflectam, & lolium cum tritico promiſcue, ac temere confundam.

M. Hæretici, ut videre eſt apud Pſeudo-Miniſtrum Dallæum in duobus libris quos edidit *de vero uſu Patrum*, ſolent Sanctis Patribus, quorum authoritatem parvi faciunt, multos affingere errores, a quibus tamen vehementer alieni fuerunt. Aſt Catholici Doctores, licet vindicent Sanctos Patres a pluribus erroribus, quos ipſis Hæretici perperam impingere audent, ultro tamen fatentur, aliquot nævos & errores reperiri in ſcriptis Sanctorum Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum, ita ut, ſi quis aliter ſapit, inquit Melchior Canus loco mox a me laudato, nec ſanis conſiliis acquieſcit, hic non Sanctorum religione, ſed ſui ipſius amore capiatur, & ſub veterum nomine novas opiniones invehere conetur. Tuæ igitur utilitati ut proſpiciam, breviter hic nævos ſubjiciam & errores, quos in Operibus Patrum, & Scriptorum trium priorum Eccleſiæ ſæculorum Catholici Theologi obſervarunt.

In primis *Papias*, qui fuit Scriptor primi ſæculi, originem dedit errori de Millenario poſt Reſurrectionem in terris Chriſti cum Sanctis futuro Regno. *S. Juſtinus* præter illum errorem, qui ipſi cum Papia, & nonnullis aliis Patribus communis eſt, videlicet de Sanctorum beatitudine uſque ad ultimum Judicii diem procraſtinanda, & de Millenario in terris Chriſti Regno, ſenſit inſuper Apologia 1. cap. 44. Angelos prævaricatores conſuetudinem ſtupri cum mulieribus habuiſſe, & in hoc ſitum eſſe illorum peccatum. *S. Irenæus* ſuos itidem habuit nævos; nam præter fabulam de Millenario in terris Chriſti Regno, quam lib. 5. adverſus Hæreſes ſtabilivit, docet præterea lib. 2. cap. 39. Chriſtum Dominum ſuum prædicandi miniſterium exorſum fuiſſe, & Cruci eſſe affixum poſt quadrageſimum, aut quinquageſimum ætatis ſuæ annum, quod certe cum Evangelio minime quadrat. *Clemens Alexandrinus* non ſolum in hoc lapſus eſt, quod lib. 1. Stromatum ait Chriſtum uno tantum anno prædicaſſe, quæ ſententia minus Hiſtoriæ Evangelicæ conſona eſt, ſed etiam in hoc erravit, quod lib. 6. Stromatum aſſerit, Chriſtum ad Inferos deſcendiſſe, & ſua prædicatione eos ad fidem convertiſſe, qui apud Gentes Philoſophia duce, recte vixerunt: Quæ opinio ab errore excuſari non poteſt. Cl. tamen *Antonius Arnaldus* Doctor Sorbonicus in libro, quem gallice edidit: *de la neceſſitè de la foy en Jeſus Chriſt pour etre ſauvè*, S. Clementem Alexandrinum, ſicut & S. Juſtinum egregie vindicat ab illo errore, quem ipſis Caſaubonus, & Montacutius affingunt. *Tertullianus* præter Montani Hæreſim, quam amplexus eſt, multis ſeſe implicuit erroribus. Primo, in hoc turpiter erravit, quod Animam corpoream eſſe dixerit, eamque ex traduce fieri ſenſerit in libro, quem edidit, *de Anima*. Secundo, in hoc erravit, quod Juſtorum animas ante diem Judicii in Cælo recipi negaverit, & Regnum Chriſti per mille annos in terris poſt Reſurrectionem futurum aſſeruerit. Tertio, Hæreticos omnes rebaptizandos eſſe docuit Tertullianus, ſecundas nuptias, tanquam ſtupra damnavit, & fugam in perſecutione licitam eſſe negavit, alioſque profudit errores tam in libris, quos in Hæreſi, & contra Eccleſiam lucubravit, quam in libris, quos in gremio Eccleſiæ adhuc conſtitutus, & pro ejus defenſione conſcripſit. Quapropter, mirum non eſt, quod Gelaſius Papa in Concilio LXX. Epiſcoporum Romæ habito Opuſcula Tertulliani Apocrypha declaraverit, & quod S. Hieronymus hæretico Helvidio locum Tertulliani citanti, non aliter reſponderit, quam his verbis: *De Tertulliano non aliud dico*, *quam hominem Eccleſiæ non fuiſſe*. Idem judicium proferendum eſſe cenſeo de Origene, cui ab antiquis Scriptoribus multi tribuuntur errores. Primo quippe aſſerit lib. 1. *Periarchon*, ſeu *de Principiis*, Filium Dei Patre, & Spiritum Sanctum Filio eſſe minorem. Secundo, circumſcriptam, ac finitam eſſe Dei potentiam effutiit cap. 2. lib. 2. Periarchon. Tertio, docuit hominum animas ante corpora eſſe creatas & tunc fuiſſe cæleſtes virtutes, quæ deinde ob peccatum, quo ſe contaminarunt, animæ evaſerunt, quæ in corpora, velut in carceres quoſdam ſupplicii cauſa immiſſæ ſunt. Quarto, Animam Chriſti præextitiſſe itidem dixit, unitamque fuiſſe Verbo Divino ante Incarnationem, & Generationem ex Beata Virgine. Quinto, Chriſti Paſſionem Dæmonibus ipſis profuturam, quin, & Chriſtum Dominum in futuro ſæculo pro Dæmonibus, ſicut pro hominibus, crucifixum iri ſomniavit. Sexto, futuram aliquando Diaboli ſalutem, & Dæmonum, impiorumque hominum ſuppliciis finem tandem impoſitum iri affirmavit. Septimo, exiſtimavit, Animas Sanctorum a virtute ad vitium rurſus dilabi poſſe, quod cum fecerint, in craſſioris corporis carcerem eſſe detrudendas. Denique de reſurrectione corporum peſſime ſenſit Origenes. Ignem Inferni, ſicut & narrationem Moſaicam de Paradiſi Terreſtris conſitione ad ſenſum pure allegoricum detorſit. Aſtra eſſe animata putavit, & humani liberi arbitrii vires plus æquo extollendo, divinorum auxiliorum vim, & neceſſitatem ſuſtulit. Quo fit ut erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum præluſerit. Hæc tibi ſufficere debent ad detegendos nævos, & præcavendos errores, qui reperiuntur in Operibus Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui in tribus primis ſæculis ſlorue-

Digitized by Google

floruerunt. Nec enim neceſſe arbitror, te iterum monere, ut inter legendum Sancti Cypriani Opera abſtineas ab errore de rebaptizandis Hæreticis, quem S. ille Doctor cum Firmiliano, aliiſque Orientalibus Epiſcopis communem habuit, quemque damnavit Eccleſia, pro qua martyrium paſſus Sanctus Cyprianus labem hujus erroris ſuo ſanguine lavit.

D. Præclare quidem haſtenus doctrinam primorum Chriſtianorum expoſuiſti, & ex nævis, ſeu erroribus, in quos antiqui Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici lapſi ſunt, probe intelligo, illos maxima cum reverentia, ſed cum delectu tamen, & judicio a nobis eſſe legendos. Perge nunc, quæſo, eadem brevitate cum claritate conjuncta diſſerere de diſciplina, quæ tribus primis Eccleſiæ ſæculis obtinuit.

M. Non eadem eſt diſciplinæ & Eccleſiæ doctrinæ conditio. Doctrina quippe Eccleſiæ, ut mox diximus, nec temporum viciſſitudine, nec locorum diſtantia mutari poteſt, aut interpolari, ſed plane invariabilis jugiter perſeverat. At, verſa vice, non eadem ſemper viguit exterior in omnibus Eccleſiis Diſciplina, quia mutationi obnoxia eſt, & pro varietate temporum variare poteſt, quamvis ſpiritus Eccleſiæ in antiquæ obſervatione diſciplinæ idem perpetuo ſit, fixus plane & immobilis conſiſtat. Diſciplina, quæ in tribus primis Eccleſiæ ſæculis viguit, ſimplex erat, eique ſola Chriſtianorum pietas aliquem conciliabat ſplendorem. Sanctus Juſtinus in Apologia, quam ipſe Ethnicis Imperatoribus circa medium ſæculum ſecundum obtulit, diſciplinam, quam Chriſtiani, ſuo, ideſt, crudeliſſimo ſævientium perſecutionum tempore, ſuis in conventibus obſervabant, ſic deſcribit. Primo, Chriſtiani, inquit ille, *Synaxim agunt die qui Solis dicitur*, ſeu *Dominica*. Secundo, *omnes qui in Oppidis; vel Agris morantur, conveniunt in eundem locum*. Qui locus, cum necdum extructa eſſent Chriſtianorum Templa aut Eccleſiæ, domus quædam privata eſſe debebat. Tertio, coactis omnibus, *Commentaria Apoſtolorum, vel Prophetarum ſcripta leguntur*. Quarto, poſt lectionem Præſes de iis, quæ lecta fuerunt, ſermonem ad Populum habet: *Is, qui præeſt, admonet, & hortatur, ut ea, quæ lecta ſunt, bona imitemur*. Quinto, *ſermone facto, tum ſurgimus omnes, atque comprecamur*. Sexto, *ſub finem precum nos inter nos oſculo ſalutamus*. Septimo, *ei qui præpoſitus eſt fratribus, panis offertur, & poculum aquæ, & vino temperatum*. Octavo, *ex iis, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt, unuſquiſque participat, eademque ad eos, qui abſunt, Diacono dantur perferenda*. Deferveſcente perſecutione, primi Chriſtiani frequentiſſime, & ferme quotidie ſacra Euchariſtia paſcebantur, ſed vitam, moreſque ſuos ad omnem pietatem, & Evangelii normam ſummo ſtudio exigere ſatagebant, ut cæleſtem illum panem, qui eſt cibus grandium, mererentur cum fructu accipere. Poſt participatam Euchariſtiam, Criſtiani; qui convenerant, Pauperes ſimul & Divites, Agapas, ſeu convivia in Eccleſia agitabant. Infantibus etiam lactentibus adminiſtrabatur Euchariſtia, eorumque infundebatur ori Chriſti ſanguis de ſacro Calice. Dum graſſabantur perſecutiones, in manus Laicorum dari ſolebat ſacro-ſancta Euchariſtia, quibus liberum erat eamdem ad proprios lares deferre, & privatim aſſervare. Feſtos dies Paſchæ, Pentecoſtes & Natalis Domini magna cum ſolemnitate celebrabant primi Chriſtiani; diebus autem Dominicis a Paſchate uſque ad Pentecoſten Deum ſtantes orabant. Signum Crucis ſæpiſſime in fronte pingebant, dumque ſuas fundebant preces, faciem ad Orientem ut plurimum obvertebant, & hac de cauſa Eccleſiarum ſitus tum temporis ita diſponebantur, ut ad Orientem ſpectarent. Rarus erat in primis tribus Eccleſiæ ſæculis Imaginum uſus, tum quia in Chriſtianam Religionem exardeſcebat Gentilium furor, tum quia etiam plenis adhuc velis Gentilium erga Idola ferebatur ſuperſtitio, a qua Fidelium animos avocare neceſſe erat. Simplex, & abſque ullo ornatu erat hic locus, in quo primi Chriſtiani ſuos conventus agebant. Pro mortuis preces, & ſacrificia offerebant; Sanctis Martyribus, quorum precibus homines in terris apud Deum juvari non dubitabant, vota nuncupabant, eorumque martyrii, ſeu paſſionis diem cum ſingulari lætitiæ ſignificatione ſingulis annis recolebant, ut videre eſt in Actis primorum Martyrum editis a doctiſſimo *P. Ruinart* Congr. S. Mauri Benedictino.

Circa adminiſtrationem Baptiſmi hanc diſciplinam obſervabant primi Chriſtiani. In primis, Baptiſmi Candidati, ſeu aſpirantes ad Baptiſmum, qui *Catechumeni* dicebantur, in duplici erant differentia, *Audientium*, ſcilicet, & *Competentium*. *Audientes* appellabantur hi, quibus differebatur Baptiſmus, donec melius eſſent diſpoſiti, & plenius Myſteria Fidei edocti. *Competentes* erant illi, qui Presbyterorum cura jam ſufficienter myſteriorum notitia imbuti, ſcriptis eorum nominibus præparabantur pietati & bonorum operum exercitio ad Sacramentum ſuſcipiendum. Ad hos diriguntur S. Auguſtini ſermones. Secundo, Baptizandi ſacris undis ter immergebantur, cum invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, illiſque eædem pene adhibeantur cæremoniæ, quæ modo in Eccleſia ſunt uſitatæ, nimirum Catechiſmi, Exorciſmi, Inſufflationes, Unctiones Verticis, Scapularum, & Pectoris, impoſitio manuum Sacerdotis advocantis, & invitantis Spiritum Sanctum, quarum Cæremoniarum Myſteria exponunt antiqui Patres, præſertim Tertullianus in libro de Baptiſmo, & S. Cyrillus Heroſolymitanus in Catecheſibus. Tertio, lac, & mel guſtandum Baptizatis præbebatur. Quarto, tempora Baptiſmo, citra neceſſitatis caſus, præfinita erant Sabbatis, ſeu pervigiliis Paſchæ, & Pentecoſtes. Hos ritus circa adminiſtrationem Baptiſmi Eccleſia in tribus primis ſæculis obſervabat, ſed in eos, qui poſt ſuſceptum Baptiſma in aliquod grave, & publicum delictum erant prolapſi, ſevera diſciplina animadvertebat; illos ſiquidem in ordinem pœnitentium redigebat, diuturnis in pane, & aqua jejuniis, orationum frequentia, crebris vigiliis, omnium deliciarum abdica-

tione,

Digitized by Google

tione, aliiſque id genus aſperitatibus exercebat. Nuptias, convivia, balnea & hominum coogreſſus ipſis vetabat, neque ipſis arma deferre, aut militare permittebat, nec eis pacem, aut reconciliationem indulgebat, donec quatuot celebres claſſes, ſeu ſtationes fuiſſent emenſi.

D. Quid, amabo, ſibi volunt quatuor iſtæ claſſes, ſeu ſtationes, quibus, juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam, addicebantur illi, qui poſt ſuſceptum Baptiſma grave aliquod crimen commiſerant?

M. Veteres Patres, ſed præcipue Gregorius Neocæſarieoſis, & Baſilius Magnus in ſuis Pœnitent. Canonibus, quatuor publice Pœnitentium diſtinguunt ordines. Io primo degebant hi, qui *flentes* appellabantur, quique a ſoribus Eccleſiæ arcebantur, ut ad humum abjecti, ſub dio, aut ſaltem in veſtibulo, preces & lachrymas funderent, pullis induti veſtibus, cinere conſperſi, ſaccis, & ciliciis cooperti. Io ſecundo ordioe erant *Audientes*. Io tertio *proſtrati*. Et hi tam ſecundi, quam tertii ordinis Pœnitentes intra fores Eccleſiæ admittebantur, atque in ea parte navis verſabaotur, quæ *Narthex* dicebatur; ſed cum Catechumenis ante Miſſæ Offertotiom ſotas expellebantur. In ultimo Pœnitentium ordine erant *Conſiſtentes*, qui una cum fideli Populo ad finem uſque Sacrificii in Eccleſia perſtabant, Euchariſtica tamen Communiooe privabantur. Juxta igitur gravitatem criminis, quod quis poſt ſuſceptum Baptiſma patraverat, in his quatuor publice Pœniteotium ordinibus, ſeu claſſibus, aut ſtationibus pœnitentiam ſibi ab Eccleſia impoſitam peragere debebat. Exempli gratia, S. Baſilius in ſuis ad Amphilochium Canonibus præſcribit *Mœchis* annos Pœnitentiæ publicæ quindecim, quatuor oimirum in ordine *Flentium*; quinque io ordine *Audientium*; quatuot, in ordine *Proſtratorum*; reliquos duos, io ordine *Conſiſtentium*. Quo expleto publicæ pœnitentiæ annorum curſu, ad reconciliationem & Euchariſtiæ participationem admittebantur.

D. Terret me profecto tam ſevera antiquæ Eccleſiæ erga peccatores diſciplina, ſed an fuerit ubique obſervata, vel utrum tam dura iſta, ac laborioſa pœnitentia Clericis in aliquod grave delictum lapſis fuerit, perinde ac Laicis, impoſita? mox a te perdiſcere vehementer cupio.

M. Fuerunt quædam particulares Eccleſiæ, quæ rigidiorem erga lapſos diſciplinam ſectantes, his, qui, poſt Baptiſma ſuſceptum, in idololatriam, vel homicidium, aut adulterium inciderant, pacem, & communionem Eccleſiaſticam etiam in morte omnino denegabant; ſed remiſſa paulatim hac ſeveriore diſciplina, primo adulteris, & homicidis, deinde idololatriæ crimine reis pacem, & reconciliationem ſive in morte, ſive poſt decurſum præfixum publicæ pœnitentię ſtadium indulſerunt. Quod ſpectat pœnitentiam Clericorum, diſtinguendum eſt inter Clericos majores, ac minores. Majorum Clericorum nomine, Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi intelliguntur, & hi majores Clerici tribus ptioribus Eccleſiæ ſæculis publicę pœnitentiæ legibus ex Eccleſiæ diſciplina ſubditi erant, ſicut evincit doctiſſimus Joannes Morinus lib. 4. de Pœnitentia cap. 12. variis antiquotum Patrum, Tertulliani, Cyptiani, aliorumque locis. Poſt tertium vero Eccleſiæ ſæculum pęnitentia publica Clericis majoribus ex Eccleſiæ diſciplina non amplius ioiponebatur; ſi eam tamen pietatis & humilitatis ergo poſtularent, Eccleſia illos pęoitentię publicæ addicebat, vel eos in Monaſterio recludebat, ut toto vitæ ſuæ tempore pęnitentiam agerent, & laicalem dumtaxat Communionem ſuſciperent. Alios Clericos minores non ſecus ac Laicos pœnitentiæ publicæ fuiſſe addictos, conſtat ex bene multis Hiſtor. Eccleſiaſticæ monumentis, quæ hic adducere neceſſe oon eſt. Hi, qui aliquando pœnitentia publica perfuncti erant, Clericali Ordioi nunquam adſcribi poterant. Pœnitentia publica ſemel dumtaxat in vita concedebatur, unde illi, qui acta publice pœnitentia, in eadem, vel nova crimina relabebantur, ad quæ expianda publica pœnitentia opus eſſet, ſecundum Eccleſiæ leges publicæ pęnitentiæ non amplius ſubdebantut. Hæreticos, vel diſciplinę Eccleſiaſticę oſores, aut perturbatores, alioſque projectę conſcientiæ homines excommunicationis fulmine percellebat Eccleſia, & illis, qui per ſuos Epiſcopos a ſocietate Fidelium erant ſegregati, communionem ubique denegabat.

D. Quoniam de Clericis majoribus, ac minoribus ſermonem obiter injeciſti, vellem, ut uberius hic explicares, quinam eſſet in ptimis Eccleſię temporibus Eccleſiaſticorum Ordinum numerus? quam diſciplinam antiqua obſervaret Eccleſia circa electionem Miniſtrorum?, quęnam eſſent eotum officia, jura, privilegia, & pręrogativę? quando nam cœperit Monachorum, & ſacrarum Virginum inſtitutum? Poſtremo, quęnam jejunia obſervarent ptimi Chriſtiani?

M. De his omnibus fuſe juxta ac diſerte diſſerit Cl. Pater *Thomaſſinus* Congreg. Oratorii Presbyter in libris, quos edidit *de Eccleſiaſtica diſciplina*. Verum, quia forte ejuſmodi libros vel ad manum noo habes, vel eos legendi tibi non ſuppetit tempus, tem totam breviter ipſe conficiam. In primis, convenit inter omnes Theologos, Epiſcopatum, ſeu Presbyteratum & Diaconatum eſſe Sacramenta divinitus inſtituta, ac ſubinde ſacros illos Ordines jam inde a primis Eccleſiæ ſæculis invaluiſſe. Præter Ordinem Diaconorum, queis ſacrum miniſterium baptizandi, Evangelium legendi, & ſaoguinem Chriſti, Sacerdote abſente, aut jubente, populo diſpenſandi conceſſum erat; ioſtitutæ fuerunt in primis Eccleſiæ ſæculis *Diaconiſſæ*, quæ antequam annum ætatis ſuæ ſexageſimum attigiſſent, ad id muneris eligi non poterant, & quibus provincia inſtruendi fœminas ſacro Baptiſmi fonte abluendas erat præcipue demandata. De Subdiaconatus autem, & aliorum quatuot inferiorum Ordinum, ſcilicet Acolythatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Oſtiariatus inſtitutione, & antiquitate lis adhuc apud Theologos ſub Judice eſt, quam hic dirimere non eſt mei præſentis propoſiti. Tonſuram vero non eſſe Ordinem, ſed meram

præ-

Digitized by Google

præparationem, ſeu præluſoriam cæremoniam ad Ordines ſuſcipiendos ab Eccleſia inſtitutam concors eſt omnium Theologorum ſententia. In electione ſuorum Miniſtrorum Eccleſia in tribus prioribus ſæculis maxime ſatagebat, ut hi, qui moribus, & doctrina cæteris eminebant, præficerentur Eccleſiis, & in ſacris eorum Ordinationibus, & Electionibus neceſſarium eſſe judicabat plebis Chriſtianæ circa vitam, & mores cujuslibet ordinandi, vel eligendi Miniſtri teſtimonium, & conſenſum vel prævium, vel concomitantem, vel ſubſequentem. *Prævium* quidem, cum deſiderium ſuum de alicujus Clerici ordinatione, vel electione plebs Chriſtiana ſignificabat: *Concomitantem*, cum electioni præſens erat plebs Chriſtiana, & ſuffragabatur: *Subſequentem*, cum Epiſcopum ad ſe directum maxima veneratione, gratoque animo excipiebat. Epiſcopi, qui Presbyteris Superiores erant, ab aliis Epiſcopis per manuum impoſitionem inaugurabantur. Presbyteri vero per impoſitionem manuum Epiſcopi & Cleri conſecrabantur. Epiſcopi & Metropolitæ inſtituti ſunt ad normam, & partitionem veteris Imperii Romani. At enim, ut appoſite obſervat doctiſſimus *Petrus de Marca* Archiepiſcopus Pariſienſis lib. 4. *de Concord. Sacerd. & Imperii* cap. 1. §. 31. *Cum in Imperio Provinciæ contributa eſſent cuidam Civitati primariæ, quæ Metropolis dicebatur, apud quam Magiſtratus ſubjectorum cauſas judicabant, & quo propterea Populi frequentius conveniebant, quod ſingulari quodam jure Civitates a Matrice penderent. Apoſtoli itidem Epiſcopos in Civitatibus conſtituerunt, eo videlicet ordine, ut penderent ab Epiſcopo in Metropoli, ſive Urbe primaria.* In tribus autem majoribus Imperii Romani Civitatibus, videlicet Romæ, Alexandriæ, & Antiochiæ inſtitutæ ſunt tres potiſſimæ dignitates Eccleſiæ, & præcipuæ Sedes Patriarchicæ, quæ ſicut ampliſſima juriſdictione, ita & maximis privilegiis erant condecoratæ. Eccleſia tamen Romana omnium aliarum mater, a S. Petro fundata Principem locum, ſeu Primatum ex jure divino ſemper obtinuit, illiuſque Epiſcopus tamquam Vicarius Chriſti, caput viſibile Univerſalis Eccleſiæ, Doctor, & Paſtor omnium fidelium ſuam in tota Eccleſia juriſdictionem exercuit; ab aliis Orbis Chriſtiani Epiſcopis ſæpius conſulebatur, ejuſque reſponſa tum in doctrina, tum in diſciplina maxima cum veneratione excipiebantur. Conciliorum Generalium definitionibus, velut certiſſimis fidei regulis primi Chriſtiani obtemperabant, & illis, qui lata excommunicationis ſententia e gremio Eccleſiæ erant expulſi, nullum ad ſalutem æternam aditum patere poſſe conſtanter affirmabant. Presbyteri non habitu, ac veſte, ſed vitæ meritis, ac ſanctimonia a Laicis diſcernebantur. Gratis adminiſtrabant Sacramenta, nec Decimas exigebant, ſed illis perinde ac Epiſcopis ad vitam honeſte ſuſtentandam populus bona ſuppeditabat, quorum adminiſtratio erat penes Epiſcopum. Oblationes, quæ fiebant, in uſum pauperum cedebant. Paſtores in ſuis obeundis muniis vigilantiſſimi erant, & a grege ſibi commiſſo, nonniſi ægre, ac ſumma urgente neceſſitate divelli ſe patiebantur. Tranſlationum Epiſcoporum ab una ad aliam Eccleſiam pinguioris captandi beneficii, vel ambitionis fovendæ cauſa, ne minimum quidem in tribus primis Eccleſiæ ſæculis apparet veſtigium. Presbyteris in Eccleſia Græca licitum erat uxores, cum quibus ante ordinationem inierant matrimonium, retinere; ſed poſt ordinationem nuptiæ erant ipſis prohibitæ. Matrimonia coram Presbyteris celebrabantur. Quamvis Monachorum inſtitutum in tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis necdum cœpiſſet, non deerant tamen inter Chriſtianos cum mulieres, tum viri, qui ſive in Civitatibus, ſive in ſolitudine ab omni hominum ſocietate ſecreti vitam cœlibem degerent, auſteram, a terrenis curis expeditam, & ſoli Deo mancipatam. Fuerunt etiam in tertio Eccleſiæ ſæculo multæ puellæ, quæ Mundo nuncium plane remittentes perpetuæ virginitatis votum Deo nuncuparunt. Legem abſtinentiæ a ſuffocato, a ſanguine, & ab Idolothytis, necnon ante Paſchale jejunium, quod, juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam, erat quadraginta dierum ac veſpere tantummodo ſolvebatur, primi Chriſtiani ſumma religione obſervabant. Quarta, & ſexta feria, ſeu diebus Mercurii, & Veneris, fieri ſolebant Stationes, quibus annexum erat antiquitus jejunium, non publica quidem lege Eccleſiis omnibus indictum, ſed communi Fidelium uſu, ac pietate frequentatum. *Stationis* autem nomine intelligitur Religioſum Chriſtianorum officium, quo certis diebus ad Martyrum ſepulchra convenientes, atque ibi ſtatim ab exortu Solis orationibus, hortamentis, ſacrarum lectionum interpretationibus vacantes, & jejuni ad horam uſque nonam perſtabant. Hora autem nona poſt Euchariſtiam & pacis oſcula, conventus, & jejunia ſolvebant. Diebus Dominicis, & a Paſchate uſque ad Pentecoſten a jejunio primi Chriſtiani omnino abſtinebant. Corpora defunctorum non comburebant, ſed humo injecta contegebant. Hæc ſunt præcipua veteris diſciplinæ capita, quæ tribus primis Eccleſiæ ſæculis fuerunt a Chriſtianis accurate obſervata. (*a*)

„ (*a*) In recenſendis ritibus Chriſtianorum,
„ qui tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis Chriſtiano
„ nomine vivebant, conſulto vir iſte doctiſſimus
„ præterit ritus, & preces, quibus Sacerdotes ſa-
„ cris operabantur, neque enim ex idoneo ſatis
„ teſtimonio reſciri id poſſe fateor. Celebris eſt
„ quidem Sancti Gregorii Magni opinio cenſen-
„ tis ſola recitatione orationis Dominicæ, adje-
„ ctis verbis conſecrationis, liturgiam a primævis
„ illis Fidelibus perfici conſueviſſe. Vix mihi ta-
„ men perſuaderetur res tanta ſimplici adeo con-
„ fecta fuiſſe. Profecto in conferendo Baptiſmate ri-
„ tus, & quidem plures, ac myſticos adhibitos te-
„ ſtis eſt Tertullianus. Numquid Euchariſtia mi-
„ nor erat, ac inferior Baptiſmo? S. Juſtinus
„ Martyr, in Euchariſtiæ confectione preces ad-
„ junctas perhibet. Ex quibus evinci poſſet jam
„ tunc ſtatam aliquam Liturgiam extitiſſe; ac
„ ſane extitiſſe oporteret, ſi quæ vulgatæ ſunt ſub
„ Apoſtolorum nomine ſinceræ haberentur. Quam-

„ quam

Digitized by Google

„ quam vero , quæ ſub Petri , & Marci no-
„ mine extant ab eruditis nunc falſi arguan-
„ tur ; non ita tamen inter omnes conſtat de
„ Liturgia S. Jacobi , quam vetuſtiſſimam eſſe
„ plerique fatentur . Scio equidem nonnulla
„ in illa legi , quæ ætatem Apoſtolis inferiorem
„ præferunt . Sed hæc addi ſequentibus ſecu-
„ lis potuerunt , uti recentiori etiam ætate
„ nonnulla addita Liturgiis Pelagii , & S. Gre-
„ gorii ultro omnes recognoſcunt . Cur igitur &
„ ſucceſſu temporis accidere hoc pariter Liturgiæ
„ S. Jacobi non potuit?

D. Multa paucis complexus es , totamque diſciplinam Eccleſiæ , quæ tribus primis ſæculis viguit , delibaſti , ac dilucide explanaſti . Nunc ſupereſt , antequam Colloquio noſtro finem imponamus , ut Doctrinæ moralis , quam primitiva tenuit Eccleſia , ac primorum Chriſtianorum vitæ brevem hic deſcriptionem exhibeas.

M. Chriſtiana Religio, ſicut in doctrina ſibi a Chriſto Domino tradita, ita & in diſciplina morali, quam ſacrum præſcribit Evangelium, omnino invariabilis eſt , nec viciſſitudine temporum , aut varietate locorum mutari unquam poteſt . Hinc , quamvis omni ævo nonnulli fuerint Chriſtiani , qui vitiis indulgentes , mores ſuos ad normam Evangelii exigere non multum curaverint , nullus tamen inter illos in tota retro antiquitate temporum repertus eſt (ſi paucos excipias hæreticos , qui falſo Chriſtianorum nomine cenſentur) qui eo temeritatis proruperit , ut ſanctiſſimas Evangelicæ Moralis regulas convellere , aut labefactare præſumpſerit . Nulla igitur unquam in Eccleſia circa Ethices Chriſtianæ doctrinam orta eſt contentio , ſed ea potius præcipua primorum Chriſtianorum cura fuit , ac ſollicitudo , ut vitam Chriſti , in quo uno inſunt bene ac beate vivendi rationes , præ oculis ſemper haberent , & ad virtutis regulam proprios affectus componentes , divinam quamdam in ſe ipſis exprimerent vivendi formam , omnibus ſuis numeris abſolutæ probitatis , cæterarumque id genus Chriſtianarum virtutum præbentes exempla.

Dies profecto me deficeret, ſi hic congerere, atque ſingillatim explicare vellem omnia purioris Moralis Chriſtianæ principia , quæ Sancti Patres trium priorum Eccleſiæ ſæculorum paſſim in ſuis Operibus docent , & ad illorum praxim ſingulos fideles vehementer adhortantur. Pauca ex multis in præſentia ſeligam , quæ tamen ad Moralis Chriſtianæ commendationem abunde ſufficere poterunt . In primis , antiqui Patres non ſolum animabant Fideles ad obſervationem præceptorum Decalogi , ſed eorum etiam animos ad perfectiora adimplenda Chriſtianæ Moralis documenta incendebant , videlicet ad peragendum Deo gratiſſimum cordis Sacrificium , ad dilectionem Dei ſuper omnia , ſine qua nemo , quantocumque timore ſervili agatur , poteſt evadere juſtus : ad conſtantem omnium ſuppliciorum , quin & ipſius mortis tolerantiam , potius quam vel leviſſimam occaſionem darent , qua Religionem coram tyrannis ejerare , vel tantillum contemnere viderentur . Illos inſuper monebant , hoc præcipuum eſſe Chriſtiani officium , ut non putet ſe ſibi natum eſſe , ſibique vivere velit , ſed quidquid habet , aut eſt , Deo bonorum omnium auctori ferat acceptum , omniaque ſua bona omnibus exiſtimet eſſe communia ; ſingulis ex animo bene velit , bene precetur , bene faciat , neque noceat commeritis , ſed proſit immerentibus ; omnium commodis perinde ac ſuls adgratuletur, omnium incommodis , non ſecus quam ſuis, indoleat . Perſuadebant divitibus , ut abhorrerent a ſpectaculis , a comœdiis , ab inſanis , & illicitis voluptatibus , quæ æternis cruciatibus luendæ ſunt , & ut ſola conſcientia recti contenti , neque honores , neque opes , neque reliqua volubilis fortunæ commoda deſiderarent , ſed ſuas potius in pauperes opes profunderent , quæ alioqui ſarcinæ ſunt , quibus onuſti divites nec poſſunt per arctam viam Chriſtum nudum ſequi, nec per oſtium humile intrare in Regnum Cælorum . Hortabantur ſingulos Fideles , ut ſubvenirent oppreſſis , ſuccurrerent pupillis , infirmos ſolarentur , egenos ſublevarent, viduas protegerent , captivos propter Chriſtum in carceribus detentos frequenter viſitarent , Magiſtratibus, & Principibus ſubditi eſſent , & cum omnibus amore, manſuetudine , & beneficio certarent . Præcipiebant mulieribus , ut ſuos viros diligerent ; viris , ut ſuis itidem uxoribus mutuum rependerent amorem ; filiis , ut parentibus obedirent ; parentibus vero , ut ſuorum filiorum vitiis non indulgerent , ſed eorum animis jam inde ab incunabulis optimas opiniones , & ſanctiſſimas leges insererent, inſculperentque , propterea quod nihil vel altius inſidet animo , vel hæret tenacius , quam quod rudibus inditur annis . Commendabant impenſe omnibus Paſtoribus zelum , & charitatem erga Fideles , qui eorum curæ erant concrediti ; ac viciſſim ſingulis Fidelibus obedientiam , ac debitam erga ſuos Paſtores reverentiam imperabant . Uno verbo , antiqui Patres perfectiores legis Evangelicæ regulas cunctis Chriſtianis præſcribebant , & ut ad illarum normam , vitam , moreſque ſuos dirigerent, maximopere adnitebantur . Hinc eſt , quod hæc ſanctiſſima Chriſtianæ moralis Præcepta non in ore dumtaxat , vel in ſcriptis primorum Chriſtianorum relucerent , ſed in eorum vita , & actionibus expreſſa amorem , ac venerationem omnium ipſis conciliarent.

D. Siſte , precor , & auſculta tantiſper difficultatem , quæ meum ſubiit animum . Dicebas modo , ſi bene memini , Doctrinam moralem nulla viciſſitudine temporum , aut varietate locorum mutari unquam poſſe ; & tamen dum confero Doctrinam moralem hujus ætatis Theologorum cum ſcriptis antiquorum Patrum , & mores horumce temporum cum vita, & moribus primorum Chriſtianorum, quos mox graphice deſcripſiſti , longum , latumque diſcrimen invenio, facileque adducor , ut credam doctrinam moralem , quæ apud primos Chriſtianos obtinebat , jampridem evanuiſſe. Proh dolor! pullulant quotidie, fungorum inſtar, moderni Caſuiſtæ , qui

Digitized by Google

bonum dicunt malum & malum bonum ; dulce faciunt amarum & amarum dulce; lumen faciunt tenebras & tenebras lucem ; milleque diſtinctiones excogitant ad pulvillos conſuendos ſub cubitis hominum, & ad excuſandas excuſationes in peccatis. Qui poteſt tot inter corruptelas Ethica Chriſtiana avitam puritatem conſervare? Jam vero corruptiſſimos eſſe Chriſtianorum mores, heu nimium! experimur. Quando enim vera probitas deſpectior? quando ſic in pretio habitæ divitiæ undecumque partæ? quo unquam ſæculo luxus ſolutior? quando uſuræ, ſimoniæ, ſtupra, adulteria, cæteraque id genus crimina vel latius patuerunt, vel impunitiora fuerunt, vel minus in probro? non video igitur qua ratione dici poſſit, Moralem Chriſtianam invariabilem eſſe, quæ tamen poſtremis hiſce temporibus graviſſimam cladem, & tantum non integrum exterminium paſſa videtur.

M. Tentarunt, ſat ſcio, nihilque non moliti ſunt moderni quidam Caſuiſtæ, ut integritatem Moralis Chriſtianæ, fluxis, & ad quam volueris partem flexilibus regulis, corrumperent; ſed eorum conatus, artes, & machinæ ad nihilum reciderunt, & natalitiis tenebris damnatis eorum libris, qui erroribus ſcatebant, Chriſtianæ Moralis puritatem ſartam tectam conſervarunt Summi Pontifices, & Epiſcopi, præſertim Eccleſiæ Gallicanæ, quorum ſplendentem in illis, quas adverſus ſerpentes iſta laxitates vulgaverunt, cenſuris, doctrinam, vigorem, & eloquentiam tota poſteritas mirabitur. Quod ſpectat mores Chriſtianorum, fateor, multo majorem eſſe nunc turbam malorum, quam bonorum Chriſtianorum, ac ſubinde paucos eſſe Chriſtianos, qui vivant juxta præcepta Moralis Evangelicæ, quæ tamen ſancta, & integra, quaſi lilium inter ſpinas æternum permanebit, non ſecus ac ſanctitati, quæ veræ Eccleſię nota eſt, officere nunquam poterit flagitioſa multorum Chriſtianorum vita. Tu igitur, chariſſime Diſcipule, noli unquam in malis conformari huic ſæculo, ſed reformare in novitate ſenſus tui, ut probes non quæ vulgo ſequuntur homines, ſed quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Periculo proximus es, planeque labaſcis, ſi circumſpectare cęperis quid agant plerique, ſi captare quid ſentiant. Tu, cum ſis vitæ, ac lucis filius, ſine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos, & cęci cęcorum duces ſimul in foveam abeant. Chriſtus non dixit: *Ego ſum conſuetudo*, ſed: *Ego ſum veritas*. Cave ne unquam ab exemplari tuo Chriſto cordis oculos dimoveas. Non errabis, veritatis ductum ſequens: non impinges in tenebris, poſt lumen ambulans: hoc prælucente, ſi fucata bona a veris, ſanam, & genuinam doctrinam a falſa, & ſpuria ſecreveris, horrebis profecto, non imitaberis, nunquam ſequeris cęcitatem multitudinis, ſed ſecurus ac tutus purioris moralis Chriſtianæ præcepta jugiter obſervabis. Ad hanc regulam ſi ſtudia, & actus omnes tuos, ut par eſt, excuſſeris, nec a via recta aberrabis, neque rem ullam in vita aut facies, aut patieris, quæ non tibi vertatur in materiam pietatis. Hoc ſalutare conſilium fac ut animo tuo penitius infigas, dum interim ipſe Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ trium priorum ſæculorum coronidem imponam.

H I.

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIASTICA

IV. Eccleſiæ Sæculi.

Variis Colloquiis digeſta.

HIſtoriam quarti Eccleſiæ ſæculi ſex Colloquiis abſolvam. In primo, Statum Eccleſiæ exhibebo. In altero Schiſmata, & Hæreſes, quæ in quarto ſeculo in Eccleſia emerſerunt, recenſebo. In tertio, agam de Conciliis, quæ ad tollenda Schiſmata, configendaſque Hæreſes eodem in ſæculo variis locis celebrata ſunt. Quartum erit de Viris illuſtribus, qui in quarto Eocleſiæ ſæculo doctrina, vitæque ſanctimonia floruerunt; ibidemque eorum genuina Opera a dubiis, & adulterinis accurato Criterio ſecernam. In quinto, deſcribam ſeriem Epiſcoporum, qui hoc in ſæculo præcipuas Eccleſiæ Sedes occuparunt. In poſtremo, perſtringam Doctrinam, Diſciplinam, & Moralem Chriſtiauorum quarti Eccleſiæ ſæculi. His ſex Colloquiis abſolvam Hiſtoriam quarti ſæculi, in quo Eccleſia, dira, ſi qua unquam fuit, perſecutione, *Diocletiana* videlicet, & infeſtis Donatiſtarum, & Arianorum Hæreſibus exagitata, novam ſub Imperatoribus *Conſtantino*, & *Theodoſio* faciem induit, ac maximum ſuſcepit Diſciplinæ ſuæ incrementum.

Digitized by Google

COLLOQUIUM PRIMUM.

De ſtatu Eccleſiæ in quarto ſæculo.

D. QUo loco erant res Eccleſiæ in exordio quarti ſæculi?

M. A tempore *Gallieni* Imperatoris alta pace fruebatur Eccleſia. Chriſtianis quidem infenſus fuit *Aurelianus* Imperator, nullum tamen adverſus illos promulgavit Edictum, aut ſi quod publicavit, effectu omnino caruit, nec executioni mandatum eſt. Sub aliis Imperatoribus *Aureliani* ſucceſſoribus, *Tacito* videlicet, *Floriano*, *Probo*, *Caro*, *Carino*, *Numeriano*, pacis in ſinu quievit Eccleſia, quin etiam nulla fuit perſecutione turbata prioribus annis Imperii Diocletiani, qui anno Chriſti 284. ad Imperium evectus collegam ſibi adſcivit *Maximianum* dictum *Herculium* anno Chriſti 286. Diocletianum ſiquidem prioribus Imperii ſui annis faviſſe Chriſtianis teſtatur Euſebius lib. 8. Hiſt. Eccleſ. cap. 1. ubi quantam gloriam ante perſecutionem, quam movit Diocletianus anno vigeſimo Imperii ſui, hoc eſt, anno Chriſti CCCIII. Religio Chriſtiana conſecuta eſſet, indicans, ait: *Argumento eſſe poſſit imperatorum benignitas erga noſtros, quibus regendas etiam Provincias committebant, omni ſacrificandi metu eos liberantes ob ſingularem, qua in Religionem noſtram affecti erant, benevolentiam. Quid opus eſt dicere de iis, qui in Imperatorum palatiis verſabantur? Quid de Imperatoribus ipſis? qui domeſticis ſuis, eorumque uxoribus, liberis, ac ſervis, ea, quæ Religionis ſuæ erant, tam verbis, quam factis libere exequendi coram ſemetipſis poteſtatem dederunt, ipſis ob hanc fidei ſuæ libertatem gloriari, ac ſe oſtentare quodammodo permittentes.* Quibus verbis aperte innuit Euſebius, Chriſtianos ſub initia Imperii Diocletiani in tantum excreviſſe numerum, ut etiam uxores, liberi, ſervi, & domeſtici Imperatorum relictis idolis, Fidem Chriſti palam, ac libere profiterentur; jamque tum temporis majorem Imperii Romani partem, profligata Idololatria, ſubegiſſet Chriſtiana Religio.

Diocletianus, & Maximianus per aliquot annos Imperium Romanum ſoli gubernarunt, ſed cum a barbaris, & tyrannis, multiſque civium rebellionibus fœde laceraretur Imperium, neque tot turbis ſedandis duo Imperatores pares eſſent, creati ſunt duo Cæſares, ut tumultibus per diverſa loca excitatis, facilius a pluribus provideri poſſet. Hi duo electi Cæſares fuerunt *Conſtantius Chlorus* pater Conſtantini Magni, & *Galerius Maximianus* cognomento *Armentarius*, eo quod olim Paſtor fuiſſet.

D. Ægre adducor ut credam, univerſam Eccleſiam in prioribus annis Imperii Diocletiani pace in toto Imperio Romano potitam fuiſſe, maxime cum in quibuſdam Martyrologiis nuperrime legerim, bene multos Chriſtianos ſub initium Imperii Diocletiani martyrium in Galliis fuiſſe paſſos.

M. Crediderim ipſe, hanc pacem, qua Chriſtiani, juxta Euſebium, octodecim prioribus annis Imperii Diocletiani potiti ſunt, ſpectaſſe dumtaxat Chriſtianos, qui habitabant in Oriente, ſed non illos, qui in Occidente degebant. Legimus quippe, ut optime mox obſervaſti, in Martyrologiis nomina Chriſtianorum, qui in Galliis ſub Diocletiano mortem pro Chriſto oppetierunt, quorum certe martyrium referri non poteſt ad tempora illius perſecutionis, quam Diocletianus in Chriſtianos excitavit anno Chriſti 303. Tunc enim in Galliis imperabat *Conſtantinus Chlorus*, qui erga Chriſtianos cum eſſet bene affectus, non permiſit hanc a Diocletiano motam perſecutionem locum habere in Galliis, ſicut diſerte teſtantur Lactantius cap. 15. lib. de mortibus perſecutorum, & Euſebius cap. 13. lib. 8. Hiſt. Eccleſ. Præterea, *Maximianus*, a Diocletiano dictus Cæſar, venit in Gallias ante perſecutionem ab eodem Diocletiano motam anno 303. ibique Thebæorum legionem Diis ſacrificare detrectantem, adhortatore S. Mauritio, decimavit primo, mox totam concidit in Agauni loco, unde illi Sancti Martyres *Agaunenſes* ſunt dicti, quorum ſemper celeberrima fuit memoria in Eccleſia, ut oſtendit doctiſſimus *Ruinartus* in Actis ſinceris primorum Martyrum ex veteribus auctoribus, qui eos ſub Agaunenſium, a loco martyrii, vel legionis Thebeæ nomine appellarunt. Cum igitur in Galliis Maximianus ſæviret in Chriſtianos, antequam Diocletianus ſuam anno Chriſti 303. perſecutionem incepiſſet, neceſſario dicendum eſt, Chriſtianos in Galliis pace non fuiſſe potitos octodecim prioribus annis Imperii Diocletiani, ac proinde Martyres, qui in Galliis, Diocletiano, & Maximiano ſævientibus, paſſi dicuntur, martyrio affectos fuiſſe initio Imperii Diocletiani, quando videlicet Maximianus dictus *Herculius*, jam Cæſar miſſus eſt a Diocletiano in Gallias adverſus *Bagaudas*. Neque enim ulla antiqua Martyrum Acta reperire eſt, in quibus legatur viguiſſe in Galliis perſecutionem, quando Conſtantius Chlorus in his imperabat, tempore ſcilicet perſecutionis, quam movit Diocletianus anno Chriſti 303. Perſecutionem igitur, quam Diocletianus, & Maximianus

Her-

Herculius anno Chriſti 303. excitarunt, quædam præceſſerunt peculiares perſecutiones in Galliis, & in aliis Provinciis, Urbibuſque, præſertim Romæ, ubi *Sanctus Sebaſtianus* una cum multis Chriſtianis morti traditus eſt, & iſtæ peculiares perſecutiones, quæ primis Diocletiani, & Maximiani Herculei annis excitatæ ſunt, confundi minime debent cum illa perſecutione, quam iidem Imperatores anno Chriſti 303. concitaverunt. Quo fit, ut illa pax, quæ, juxta Euſebium, octodecim prioribus Imperii Diocletiani annis viguit in Eccleſia, ſpectet dumtaxat Chriſtianos, qui erant in Oriente, ſed non illos, qui in Occidentis partibus, velut in Galliis, habitabant.

D. Quo pacto, quave occaſione moveri cœpit hæc in Chriſtianos Diocletiani & Maximiani perſecutio?

M. Hanc perſecutionem adverſus Chriſtianos *Galerius Maximianus* a Militibus incepit anno Chriſti 298. ut non tantum Euſebius in Chronico de *Veturio* militiæ Magiſtro loquens, & in lib. 8. Hiſt. Eccleſ. cap. 1. & 4. ſed etiam Lactantius cap. 9. & 10. lib. *de mortibus Perſecutorum* diſerte teſtantur. Galerius ſiquidem Maximianus a Diocletiano miſſus contra *Narſeum* Perſarum Regem, qui ad occupandum Orientem magnis cum copiis inhiabat, victor cum præda, & manubiis ingentibus reverſus, tamque inſigni victoria elatus Chriſtianos perſequi cœpit, ad id potiſſimum inſtigatus pravis conſiliis matris ſuæ, mulieris admodum ſuperſtitioſæ, & Deorum Montium cultricis, quæ ob conceptum adverſus Chriſtianos pluſquam Vatinianum odium, muliebribus querelis filium ad illos penitus delendos inſtigabat. Galerius itaque Maximianus votis ſuæ matris obſecundans Chriſtianos e palatio ſuo, & e militia expulſos privavit officiis, & *Veturio* militiæ Magiſtro mandavit, ut in Chriſtianos acriter ſæviret, quod mandatum *Veturius* executus eſt anno Chriſti 298. Eodem itidem anno Diocletianus ira in Chriſtianos furens, juſſit, ut Diis ſacrificarent non ſolum hi Chriſtiani, qui ſacris miniſtrabant, ſed omnes, qui erant in palatio, & in eos, qui obedire nollent, verberibus animadverteretur, datiſque ad Præpoſitos litteris diſtricte præcepit, ut etiam milites Chriſtiani ad nefanda Deorum ſacrificia cogerentur, & qui non paruiſſent, militia ſolverentur: *Hactenus*, inquit Lactantius loco mox laudato, *furor Diocletiani, & ira proceſſit, nec amplius quidquam contra legem, aut Dei Religionem fecit. At poſtea, Diocletianus*, ut ibidem refert Lactantius, *interjecto aliquo tempore*, nempe quatuor annorum intervallo, *in Bithyniam venit hyematum*, in Urbem videlicet Nicomedienſem, quę Sedes Regia erat, ad quam ſub finem anni 302. ſe contulit, ibique univerſalem in Chriſtianos perſecutionem una cum Galerio Maximiano, poſt habitum inter ſe per totam hyemem conſilium, decrevit. Cœpit autem illa univerſalis Diocletiani perſecutio die XXIII. Februarii anni Chriſti 303. ſicut invicte demonſtrat doctiſſimus Valeſius in Notis ad lib. 8. Hiſt. Eccleſ. Euſebii. De illo Chriſtianæ Religioni funeſto die loquens Lactantius cap. 13. libri de mortibus Perſecutorum, quem modo præ manibus habeo, hæc ſcribit: *Ille dies primus lethi, primuſque malorum cauſa fuit. Repente adhuc dubia luce ad Eccleſiam* (Nicomedienſem) *profectus cum ducibus, & rationalibus venit, & revulſis foribus ſimulachrum Dei quæritur, ſcripturæ repertæ incenduntur, datur omnibus præda, rapitur, trepidatur, diſcurritur. Veniebant Prætoriani acie ſtructa cum ſecuribus, & aliis ferramentis, & immiſſi undique, tamen illud editiſſimum paucis horis ſolo adæquarunt. Poſtero die* (videlicet 24. Februarii) *propoſitum eſt Edictum, quo cavebatur, ut Religionis Chriſtianæ homines carerent omni honore, ac dignitate, tormentis ſubjecti eſſent, quocumque ordine, aut gradu venirent, adverſus omnes actio caleret, ipſi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere poſſent, libertatem denique ac vocem non haberent. Quod Edictum quidam Chriſtianus, etſi non recte, magno tamen animo diripuit, & conſcidit, cum irridens diceret victorias Gothorum, & Sarmatarum propoſitas, ſtatimque productus, non modo extortus, ſed etiam legitime coctus cum admirabili patientia, poſtremo exuſtus eſt.* Pergit Lactantius cap. 14. *Sed Cæſar* (Galerius Maximianus) *non contentus Edicti legibus, aliter Diocletianum aggredi parat. Nam, ut illum ad propoſitum crudeliſſimæ perſecutionis impelleret, occultis Miniſtris Palatio ſubjecit incendium, & cum pars quædam conflagraſſet, Chriſtiani arguebantur velut hoſtes publici, illos conſilio cum Eunuchis habito de extinguendis Principibus cogitaſſe, duos Imperatores domi ſuæ pene vivos eſſe combuſtos. Diocletianus vero ira inflammatus excarnificari omnes ſuos protinus præcepit. Sedebat ipſe, atque innocentes igne torrebat. Item Judices univerſi, omnes denique, qui erant in Palatio Magiſtri, data poteſtate, torquebant. Sed quindecim diebus interjectis aliud rurſus incendium molitus eſt, ſed celerius animadverſum, nec tamen auctor apparuit. Tunc Cæſar* (Galerius Maximianus) *media hyeme profectione parata prorupit, eodem die conteſtans fugere ſe ne vivus arderet.* Poſt diſceſſum Galerii Maximiani quanto furore in Chriſtianos debacchari cœperit Diocletianus, eleganter Lactantius cap. 15. ejuſdem libri deſcribit his verbis: *Furebat ergo Imperator* (Diocletianus) *jam non in domeſticos tantum, ſed in omnes, & primam omnium filiam Valeriam, conjugemque Priſcam ſacrificio pollui coegit. Potentiſſimi quondam Eunuchi necati, per quos Palatium & ipſe ante conſtabat. Comprehenſi Presbyteri, ac Miniſtri, & ſine ulla probatione ad confeſſionem damnati cum omnibus ſuis deducebantur. Omnis ſexus, & ætatis homines ad exuſtionem rapti. Nec ſinguli, quoniam tanta erat multitudo, & gregatim circumdato igne ambiebantur domeſtici, alligatis ad collum molaribus mari mergebantur. Nec minus in cæterum Populum violenter incubuit. Nam Judices per omnia Templa diſperſi univerſos ad ſacrificia cogebant. Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudita excogitabant, & ne cui temere jus diceretur, Aræ in Secretariis ac pro Tribunali poſitæ, ut litigatores prius ſacrificarent, atque ita cauſas ſuas dicerent. Jam litteræ ad Maximianum,*

atque Conſtantium commeaverant, ut eadem facerent. Et quidem ſenex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens. Nam Conſtantius, ne diſſentire a majoribus præceptis videretur, conventicula, ideſt, parietes, qui reſtitui poterant, dirui paſſus eſt; verum autem Dei Templum, quod eſt in hominibus, incolume ſervavit. Ex his Lactantii verbis liquido patet, perſecutionem, quam in Chriſtianos anno 303. movit Diocletianus, locum quidem non habuiſſe in Galliis, in quibus tum temporis imperabat Conſtantius Chlorus erga Chriſtianos optime affectus, ſæviiſſe tamen in totum pene Orbem, qui ſacro Martyrum cruore infectus eſt. Unde Sulpicius Severus lib. 2. Hiſt. ſacræ de hac Diocletiani perſecutione ſermonem habens ſic loquitur: *Certatim glorioſa in certamina ruebatur, multoque avidius tum Martyria glorioſis mortibus quærebantur, quam nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur.*

Anno Chriſti 305. Diocletianus, & Maximianus Herculius novo exemplo ſeſe Imperio abdicaverunt, & vitam privatam amplexi ſunt. Quo factum eſt, ut Conſtantius Chlorus, & Galerius Maximianus creati ſint Auguſti, iiſque adjuncti ſint duo Cæſares, ſcilicet *Valerius Severus*, & *Galerius Maximinus*. Hæc inexpectata Imperii mutatio afflictas res Eccleſiæ paululum erexit. Deferbuit quippe perſecutio in Italia, & in Africa, ſed in Oriente, & in aliis locis, in quibus Valerius Severus, & Galerius Maximinus imperabant, acrius recruduit, ob Edicta quæ promulgarunt adverſus Chriſtianos, qui Idola colere, vel carnibus, quæ Idolis oblatæ erant, veſci recuſarent. Hæc Maximini perſecutio, quæ ad annum uſque 312. quo Conſtantinus Magnus vicit in Ponte Milvio Maxentium, perduravit; lariſſime in Oriente graſſata eſt, ſed Palæſtinam inter alias Provincias miſerum in modum funeſtavit.

Conſtantio Chloro Imperatore VIII. Kal. Auguſti, ſeu 25. menſis Julii mortuo Eboraci, Conſtantinus ejus filius conſenſu omnium militum Cæſar dictus eſt. Maxentius quoque Maximiani Herculei filius poſt tres menſes elapſos, ideſt VI. Kal. Decembris, ſeu die 27. Octobris ejuſdem anni a Prætorianis acclamatus Imperator Italiam, & Romam invaſit, ſeque Conſtantini, dejectis illius ſtatuis, inimicum palam profeſſus eſt. Maxentius ſub initium Imperii ſui Chriſtianis favere viſus eſt, ut ſibi Populum Romanum demereretur, ſed tantum duravit fucatus ille amor, quantum utilis amanti judicatus eſt. Maximianus Herculius, qui una cum Diocletiano Imperium abjecerat anno 305. abjectum Imperii clavum reſumere tentavit, ſed detectis inſidiis, quas genero ſuo Conſtantino paraverat, quaſque Lactantius cap. 30. lib. de Mortibus perſecutorum deſcribit, Maſſiliam fugere compulſus eſt, ibique interceptus, ſtrangulatus periit anno 310. Valerius Severus occiſus eſt anno 307. eodemque anno Maximinus ſeſe Auguſtum dixit, & Galerius Maximianus *Licinium* Imperatorem creavit. Tot inter rerum viciſſitudines nulla fuit in Occidente perſecutio. Solus Maximinus in ſua ditione Chriſtianos vexavit, denique, *Galerius Maximianus* anno 311. perſecutionem Chriſtianorum edicto compreſſit, eiſque poteſtatem fecit ſacra, & conventus ſuos libere peragendi. Hoc edictum a Galerio Maximiano in gratiam Chriſtianorum emiſſum, & in omnibus Aſiæ Provinciis publicatum ſuppreſſit quidem Maximinus, ſed tamen per Sabinum Præfectum Prætorii ſui Provinciarum Syriæ, & Ægypti Præſidibus juſſit, ut a Chriſtianorum oppugnatione abſtinerent, & perſecutionem adverſus eoſdem inhiberent, ſicut narrat Euſebius lib. 9. Hiſt. Eccl. c. 1. ubi & epiſtolam ab eodem Sabino ad ſingularum Provinciarum Præſides ſcriptam refert. Mortuo Galerio Maximiano anno 311. Licinius, & Maximinus Provincias a Galerio Maximiano poſſeſſas partiti ſunt. Licinius principio inſenſum ſe Chriſtianis præbuit, ſed anno 312. *victo Maxentio, Imperator Conſtantinus, & Licinius Collega ejus uno conſenſu legem pro Chriſtianis abſolutiſſimam, & copioſiſſimam promulgarunt, partaeque de tyranno victoriæ nuncium ipſamque adeo legem ad Maximinum, qui in Orientis partibus etiam tum imperabat, ſeque ipſis amicum eſſe ſimulabat tranſmiſere*, inquit Euſebius lib. 9. Hiſt. Eccleſ. cap. 9. Quare Maximinus neceſſitate adactus ad Præſides Imperii ſui in gratiam Epiſcoporum epiſtolam ſcripſit, ejuſque mors, quæ accidit anno 313. finem perſecutioni impoſuit. Non convenit inter viros Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritos, an Imperator Licinius fuerit aliquando Chriſtianus? Cardinalis Norisius in Diſſertatione de Numiſmate Licinii c. 5. exiſtimat, Licinium nunquam Chriſtianæ Religioni nomen dediſſe, ſed Ethnicorum erroribus ſemper adhæſiſſe. Clariſſimus vero Pagius ad annum Chriſti 318. probat ex Sozomeno, & ex Euſebio, Licinium ante ultimum bellum, quod movit contra Conſtantinum, Chriſtianam Religionem fuiſſe profeſſum, quam, poſt acceptam cladem in priori bello contra eumdem Conſtantinum geſto, deſeruit, & ad cultum Deorum more majorum ſuorum rediit. Sed ut ut ſit de hac quæſtione, de qua nihil certi, mea quidem ſententia, pronunciari poteſt, conſtat Licinium, poſtquam pacem cum Conſtantino Chriſtianorum Protectore abrupiſſet, Eccleſiam fuiſſe perſecutum, Chriſtianos e ſuo Palatio repuliſſe, Templa ſolo æquaſſe, Epiſcopos & Sacerdotes, alioſque Eccleſiæ miniſtros graviter afflixiſſe. At Licinio anno 324. debellato, & anno ſequenti apud Theſſalonicam juſſu Conſtantini occiſo, totius Orbis Romani Imperium adeptus eſt Conſtantinus Magnus, & per eum ubique floruit Chriſtiana Religio.

D. Deſcribe nunc, quæſo te, ſtatum Eccleſiæ ſub Imperatore Conſtantino, per quem, ut dicis, ubique floruit, & incrementum ſuſcepit Chriſtiana Religio.

M. Flavius Valerius Conſtantinus Conſtantii Chlori, ex Helena filius, patriam habuit *Naiſſum* Oppidum Daciæ Mediterraneæ, nunc *Serviæ* dictæ. Quocirca, oppido falluntur hi, qui Conſtantinum ex Anglia, ſeu ex Britannia oriundum eſſe dictitant. Obſes apud Diocletianum & Galerium Maximianum in Bithynia detentus, ſub iiſdem ſtrenue in Aſia militavit Conſtantinus,

Digitized by Google

ſed mortuo patre Conſtantio Chloro Imperator acclamatus, Maxentio, qui Italiam invaſerat, bellum indixit, quod Lactantius cap. 44. lib. de Mortibus perſecutorum deſcribit his verbis: *Jam mota inter ipſos fuerant arma civilia, & quamvis ſe Maxentius Romæ contineret, quod reſponſum acceperat perituum ſe, ſi extra portas Urbis exiiſſet, tamen bellum per idoneos Duces gerebatur ------ Commonitus eſt in quiete Conſtantinus ut Cæleſte ſignum Dei, ſeu Crucem, notaret in ſcutis, atque ita prælium committeret. Fecit, ut juſſus eſt, & transverſa X. littera ſummo capite circumflexo Chriſto in ſcutis notat. Quo ſigno armatus Exercitus capit ferrum. Procedit hoſtis obviam ſine Imperatore, Pontemque tranſgreditur ------ Maxentius in ſpem victoriæ inductus procedit, in aciem venit. Pons a tergo ejus ſcinditur. Eo viſo pugna crudeſcit, & manus Dei ſupererat aciei. Maxentianus* (*Exercitus*) *proterretur, ipſe fugam verſus properat ad Pontem, qui interruptus erat, ac multitudine fugientium preſſus in Tyberim deturbatur.* Sic Conſtantinus animatus Crucis trophæo, quod, teſte Euſebio, viderat horis meridianis Sole in Occaſum vergente cum his verbis: *In hoc vince*, Maxentium in Ponte Milvio devicit, ac profligavit. Hanc partam inſignem victoriam Conſtantinus Magnus ſoli Chriſto Domino acceptam referens, nihil antiquius habuit, quam ut myſteriorum Chriſtianæ Religionis notitia imbueretur, eamque totis viribus defenderet, ac latiſſime propagaret. Multa tulit in gratiam Chriſtianorum Edicta, quibus ablatas Eccleſias eis reſtitui juſſit, plurima privilegia munificentiſſime conceſſit, & Chriſtianam Religionem palam in toto Imperio libereque exercendi ampliſſimam poteſtatem fecit. Omnes ſuos ſubditos e denſiſſimis, quibus erant immerſi, Idololatriæ tenebris ad ſplendidiſſimam Fidei Chriſtianæ lucem reducere maximopere ſtuduit. Deorum delubra vel obſerari, vel omnino deſtrui præcepit. Diei Dominicæ celebrationem in toto Imperio Romano edixit. Magnificentiſſimas extruxit Eccleſias, quas ſacra ſupellectili ornavit, atque locupletavit. Multis privilegiis & immunitatibus Clerum donavit. Debitam Epiſcopis auctoritatem aſſeruit, ac vindicavit. Ad componenda inter Chriſtianos enata diſſidia ſæpius arbiter fuit, & ne latius gliſcerent, quamprimum in Conciliis dirimenda curavit. Sepulchrum Chriſti Domini Hieroſolymis detegere meruit, ibidemque in ejus honorem & in oppido Bethleem Templum ſplendidiſſimum erexit. Helena religioſiſſima ejus mater Hieroſolyma pergens monumentum Domini luſtratura, Crucem, cui fuit affixus Chriſtus Servator noſter, infoſſam humi adinvenit, & miraculo detexit. Chriſtianos ad luſtrorum ſacrificia, quæ ab Ethnicis fieri ſolemne erat, compelli gravi pœna inhibuit Conſtantinus Magnus. Leges contra Hæreticos tulit, quibus eorum repreſſit audaciam. Verbo dicam, de Religione Chriſtiana adeo benemeritus eſt Conſtantinus, ut in externis Eccleſiæ negotiis titulum Antiſtitis ſibi optimo jure arrogaret. In hoc tamen, ne quid diſſimulem, culpandus venit Conſtantinus, quod ſub finem vitæ ſuæ plus æquo faverit Epiſcopis Arianis, quamvis ab errore Arii ſemper abhorruerit, quodque propediem moriturus Nicomediæ ab Euſebio illius Urbis Epiſcopo Ariano fuerit baptizatus, ut *Lambecius* in fine tomi 5. Bibliothecæ Cæſareæ, & *Papebrochius* in tom. 5. Actorum Sanctorum menſis Maji in vita Conſtantini Magni pluribus probarunt. Certe, præter Euſebium auctorem coævum, Socratem, Sozomenum, Hieronymum in Chronico, Patres Synodi Ariminenſis, alioſque antiquos Scriptores, Conſtantinum in ultimis conſtitutum baptizatum eſſe conceptis verbis aſſerit *S. Ambroſius* in funere Theodoſii Magni. Non clam me eſt, Baronium Eminentiſſimum Annalium parentem, alioſque plures contendere, Conſtantinum Magnum a Sylveſtro Papa anno 324. fuiſſe baptizatum, ſed quæcumque inter Conſtantinum Imperatorem & Sylveſtrum Papam interceſſiſſe ab illis Scriptoribus referuntur (ut baptizatio prædicta, donatio Romanæ Urbis eidem Pontifici, curatio Imperatoris a lepra per eumdem Pontificem, balneum ex infantium ſanguine, & alia id genus) adeo dubia peritis hujus temporis Criticis videntur, ut affirmare ipſe hiſtorice non audeam, ſed feliciori conſultationi veritatem eruendam relinquere ſatius eſſe ducam: mortuus eſt Conſtantinus Magnus die 22. Maji anni 337. ætatis ſuæ 63. cum a patris morte annos 31. Romanis rebus præfuiſſet. (*a*).

„ (*a*) Mihi profecto inſanire videntur ii, qui
„ politicis rationibus, ut Chriſtiana ſuſciperet,
„ inductum Conſtantinum opinantur, nempe quod
„ rebus ſuis melius ſeſe conſulturum cenſuerit, ſi
„ Chriſtianorum gentem, adeo in immenſum au-
„ ctam, ſibi demereretur, eamque rerum ſuarum
„ ſtudioſam efficeret. Idem enim, & melius for-
„ taſſe impetrare etiam potuiſſet, ſi retenta ve-
„ teri Religione, pacatum ſe tantummodo mi-
„ temque erga Chriſtianos exhibuiſſet. Nihil tunc
„ ſibi ab illis metuendum erat; habuiſſet illos ad
„ nutum obſequentes, nec verendum fuerat de
„ tumultu aliquo a gente, pacatiſſimam religio-
„ nem profeſſa. Quin & ex oppoſito res tunc
„ erat plena periculi Religionem novam, veteri
„ abjecta, profiteri in medio populi aſſueti ſacris
„ vetuſtis, quique ſæpe adeo tumultibus in Chri-
„ ſtianos excitatis Principes ſuos etiam nolentes
„ & invitos, ut arma in eoſdem Chriſtianos ca-
„ perent, coegerunt. Quantumvis Chriſtiani tunc
„ creviſſent, nonne tamen potior erat pars genti-
„ lium? Nonne urbes Imperii omnes Idola ſecta-
„ bantur, & cum religione ſua odium in Chri-
„ ſtianos ebiberant? Nunquid non Conſtantino plu-
„ res Paganorum ritus tolerandi fuerunt metu,
„ ne, iis vetitis, turbæ in Imperio excitarentur?
„ quid ergo ſibi timendum non fuerat, cum de
„ adjungendo ſeſe Chriſtianis cogitavit? Notant
„ Pagani quæ ſtudia eſſent Chriſtianorum, nem-
„ pe Idola deſtruendi, Crucifixum ritu puro & ſim-
„ plici colendi, ſublatis, imo deſtructis auguſtis
„ illis ſuperſtitioſis ritibus, quibus adeo populus
„ delectabatur, Hæc Conſtantinum, dum ſecum
„ conſultaret de religione, retrahere a Chriſtia-
„ nis potuerant potius, quam ad eos attrahere,
„ ſiquidem in religione amplectenda rationes

„ politicas, non vero celeſtes invitationes auſcul-
„ tare maluiſſet.

D. Fuirne poſt obitum Conſtantini Magni perturbata Eccleſiæ pax?

M. Conſtantini Magni tres filii, videlicet Conſtantinus, Conſtantius, & Conſtans, poſt mortem patris Imperium ita inter ſe partiti ſunt, ut *Conſtantinus* Gallias, & quidquid eſt extra Alpes, obtineret; *Conſtans* Romam, Italiam, Africam, Siciliam, ac reliquas Inſulas cum Illyrico, Macedonia, & Græcia regeret; *Conſtantius* denique Thraciam, Aſiam, Orientem cum Ægypto adminiſtraret. Hi tres Auguſti, cum eſſent Religione Chriſtiani, ſuo patrocinio Chriſtianam, quam profitebatur, Religionem foverunt. Sed Conſtantinus junior ditionem fratris ſui Conſtantis invadere volens occiſus eſt anno 340. *Zoſimus* tamen id ætatis Scriptor lib. 2. Conſtantini mortis cauſam refundit in Conſtantem illius fratrem, quem ait, triennio toto iracundiam in fratrem ob controverſiam de Italia, & Africa diſſimulaſſe; dumque fingit milites ad Conſtantium pro Bello Perſico mittere, Conſtantinum occidiſſe. *Conſtans*, occiſo fratre ſuo Conſtantino ſolus in Occidente imperavit, & Conſtantius illius frater in Oriente. Conſtans Imperator Occidentis fuit occiſus in Galliis a tyranno *Magnentio* anno 350. qui toto Occidente potitus eſt. Sed anno ſequenti Magnentius ad Urbem Murſam victus a Conſtantio; ex Italia cum paucis profugus evaſit in Galliam, ac tandem Lugduni ſibi necem intulit anno 353. tum Conſtantius totum Imperium Romanum ſolus moderari cœpit, & cum eſſet Arii errore infectus favit impenſe Arianis, Orthodoxos Epiſcopos perſequutus eſt, multaque coegit Concilia, quæ avitam de Verbi Divini conſubſtantialitate doctrinam in Concilio Niceno ſancitam reprobarunt, & hanc vocem ὁμοούσιον, quam velut Fidei Catholicæ teſſeram adverſus Arianos conſecrarant Patres Niceni, repudiarunt. Sub hoc Imperatore Ariana Hæreſis altas radices egit, & per totum pene Orbem inſtar cancri ſerpſit. Tandem, Conſtantius, poſtquam multa, eaque graviſſima Eccleſiæ damna intuliſſet, vitam cum morte commutavit anno 361. & ſub finem vitæ ſuæ ab Euzojo Antiochiæ Epiſcopo Ariano baptizatus eſt, ut teſtatur auctor Chronici Alexandrini.

D. Imperator, qui ſucceſſit Conſtantio, fuitne Arianus, aut Catholicus?

M. Nec Arianus, nec Catholicus fuit. Sed Imperator, qui ſucceſſit Conſtantio fuit *Julianus* Julii Conſtantii, & Baſilinæ filius vulgo *Apoſtata* cognominatus, quod Chriſtiana Religione publice ejurata, hoſtem ſe Chriſti, ac myſteriorum ejus infenſum exhibuit inimicum. Eo imperante Ethnicismus, qui ſub Conſtantino Magno, & Conſtantio pene fuerat extinctus, vires reſumpſit; Deorum antehac clauſa Templa fuerunt reſerata, nova extructa, & per totum Imperium renovatæ ſuperſtitioſæ Ethnicorum cæremoniæ, ad quas perfidus ille Imperator populum & eos, qui Magiſtratum gerebant, qua exemplo, qua ſuis adhortationibus, vehementer concitabat. Nullum quidem adverſus Chriſtianos publicum Edictum tulit Julianus Apoſtata, ſed ad illos exterminandos mille adhibuit nocendi artes. In primis, Catholicos Epiſcopos, qui ſub Conſtantio Imperatore Ariano in exilium amandati fuerant, revocavit, ut eos Arianis Epiſcopis opponeret, ſicque mutuis altercationibus ſeſe lacerarent, aut defatigarent. Dein, Chriſtianorum Antiſtites ad ſe in Palatium accerſivit, & cui quiſque vellet Sectæ juſſit adhæreſcere. Chriſtianos e ſuo Palatio expulit, honoribus, officiis, & dignitatibus privavit. Crucem in vexillis militaribus deinceps depingi vetuit. Urbes, quas Chriſtianis adverſari norat, favore ſuo, & patrocinio dignatus eſt; illis autem Civitatibus, quæ Chriſtianis favebant, infenſum ſe præbuit. Qua de cauſa male ſemper fuit affectus Julianus in populum Antiochenum, eo ſolo nomine, quod ſicut ipſemet fatetur in ſuo *Miſopogone*, quem contra Antiochenos ſcripſit, Populus Antiochenus ſectaretur impietatis Sectam (ſic impius ille Chriſtianam Religionem vocat) & Chriſtum, velut Civitaris Antiochenæ Numen tutelare coleret. Ad hæc, ut Chriſtianam Religionem, quam cane pejus, & angue oderat, facilius aboleret Julianus, Chriſtianis ſtudia litterarum omnino interdixit, privilegia Clero a Conſtantino Magno conceſſa abrogavit. Judæos reædificatione Templi Hieroſolymitani, quam fruſtra tentavit, ſibi promereri ſtuduit, ſed ne id faceret, Deus miraculo prohibuit, erumpentibus, e fundamentis ignibus, & apparentibus in Judæorum amictu Crucibus, quas nulla lotio potuit abluere. Perſecutiones, quas tam in Oriente, quam in Occidente Præfecti, vel populi in Chriſtianos excitabant, impune graſſari permiſit, nec eas compeſcere curavit. Denique, ſceleſtiſſimus ille Imperator animadvertens omnes ſuos ad opprimendam Religionem Chriſtianam conatus ad nihilum recidere, decrevit, dum ad Bellum Perſicum, quod ſuſceperat, ſeſe accingebat, omnes ad unum Chriſtianos internecione delere, ſi incolumis, & victor e prælio reverteretur. Sed ſpe ſua fruſtratus eſt, pœnas ipſius impietatis exigente Numine. Nam in prælio, quod cum Perſis conſeruit, telo lethaliter vulneratus eſt, dumque moreretur, ſanguinem manu hauſtum e vulnere in cælum jactans rabie, & furore percitus prorupit in hæc verba: *Viciſti Galilæe*. Chriſtum ſiquidem *Galilæum* per ludibrium appellitare ſolebat. Sunt tamen, qui poſt auctorem Chronici Alexandrini narrant, Julianum lancea divinitus fuiſſe transfixum a S. Mercurio Martyre, eoquod ſacrilegus ille Imperator S. Baſilium Selencentium Epiſcopum veneno extinxiſſet. Ut ut ſit, Julianus Apoſtata fœtidam animam expuit VI. Kal. Julias, nempe die vigeſima ſexta Junii anni 363. (*a*).

„ (*a*) Artem aliam, quæ hic non tangitur, ad-
„ hibuit Julianus, ut Chriſtianos deleret. Norat
„ foviſſe illos inter ſe ſimultates, & cum diſ-
„ ſidiis illis tollendis Chriſtiani ante illum Im-
„ peratores operam omnem dediſſent, actis in
„ exilium illis, qui fratres ſuos inique per-
„ ſequebantur, e re ſua cenſuit diſſidia illa fo-
„ vere, revocatis ab exilio iis qui vel fautores,
„ vel auctores vel ſaltem cauſa diſſidiorum extite-
„ rant. Ita factum eſſe cum S. Athanaſio conſtat,
„ cui

Digitized by Google

„ cui liberum reditum Alexandriam conceſſit , „ eo ſcilicet , ut opinor, conſilio, ut excitatum „ ejus cauſa Schiſma creſceret.

Juliano demortuo, Flavius *Jovianus* a militibus electus eſt Imperator. Fuit Princeps optimus, pius, Chriſtianorum amator, & dignus, qui diutius ob præclaras virtutes, quibus præditus erat, adminiſtraret Imperium. Sed prœmatura morte obiit in Oppido, cui nomen *Dadaſthanæ* inter Galatiam, & Bithyniam, ſeu ex cruditate ſtomachi, ſeu ex noxio halitu cubiculi, in quod recens calce illitum prunæ fuerant advectæ, anno 364. ætatis ſuæ 33. Imperii menſe octavo.

Flavius Valentinianus ex oppido Pannoniæ Cibala, Gratiani filius ſucceſſit Joviano die XXVI. Februarii ejuſdem anni, ac Valentem fratrem ſuum conſortem fecit Imperii. *Valens*, cui frater *Valentinianus* totum Orientem reliquit, Arianorum partes plurimum promovit, Orthodoxos Epiſcopos, qui ſub Conſtantio Imperatore exilio multati fuerant, iterum ſolum mutare coegit, & omnibus Catholicis funeſtum in Oriente bellum indixit. At verſa vice Catholici, qui erant in Occidente, ſumma pace ſub Imperio Valentiniani, ejuſque filiorum Gratiani, & Valentiniani junioris potiti ſunt. Denique, mortuo Valente Imperatore Ariano, pax in univerſa Eccleſia refloruit ſub Imperio *Theodoſii Magni*, ejuſque filiorum *Arcadii*, & *Honorii*, ac tam late in toto Imperio Romano propagata eſt Chriſtiana Religio, ut vix ullum id ætatis in eo relictum ſit antiqui Ethniciſmi veſtigium.

D. Fuitne Chriſtiana Religio apud barbaras Nationes, quæ ſitæ erant extra fines Imperii Romani, tam late in quarto Eccleſiæ ſæculo diffuſa, quam in toto Imperio Romano?

M. Quamvis nullus dubitem, quin Religio Chriſtiana citius in Imperium Romanum fuerit invecta, quam ad barbaras Nationes, quæ extra ditionem Imperii Romani ſitæ erant; facile tamen crediderim, viros Apoſtolicos longe ante quartum Eccleſiæ ſæculum Evangelii lumen ad barbaras illas Nationes intuliſſe. At enim S. Joannes primam ſuam epiſtolam direxit ad Parthos, unde colligitur jam tum temporis in Perſide fuiſſe Chriſtianos. *Bardeſanes*, qui in Meſopotamia ſub finem ſecundi ſæculi florebat, teſtatur, Chriſtianos ea ætate Parthorum, Medorum, & Perſarum regiones penetraſſe. Tertullianus tertii ſæculi Scriptor l. adverſus Judæos c. 7. ait, multas Inſulas plane ignotas, & loca Romanis inacceſſa Chriſto ſubdita fuiſſe. Sic enim loquitur: *Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ Nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca Chriſto vero ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & Provinciarum, & Inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare non poſſumus*. Jacobus Niſibenſis ineunte quarto ſæculo e Meſopotamia perrexit in Perſidem, ut Chriſtianos inviſeret, & Infideles Evangelii luce illuſtraret. Tempore Concilii Nicæni anno 325. celebrati, Chriſtiana Religio in Perſarum Imperio, & in Adiabenorum regione erat plurimum amplificata. Sed anno Chriſti 343. dira perſecutio adverſus Chriſtianos a *Sapore* Perſarum Rege excitata eſt, qua dirutæ ſunt Eccleſię, & ad mortem damnati quotquot Chriſtum colerent ſine ullo ætatis, vel ſexus diſcrimine. Sæviente hac atrociſſima perſecutione *Simeon* Seleuciæ & Cteſiphontis Epiſcopus martyrium paſſus eſt, & una cum ipſo innumerabilis Chriſtianorum multitudo cęſa. Sed cum in hac tumultuaria, & promiſcua Chriſtianorum cęde morti traditus eſſet *Azades*, qui erat Saporis Perſarum Regis Eunuchus chariſſimus, tantum ex ejus nece doloris hauſit ille Rex, ut deinceps neminem Chriſtianum plecti voluerit, præter legis Magiſtros, in quos tam crudeliter ſævitum eſt, ut bene multi Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Monachi, ſacræ Deo Virgines, aliique officiis Eccleſiæ addicti perierint. Duravit hæc perſecutio uſque ad Saporis Perſarum Regis mortem, quę contigit anno Chriſti 380. *Poſt Saporem Artaxerxes germanus frater, ut regni tum particeps, quatuor ubi regnans egiſſet annos, emoritur. Hujus filius Sapores & ipſe dictus, annos quinque regnavit. Totidem vero & geminatos, alteroque adjecto Saporis filius Varanes. Poſt hunc Iſdigertes filius ſuſcepit Principatum, qui & Magnus apud Romanos habetur, & celeberrimus*, ait Agathias Scriptor ſexti ſæculi l. 4. de Imperio & geſtis Juſtiniani n. 12. Hunc Iſdigertem, vel Iſdigerdem, qui anno 399. in Perſide regnare cępit, & quem Arcadius Romanorum Imperator anno 408. moriens filii ſui Theodoſii junioris tutorem inſtituit, Chriſtianis adfaviſſe & nullam adverſus ipſos perſecutionem moviſſe, affirmant quidem Scriptores. Sed falluntur. Nam licet, teſte Agathia l. mox laudato, Iſdigerdes Perſarum Rex, cum unum & viginti annos regnaſſet, nullum unquam adverſus Romanos bellum ſuſceperit, nec nulla eos affecerit moleſtia, ſed potius Theodoſio juniori, cujus erat tutor, Imperium conſervaverit: certum tamen eſt, hunc Iſdigerdem adverſus regni ſui Chriſtianos perſecutionem moviſſe anno Chriſti 314. uſque ad annum 420. quo e vivis exceſſit. *Vararanes* Iſdigerdi patri ſuccedens non ſolum perſecutionem adverſus Chriſtianos in Perſide commorantes jam excitatam continuavit, ſed etiam bellum in Romanos movit, a quo pater ipſius Iſdigerdes omnino abſtinuerat. Tandem Iſdigerdes II. qui Vararani patri anno 440. ſucceſſit, perſecutionem adhuc per quatuor annos continuavit, ac ſubinde hæc perſecutio, quam in Perſide contra Chriſtianos anno 414. Iſdigerdes I. movere cœpit, duravit per triginta annos, & ſub Iſdigerde II. circa annum 444. finem accepit. De hac Perſica perſecutione plura legi poſſunt in Critica Pagii ad annum Chriſti 408. 414. 420. & 440. (*a*)

„ (*a*) Juvat hic referre integrum Regis Saporis edictum in Chriſtianos latum, prout recitatur a Maruтha Epiſcopo Tagritenſi in Meſopotamia, prout ex Codice Syriaco refertur a Cl. Joſepho Simonio Aſſemani Biblioth. Orient. Tom. I. part. 1. p. 191. *Quicumque me amat*, *me-*

Digitized by Google

„ meumque regnum cupit, illud ſibi curandum in-
„ telligat, ut nullus Chriſtianus notus nomine in ſuis
„ finibus, aut ſua ſub ditione commoretur, quin ſo-
„ lem adoret, ignem, & aquam colat, atque animan-
„ tium cruorem comedat. Quicumque iſta facere de-
„ trectaverit, magiſtratibus traditus ex ipſorum ſen-
„ tentia torqueatur, & pereat.

In Aethiopia, ſeu in India citeriori circa annum Chriſti 327. Evangelium prædicarunt *Frumentius*, & *Ædeſius*, filii cujuſdam *Meropii* Philoſophi Tyrii, qui inſpiciendorum locorum, & Orbis perluſtrandi gratia Indiam adire voluit, habens ſecum duos puerulos, quorum junior erat *Ædeſius*, alter ætate major *Frumentius* vocabatur. Sed in reditu, cum ad portum quendam navis, qua vehebatur Meropius, applicuiſſet, a barbaris occiſus eſt, & duo ejus filii ad Regem ducti ſunt. Rex Aedeſium Pincernam ſuum fecit, & Frumentio rationes ſuas, ſcriniaque commiſit, morienſque uxorem ſuam cum puerulo filio regni hæredem reliquit: Rogavit utrumque Regina, ut ſecum, donec puer Regius adoleſceret, adminiſtrandi regni ſollicitudinem partirentur. Qua occaſione Frumentius bene uſus, negotiatores Romanos, qui Chriſtiani erant, monuit, ut conventicula per loca ſingula facerent, ipſeque aliquas conſtruxit Eccleſias, quo Chriſtiana Religio his in locis latius propagari poſſet. Frumentius & Aedeſius, poſtquam Regius puer adolevit, reverſi ſunt, & Frumentius Sanctum Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum monuit, ut jam plurimis Eccleſiis in his Regionibus extructis aliquem Epiſcopum illuc mitteret. Quare S. Athanaſius ad firmius ſtabiliendam, & conſervandam in India Fidem Chriſtianam, Frumentium Epiſcopum ordinatum illuc redire juſſit, & ſic per Frumentium Chriſtiana Religio in Indiæ partibus diſſeminata, atque propagata fuit.

Gothi, qui ex in inſula dicta *Scanzia*, ſeu *Scandinavia* oriundi in Germaniam irrumpentes ultra Danubium ſedes ſuas fixerant, Chriſtianæ Religionis jugo ſub finem tertii ſæculi colla ſubdiderunt. Unus ex Epiſcopis Gothorum gentis interfuit Concilio Nicæno primo. Verum cum apud Gothos plures eſſent Infideles, quam Chriſtiani, contigit, ut Gothi infideles e terris ſuis expellerent Chriſtianos, quibus Conſtantinus Magnus aliqua Imperii loca ad habitandum attribuit. *Valente* poſtea Imperatore, ortum eſt bellum Gothos, qui ad Orientem habitabant, & ob id *Oſtrogothi*, ideſt Orientales Gothi dicebantur, inter & Gothos, qui erant in Occidente, & qui *Wiſigothi*, ſeu Occidentales Gothi appellabantur. Wiſigothis præerat *Fridigernus*, ſeu *Fritigernes*, Oſtrogothos regebat *Athanaricus*, qui circa annum Chriſti 370. complures ſuorum ob Chriſti nomen crudeliter infeſtatus eſt, multos relegavit, multos neci dedit, qui pro Martyribus in Eccleſia celebrantur. Non potuit tamen Athanaricus omnes ſuæ gentis Chriſtianos exterminare, plurimi ſiquidem in Fidei Chriſtianæ profeſſione perſeverarunt: ſed *Ulphilas* illius gentis Epiſcopus Ariana hæreſi infectus peſtiferum Arii errorem Chriſtianis afflavit, quo factum eſt, ut Gothi in Arianæ hæreſis luto hæſerint, & avita fide relicta in errore deinceps fuerint obſirmati. De incremento, & propagatione Chriſtianæ Religionis apud alias barbaras Nationes in quarto Eccleſiæ ſæculo, cum nihil certi, ac comperti tradant Hiſtorici, nihil impræſentiarum mihi occurrit dicendum.

D. Dum de propagatione Chriſtianæ Religionis in quarto Eccleſiæ ſæculo ſermonem haberes, ſubiit animum difficultas, de qua viros eruditos inter ſe acriter diſputantes nuperrime vidi, quo tempore videlicet noſtratibus Gallis annunciari cœptum ſit Evangelium? aſſerebant quippe nonnulli, Eccleſias in Galliis dumtaxat fundatas eſſe tertio ſæculo, circa annum videlicet ducenteſimum quinquageſimum, paulo ante Decii & Grati Conſulatum. Exadverſo alii pertendebant, Religionem Chriſtianam ante tertium ſæculum, immo & ante ſecundum in Galliis ſatam ac ſtabilitam fuiſſe. Quid tu hac de re ſentias paucis aperire ne graveris.

M. Utroque pollice ſubſcribo ſententiæ illorum, qui Religionem Chriſtianam ante tertium ſæculum in Galliis ſtabilitam eſſe affirmant: At enim, præter Tertullianum, a me jam citatum, qui teſtatur, ſuo tempore, hoc eſt, tertio ſæculo, Evangelium per varias Galliarum Provincias promulgatum, fidemque a variis in eo Regno populis ſuſceptam fuiſſe; Sanctus etiam Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, qui anno circiter centeſimo nonageſimo florebat, id non obſcure tradit lib. 1. adverſus Hæreſes c. 31. ubi varias recenſens Eccleſias in quibus eadem traditio fidei viget, hæc habet: *Nam etſi in Mundo loquelæ diſſimiles, ſed tamen virtus traditionis una, & eadem eſt. Et neque hæ, quæ in Germania fundatæ ſunt Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ, quæ in Iberis ſunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Libya, neque hæ, quæ in medio Mundi ſunt conſtitutæ.* Fides igitur Chriſtiana jam tempore S. Irenæi per Gallias, quas *Celtarum* nomine deſignare voluit S. ille Pater, erat propagata. His duobus antiquis Scriptoribus adjungo S. Cyprianum, qui in Epiſtola 67. ad S. Stephanum Pontificem data anno 258. ipſum urget, ut ſcribat ad Galliarum Epiſcopos, ut Marcianum Arelatenſem Epiſcopum, qui ad Novatianum defecerat, ſua communione minime dignentur, ſed potius alium, ipſo exauctorato, Epiſcopum conſtituant: *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem litteræ, quibus abſtento Marciano, alius in locum ejus ſubſtituatur, ut Grex Chriſti in hodiernum ab illo diſſipatus, & vulneratus colligatur.* Quibus verbis liquet, tempore S. Cypriani non recens in Galliis fundatas eſſe Eccleſias, ſed jam diu floruiſſe ſuis Epiſcopis, & Romano Pontifici adunatas. Cæterum, an veræ ſint iſtæ traditiones, quibus multi adducuntur, ut credant, veniſſe in Gallias in primo Eccleſiæ ſæculo viros Apoſtolicos, & in variis illius Regni Provinciis Evangelium prædicaſſe, *Gratianum* videlicet Turonenſibus, *Trophimum* Arelatenſibus, *Paulum* Narbonenſibus, *Martialem* Lemovicenſibus, *Dionyſium Areopagitam* Pariſienſibus, *Saturninum* Toloſanis, *Lazarum*, &

Magda-

Digitized by Google

Magdalenam Maſſilienſibus, *Martham* Taraſconenſibus; has, inquam, traditiones, quæ circumferuntur, ſicut hiſtorice, ob multas, quæ occurrunt difficultates, veras eſſe affirmare non audeo, ſic ob gentis noſtræ gloriam, eas tanquam omnino falſas explodere, aut improbare non debeo. Sed potius libratis momentis, quæ in utramque partem hactenus adduxerunt viri eruditi, exiſtimo longe conſultius eſſe nihil palam dicere, aut ſcribere, quod piam majorum noſtrorum opinionem convellere poſſit. Quapropter huic Colloquio de ſtatu Eccleſiæ in quarto ſæculo finem impono.

COLLOQUIUM II.

De Schiſmatibus, & Hæreſibus, quæ in quarto Eccleſiæ ſæculo emerſerunt.

M. DUm ſpes affulgebat, fore ut Chriſtiana Religio, profligatis univerſo Romano Imperio Tyrannis, ſub Chriſtiano, & piiſſimo Principe Conſtantino ſumma, & diuturna pace potiretur, ecce ſubito, inſtigante Diabolo, diſcordiis inteſtinis & enatis hinc inde Hæreſibus diſcindi cœpit Eccleſia ab his, qui nomine Chriſtiano perperam gloriabantur. Duorum quippe turbinum procellis, videlicet Schiſmatibus Donatiſtarum, & Meletianorum ſub Conſtantino Magno concuſſa eſt, ejuſque doctrina a variis Hæreticis oppugnata, adeo ut optimo jure cum Propheta lamentari poſſet Eccleſia: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*.

D. Incipe, quæſo, a Donatiſtarum Schiſmate, ejuſque exordium, ac progreſſum breviter expone.

M. Schiſmatis Donatiſtarum Hiſtoriam ſcripſit *Optatus* Milevitanus Epiſcopus in libris adverſus Parmenianum Donatiſtam. Complures de eodem argumento libros, & epiſtolas edidit S. Auguſtinus. Extat etiam collatio Carthaginenſis cum Actis purgationis Cæciliani, atque *Felicis* Aptungitani Epiſcopi, ex quibus pleniſſima hauriri poteſt hujus Schiſmatis hiſtoriæ notitia. Nihilo ſecius tuæ utilitati ut conſulam, omnia ſummatim perſtringam, quæ ad exordium, atque progreſſum Donatiſtarum Schiſmatis ſpectant. Florebat in Africa ſub finem tertii ſæculi Chriſtiana Religio, quam motæ hac illac perſecutiones ſplendidiorem & anguſtiorem reddiderant, nedum abolere potuerant. At funeſta Imperatorum Diocletiani & Maximiani Herculei adverſus Chriſtianos Edicta anno 303. in Africa publicata, & eo furore executioni fuere mandata, ut Magiſtratus omni cruciatuum genere cogerent Chriſtianos ad tradendos ſacros Codices igne exurendos. Contigit autem, ut Chriſtiani, non ſolum inter Laicos, ſed etiam inter Clericos & Epiſcopos ſuppliciis fracti, vel quæſtionum, pœnarumque metu deterriti, libros & vaſa ſacra tradiderint, & ideo *Traditores* in Africa appellati. Quod ſemen Donatiſtarum Schiſmatis poſtea fuit. Fuerunt e diverſo alii Chriſtiani, qui zelo docti, ſed non ſecundum ſcientiam, palam & audacius, quam par eſſet, profeſſi ſunt, penes ſe habere libros ſacros, & Eccleſiæ ſupellectilia, ea tamen Ethnicis nullo pacto tradere velle: & iſti vitam in tormentis reliquerunt. Denique, alii Chriſtiani longe prudentius ſe gerentes, libros, & vaſa ſacra occultarunt, & ne in manu Gentilium venirent, omnem operam dederunt. Deſerveſcente anno 305. tam immani perſecutione, habita eſt *Cyrtæ* in Numidia Synodus Antiſtitum, ut in ea agitaretur cauſa *Traditorum*, ſeu eorum, qui obtemperantes Diocletiani & Maximiani Herculei edicto, divinos Codices, aliaſque res ſacras Magiſtratibus tradiderunt, aut Idolis thura adoleverant. *Secundus Tigiſitanus* Epiſcopus Numidiæ Primas huic Concilio præſuit, qui, poſtquam omnes ferme, qui aderant, Epiſcopos hujus criminis conviciſſet, ejuſdem ſceleris viciſſim accuſatus eſt a *Purpurio* Limatenſi Epiſcopo, qui reus erat necis filiorum ſororis ſuæ. Quapropter, cum omnes pene iſti Epiſcopi in eadem navi eſſent, & in eodem clivo inſudarent, ne in Eccleſia excitaretur Schiſma, *Secundo Tigiſitano* conſultius viſum eſt, ut hi, qui iſtius criminis erant accuſati, in communionem Eccleſiæ reciperentur, cauſa & judicio ſoli Deo cordium inſpectori relictis. Hujus Synodi Cyrtæ celebratæ & eorum omnium, quæ in ea geſta ſunt, meminit Sanctus Auguſtinus lib. 3. contra *Creſconium* capitibus 26. 27. & 28. Hæc, quæ hactenus retuli, præceſſerunt Donaſtitarum Schiſma, cui tandem initium dedit ordinatio *Majorini* in locum *Cæciliani* Carthaginenſis Epiſcopi, ſicut teſtantur S. Auguſtinus & Optatus Milevitanus. Sed quo anno contigerit ordinatio Majorini? non eſt levis difficultas. Baronius ordinationem Majorini, ac ſubinde Donatiſtarum Schiſmatis originem confert in annum Chriſti 306. Sed hanc Majorini ordinationem melius alii, mea quidem ſententia, referunt ad annum Chriſti 311. quo anno *Alexander*, qui in Africa tyrannidem anno 307. arripuerat & per quinquennium Chriſtianos vexavit, ideſt, uſque ad annum 311. fuit debellatus, a Maxentio, qui Chriſtianos in Africa pace donavit, ſicut diſerte aſſerit Optatus lib. 1. his verbis: *Iiſdem temporibus Felix quidem Diaconus, qui propter famoſam, neſcio quam, de tyranno Imperatore*, ideſt, de Alexandro, qui in Africa tyrannice imperabat, *tunc factam epiſtolam, appellatus eſt, periculum timens apud Menſurium Epiſcopum delituiſſe dicitur, quem cum poſtulatum Menſurius publice denegaret, relatio miſſa eſt, reſcriptum venit, ut ſi Menſurius Felicem Diaconum non reddidiſſet, ad Palatium dirigeretur. Conventus non leves patiebantur anguſtias. Erant enim Eccleſiæ ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec ſecum portare poterat. Quas fidelibus ſenioribus commendavit, commentario facto, quod cuidam aniculæ dediſſe legitur; itaut ſi ipſe non rediret, reddita pace Chriſtianis, anicula illi daret, quem in Epiſcopali Cathedra ſedentem inveniret. Profectus cauſam dixit. Juſſu eſt reverti Carthaginem: pervenire non potuit* (quia in via deceſſit) *tempeſtas perſecutionis peracta, & definita eſt. Jubente Deo, Indulgentiam*

mit-

Digitized by Google

mittente Maxentio, Chriſtianis libertas eſt reſtituta. Quibus verbis liquido patet rem illam geſtam eſſe ſub Alexandro Africæ tyranno, & pacem, de qua ibidem loquitur Optatus, eſſe illam pacem, quam Chriſtianis in Africa indulſit Maxentius, poſtquam anno Chriſti 311. Alexandrum Africæ tyrannum profligaſſet.

Perlata igitur anno 311. in Africam Maxentii indulgentia, qua libertas Chriſtianis reddebatur, de ſubſtituendo Epiſcopo in locum Menſurii Carthaginenſis Antiſtitis, qui, ut mox dixi, deceſſit in via, agi cœptum eſt, cumque Carthaginem conveniſſent vicinarum Urbium Epiſcopi ſeptuaginta, totius populi ſuffragio Cæcilianus electus eſt Carthaginenſis Epiſcopus & a Felice Aptungitano Epiſcopo ordinatus. At *Boſtrus*, & *Celeuſius*, qui Epiſcopatum Carthaginenſem ambierant, cum ſe ſpe ſua deluſos viderent, ac repulſam paſſos, adverſus Cæcilianum conjurare cœperunt, quorum factionem non ſolum promovit *Lucilla* potentiſſima fœmina (Cæciliano irata, quod ab eo, dum Menſurii Carthaginenſis Epiſcopi Archidiaconus eſſet, increpita eo nomine fuiſſet, quod ante communionem os neſcio cujus Martyris Sanctorum faſtis ab Eccleſia necdum adſcripti deoſcularetur) ſed etiam huic factioni vires haud parum addiderunt ſeniores plebis Catholicæ, quibus Menſurius ad Comitatum proficiſcens vaſa ſacra & ornamenta Eccleſiæ commendaverat, & quæ ipſi reddere nolebant. Scripſerunt itaque hi omnes ad Secundum Tigiſitanum Epiſcopum Numidiæ Primatem, obnixe petentes, ut cum reliquis Numidiæ Epiſcopis Carthaginem veniret. Votis eorum annuit Secundus, eoque ſe contulit cum reliquis Epiſcopis, qui Cirtenſi Concilio interfuerant, quos inter Donatus a caſis nigris, Dux & anteſignanus illius Donatiſtarum Factionis. Facto conciliabulo, Cæcilianum ad cauſam dicendam acciverunt; at Cæcilianus a plebe Catholica retentus ad iſtud malignantium Concilium non acceſſit. Quo factum eſt, ut illi Cæcilianum abſentem damnaverint, duo ei objicientes crimina; Primum, quod a *Traditoribus* fuiſſet ordinatus; Alterum, quod, cum eſſet Diaconus, victum afferri Martyribus in cuſtodia poſitis prohibuiſſet. Poſt hæc, in locum Cæciliani *Majorinum* Lucillæ ſupra laudatæ mulieris factioſiſſimæ domeſticum ordinarunt Carthaginenſem Epiſcopum. Quibus ad hunc modum confectis, litteras quaqua verſum per Africam miſerunt, quibus reliquos Epiſcopos adverſus Cæcilianum, ejuſque collegas a ſe damnatos incitarent, eoſque monerent, ut a Cæciliani ac ſociorum ejus, quos *Traditores* eſſe aſſerebant, communione ſe omnino ſepararent. Hoc fuit exordium nefarii Donatiſtarum Schiſmatis, quod ab ordinatione Majorini in locum Cæciliani incepit, univerſam poſtea Africam ſic occupavit, ut nec auctoritate Conſtantini Magni, nec jugi Epiſcoporum vigilantia, nec adhibita ſeveritate legum comprimi potuerit.

Non multo poſt ordinationem Majorini, a quo, ut mox dictum eſt, Donatiſtarum Schiſma ſumpſit exordium, Conſtantinus Magnus, ſuperato Maxentio, Italiam & Africam ſuo adjunxit Imperio, & confeſtim ad Cæcilianum, cujus integritatem plane norat, dedit epiſtolam humanitatis & benevolentiæ plenam, quam refert Euſebius lib. 10. Hiſt. Eccleſ. cap. 6. Scripſit etiam Conſtantinus ad *Anulinum* Africæ Proconſulem, cui Cæcilianum injuſte a Donatiſtis vexatum commendavit. Verum, nonnulli in Cæcilianum male affecti adjuncta ſibi populi multitudine, *Anulinum* adierunt, eique duos libellos porrexerunt, unum ſigillo munitum, qui ſuperſcriptus erat hoc modo: *Libellus Eccleſiæ Catholicæ criminum Cæciliani traditus a parte Majorini*; alterum, abſque ſigillo, in quo ab Imperatore judices in Galliis poſtulabant. Ut autem hæc Imperatori innoteſcerent, Anulinum rogarunt, ut hoſce libellos ad Principis comitatum mitteret. Quocirca Anulinus Imperatorem de his omnibus, miſſa ad eum relatione, quæ extat apud S. Auguſtinum epiſt. 68. juxta antiquum ordinem, certiorem fecit. Hanc Anulini relationem ubi recepiſſet Conſtantinus Imperator, judicem ad dirimendam hanc litem elegit Romanum Pontificem cum aliis Epiſcopis Italiæ, quibus addidit *Maternum* Agrippinæ, *Rheticium* Auguſtoduni & *Marinum* Arelates Epiſcopos, qui omnes Romæ anno 313. in domo Fauſtæ in Laterano congregati, poſt maturum & diuturnum cauſæ examen, Cæcilianum abſolverunt, & Donatiſtas, una cum eorum Principe Donato, damnavere. Sed ut facilius inter utramque partem iniri poſſet concordia, conceſſerunt Epiſcopis Donatiſtis, ut, ſi ad Cæciliani partes ſeſe adjungere vellent, in ſuo honore permanerent, & in locis, in quibus erant duo Epiſcopi, quorum unus a Cæciliano, alter a Majorino ſtaret, antiquitatis ordinationis ratio haberetur, iſque illius loci Epiſcopus conſtitueretur, qui in ordinatione antiquior eſſet; alteri autem Epiſcopo alia regenda provideretur Eccleſia. Huic judicio non obtemperarunt Donatiſtæ, ſed quietis impatientes repugnaverunt, omneſque conditiones pacis pertinaciſſime reſpuentes, tumultuari in Africa, novaſque cœperunt excitare turbas. Appellarunt quippe a Synodo Romana ſub Melchiade Papa habita, in qua fuerant damnati, proclamantes judicium in ea latum injuſtum eſſe, ſe paucorum illorum Epiſcoporum ſententiæ nullo pacto acquieſcere velle, & a Conſtantino Magno majus Epiſcoporum Concilium intra Gallias expoſtulare. Ægre quidem tulit Conſtantinus temeritatem Donatiſtarum, ſed ne illorum magis exaſperaret animos, Concilium tandem intra Gallias ipſis conceſſit. In Civitate itaque Arelatenſi anno 314. celebratum eſt Concilium, cui, ut ait S. Auguſtinus lib. 1. contra Parmenianum cap. 5. ducenti interfuerunt Epiſcopi. Baronius affirmat Conſtantinum interfuiſſe huic Concilio; negat vero Valeſius in Diſſertatione de Donatiſtarum Schiſmate cap. 9. Ipſe cum Cl. Pagio exiſtimo incertum eſſe, an Conſtantinus huic Concilio interfuerit. Donatiſtarum cauſa diu, multumque diſceptata eſt, & tandem ſecundum Cæcilianum, damnatis iterum Donatiſtis, dicta ſententia.

Circa hanc Synodum Arelatenſem contra Do-

natiſtas celebratam hæc vulgo ſolet moveri difficultas: Utrum videlicet nomine *Plenarii Concilii*, in quo quæſtio de Baptiſmo Hæreticorum finita eſt, Sanctus Auguſtinus prædictam Synodum Arelatenſem, vel Nicænam generalem intellexerit. *Joannes Launojus* exiſtimavit, Sanctum Auguſtinum *Plenarii Concilii* nomine voluiſſe indigitare Concilium Arelatenſe. Ex adverſo doctiſſimus Pater noſter *Joannes Nicolai* pro Concilio Generali Nicæno ſtat, ut videre eſt in eruditis opuſculis ab utroque hac de re editis. Sed nullus dubito, quin præferenda ſit ſententia Patris Nicolai, maxime cum S. Auguſtinus nomine *Plenarii Concilii* intelligat Concilium Oecumenicum totius Orbis, & univerſæ Eccleſiæ. Certum autem eſt Concilium Arelatenſe non fuiſſe Generale, totius Orbis, & univerſæ Eccleſiæ. Alioqui non ſibi conſtaret Sanctus Auguſtinus dum lib. 4. contra Creſconium, & pluribus aliis in locis ait, cauſam Cæciliani Orbi terrarum, aut ſaltem plurimis & nobiliſſimis Catholici Orbis Eccleſiis, fuiſſe incognitam, quod ſane oppido falſum eſt, ſi Concilium Arelatenſe, quo cauſa Cæciliani judicata eſt, fuiſſet Concilium totius Orbis, & univerſæ Eccleſiæ. Quod enim a totius Orbis, & univerſæ Eccleſiæ Epiſcopis in Concilio Plenario, ſeu Oecumenico confidentibus ſolemniter judicatum eſt, toti Orbi terrarum incognitum nemo recte dixerit. Nomine itaque Plenarii Concilii, in quo quæſtionem de Baptiſmo Hæreticorum finitam eſſe, ſæpius ſcribit S. Auguſtinus, Concilium Generale Nicænum celebratum anno 325. intelligendum eſt.

Diſcuſſa breviter hac difficultate, redeamus ad id, unde paululum digreſſi ſumus. Finito Arelatenſi Concilio, cum Donatiſtæ in eo damnati nihil præter moras & tergiverſationes, ſicut Hæreticis ſolemne eſt, quærentes, ad Imperatorem Conſtantinum denuo provocaſſent, Mediolanum anno 316. venire juſſi ſunt, ubi tanquam improbi calumniatores ab Imperatore rejecti ſunt, & innocens Cæcilianus declaratus, ſtatimque die 10. Novembris ejuſdem anni *Sabini* & *Rufini* Conſulatu inſignis Conſtantinus litteras ad *Eumalium* Africæ Vicarium dedit, quibus purgationem Cæciliani, ejuſque cauſæ a ſe judicatæ exitum ſignificat, ut videre eſt apud Sanctum Auguſtinum, lib. 3. contra Creſconium cap. 7. Mortuo Majorino, qui Sedem Carthaginenſem invaſerat, in ejus locum a Donatiſtis ſuffectus eſt quidam *Donatus* diverſus plane ab altero. Donato de Caſis nigris Epiſcopo in Numidia. Hic autem Donatus ſucceſſor Majorini ſuis ſcriptis Schiſma Donatiſtarum plurimum promovit. Sed cum Donatiſtæ omnibus modis Catholicos vexare, & laceſſere non deſiſterent, adeo ut Catholici de Donatiſtarum injuriis apud Magiſtratus frequentiſſime conquererentur, coactus eſt Conſtantinus legem contra Donatiſtas ſeveriſſimam ferre, qua cuncta loca, in quibus congregari ſolebant, fiſco vindicavit, ſicut ait S. Auguſtinus epiſtolis 68. & 165. juxta veterem ordinem, & in lib. 1. adverſus Petilianum cap. 92. Illius tamen legis rigorem Conſtantinus qui lenitate, & patientia præcipue delectabatur, poſtea emollivit. Quod in cauſa fuit, cur plerique Conſtantinum reprehendendum putarint, quod adverſus perduelles Donatiſtas nimis clementer ageret, ſicut optime obſervat doctiſſimus Valeſius cap. 10. Diſſertationis *de Donatiſtarum Schiſmate*. Poſt mortem Conſtantini Imperatoris, *Conſtans* ejus filius Africa potitus eſt, nihilque non egit, ut omni adhibita manſuetudine Donatiſtæ tandem aliquando reſipiſcerent, & relicto Schiſmate ad Eccleſiæ gremium reverterentur. Sed fruſtra. Nam ſeditioſi in pervicacia Schiſmatis perſeverarunt, tantumque abfuit, ut lenitate *Conſtantis* Imperatoris correcti ad unitatem, & concordiam Catholicæ communionis redirent, ut potius efferati novos tumultus contra Eccleſiam concitare cœperint. Quare ad refrænandam illorum petulantiam *Conſtans* paternæ pietatis hæres duos Legatos *Paulum* & *Macarium* viros clariſſimos in Africam miſit, quibus *Circumcelliones*, viri e Secta Donatiſtarum furioſi, & avidi ſui ſanguinis & alieni profundendi, facta manu, atque conglomerato agmine, dum totis viribus obſiſtere moliuntur, a militibus Proconſulis cæſi ſunt. Epiſcopi Schiſmatici timore perculſi fugerunt, alii in exilium fuerunt ablegati. Ceteri Donatiſtæ reconciliati, ſicque ſancita pax toto *Conſtantis* & *Conſtantii* Imperatorum tempore non fuit perturbata. Donatus obiit in exilio ante Imperium *Juliani* Apoſtatæ, eique circa annum 350. ſucceſſit *Parmenianus*. Cæcilianus vero e vivis exceſſit anno 348. eique ſucceſſit *Gratus*, & Grato *Reſtitutus* (*a*).

„ (*a*) Quamquam inſtantibus Donatianis lex a „ Juliano data eſt de reditu expulſorum propter factiones in religione excitatas quæ favit Donatiſtis, „ adhuc tamen generalis fuit pro omnibus exulare ea de cauſa coactis. Ex quo factum eſt, „ ut non minus Donatiſtis quam Catholicis profuerit. Eadem enim occaſione etiam S. Athanaſius Antiochiam rediit. En verba anonymi „ ſcriptoris a Cl. Maffejo evulgati: *methyr XIV.* „ (nempe die VIII. Februarii anni 362.) *datum eſt præceptum Gerontio Præfecto ejuſdem Juliani Imperatoris, nec non etiam Vicarii Modeſti præcipiens Epiſcopos omnes factionibus antehac circumventos & exiliatos reverti, ad ſuas Civitates & provincias. Hæ autem literæ ſequenti die methyr XV. propoſitæ ſunt: poſtmodum autem & Præfecti Gerontii edictum propoſitum eſt, per quod vocabatur Epiſcopus Athanaſius ad ſuam reverti Eccleſiam*. Ceterum ut de Donatiſtis aliquid addam, occaſione vexationis in eos commotæ cum Macarius in Numidiam venit, „ ejuſque mandato ſævitum eſt in illos, habitum „ eſt ab Epiſcopis Donatiſtis concilium, a quo „ ſolemnis Epiſcoporum miſſa legatio eſt ad „ eundem Macarium, ut eum ad miſerationem flecteret, ſimul tamen etiam ut Circumcelliones in ſchiſmate & hæreſi confirmaret. „ Memini ego hujus Concilii ex auctore Paſſionis Marculio. Vide Supplem. ad Concilia Labbei tom. 1. pag. 389.

D. Sic

D. Sic igitur finem habuit Donatiſtarum Schiſma?

M. Mortuo Imperatore Conſtantio, libellum ſupplicem Juliano Imperatori obtulerunt Donatiſtæ, quo priſtinam in libertatem reſtitui, ablataſque Eccleſias ſibi reddi poſtularunt, idque nullo negotio ab eo Apoſtata, qui inter Chriſtianos diſcordias ſerere, ac fovere ſtudebat, obtinuerunt. Quare audaciores facti Africam novis tumultibus perturbarunt, plures Eccleſias occuparunt, & maximam erga Catholicos ſævitiam exercuerunt, ſicut referunt *Optatus* lib. 2. pag. 52. & Sanctus Auguſtinus epiſt. 68. Contra Donatiſtas *Valentinianus*, & *Gratianus* Imperatores leges ad eos in ordinem redigendos publicarunt, ſed *Gildo* Comes, & utriuſque militiæ magiſter, qui teſte Claudiano *de bello Gildonico* tyrannidem in Africa arripuit anno 396. Donatiſtis impenſe favit, eiſque impune permiſit, ut in Catholicos graſſarentur. Mortuo autem Gildone anno 398. Imperator *Honorius* legem promulgavit, qua diſtricte prohibuit, ne Donatiſtæ ſævirent in Catholicos, & ad componenda diſſidia Catholicos inter & Hæreticos miſit in Africam *Marcellinum* Tribunum, qui anno 411. celebrem Carthagine collationem indixit, in qua poſt triduanam diſputationem Marcellinus pro Tribunali ſedens ſententiam protulit in gratiam Catholicorum, qui in ea inſignem de Donatiſtis reportarunt victoriam, eiſque Donatiſtarum addixit Eccleſias; Donatiſtis vero inhibuit, ne conventus deinceps agerent, & illorum Epiſcopis poteſtatem fecit proprios repetendi lares, ea tamen lege, ut abjecto Schiſmate, factique pœnitentes Catholicam Communionem amplecterentur. Hujus celebris Collationis Carthaginenſis Acta, quæ prolixiſſima ſunt, in compendium redegit Sanctus Auguſtinus, & *Breviculum Collationis* ipſemet appellavit. Verum quia Donatiſtæ hujus Collationis Acta variis mendaciis corrumpere conati ſunt, alium librum ſcripſit Sanctus Auguſtinus ad ipſos Donatiſtas Laicos, ne iis incautis ſui Epiſcopi ulterius fucum facerent. Hic S. Auguſt. liber hunc præfert titulum: *Poſt Collationem ad Donatiſtas*. Sententiæ a Marcellino in Collatione Carthaginenſi latæ cum obſtinati Donatiſtæ parere nollent, Imperator Honorius legem emiſit die 30. Januarii anni 412. quo metu bonorum proſcriptionis erga Laicos, & exilii erga Clericos & Epiſcopos ad Fidem Catholicam Donatiſtas traducere, eorumque pertinax inſtitutum frangere ſtuduit. Hac Imperatoris lege deterriti Donatiſtæ bene multi e Schiſmate reſilierunt, ſed alii in ſua pervicacia obſtinatiores in Catholicos in rabiem acti crudelius debacchati ſunt, ſed præcipue in Marcellinum, quem odio pluſquam Vatiniano proſequebantur. Hunc ſiquidem coram *Marino*, qui Rempublicam ab *Herculiano* Africæ Tyranno liberaverat, accuſarunt, quaſi a partibus illius Tyranni ſtetiſſet. Hinc juſſu Marini anno 413. Marcellinus de Catholicis optime meritus capite plexus occubuit, cujus Elogium pangit Sanctus Auguſtinus in Epiſtola CLI. alias CCLIX. quam direxit ad Cæcilianum Africæ Præſidem. Nihil tamen Donatiſtis profuit Marcellini mors. Nam Honorius Imperator, ut famam Marcellini vindicaret, legem dedit anno 414. in qua Marcellinum *ſpectabilis memoriæ virum* appellat, geſta etiam ejus contra Donatiſtas confirmat, & decem pœnis in Africa Proconſulari, cui tum *Julianus* Proconſul, ad quem lex directa eſt, præerat, Donatiſtas ſubjici jubet. Miſit etiam Honorius in Africam *Dulcitium* Tribunum, qui Laicis Donatiſtis pecuniæ mulctam imponendo, Clericis vero, & Epiſcopis exilii pœnam indicendo, hanc Sectam ferme penitus evertit. Legibus contra Donatiſtas ab Imperatoribus latis novum robur addidit Theodoſius junior Imperator anno 428. Sed non multo poſt Wandali in Africam irrumpentes, eaque potiti, in Catholicos, & in Donatiſtas promiſcue furorem ſuum exacuerunt. Necdum tamen extinctum eſt Donatiſtarum Schiſma. Nam ſub finem ſexti ſæculi, quo Clavum Eccleſiæ regebat Gregorius M. ideſt, annis fere trecentis ab ordinatione Majorini, Schiſma Donatiſtarum adhuc per Africam vigebat, ſicut docet Sanctiſſimus ille Pontifex lib. 1. epiſt. 75. ad Epiſcopos Numidiæ. lib. 2. epiſt. 33. lib. 3. epiſt. 32. & 35. & lib. 5. epiſt. 36. & 61. Eodem ſexto ſæculo *Mauritius* Imperator Edicta contra Donatiſtas publicavit, quæ tamen executioni non fuiſſe tradita conqueſti ſunt Orthodoxi Africanæ Eccleſiæ Epiſcopi.

D. Cedo, ſi placet, Donatiſtarum errores. Hactenus ſiquidem illorum Schiſmatis originem, ac progreſſum dilucide expoſuiſti, nullam tamen errorum, quos diſſeminarunt, mentionem feciſti.

M. Donatiſtæ nullum dogma, quod fidei in Symbolo expreſſæ eſſet directe oppoſitum docuerunt. Sed temere aſſerebant, diffuſam toto Orbe Eccleſiam, eo quod cum Cæciliano communicaret, corruptam defeciſſe, ac penitus periiſſe, veramque Eccleſiam in ſola Africæ Donati parte remanſiſſe. Hinc effutiebant, in ſola ſua Eccleſia verum eſſe Baptiſma, alibi nullum. Unde Catholicos, qui ad eorum Sectam veniebant, novo Baptiſmate tingebant, Euchariſtiam, ceu rem omnino prophanam pedibus conculcabant, canibus projiciebant, & Sacrum Chriſma effundebant, uti refert Optatus Milevitanus l. 2. p. 55. Conſecrationes, & unctiones, & ordinationes factas a Catholicis, quos impuros, & ſpurios meretricis Eccleſię Miniſtros appellabant, nullas, & invalidas eſſe pertendebant. Catholicorum Altaria evertebant, comburebant, conſpurcabant, aut ſacrilego ritu rodebant, quod ſacrificia ab illis oblata autumarent eſſe impura. Eorum calices confringebant, codices, pallas, & vaſa ſacra per vim extorquebant, & illorum Communionem averſabantur. Sacras Virgines, quæ in Catholica Eccleſia vota emiſerant, ad ſecundam profeſſionem cogebant, poſtquam illas penitentię ſubjeciſſent, ſicut ſcribit idem Optatus lib. 6. pag. 94. 95. & ſeq. Monachorum Inſtituti hoſtes erant infenſiſſimi Donatiſtę, quos ideo Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 132. carpit his verbis: *Merito illis diſplicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum Fratribus, ſed ſequentes Donatum, Chriſtum dimiſerunt.* Poſtremo, Donatiſtę affirmabant, ſolos bonos in Eccleſia eſſe, malos vero ab illius ſinu omnino arcebant. Hos Donatiſta-

rum

Digitized by Google

rum errores multis libris ſolide confutavit S. Auguſtinus.

D. Fueruntne Donatiſtæ in aliquas peculiares ſectas diviſi?

M. Orta ſuper iteratione baptiſmatis *Tichonium* inter, & *Parmenianum*, ambos inſignes Donatiſtas, diſſenſione, Donatiſtæ tam in Mauritania, quam in Numidia diſtracti ſunt in plures ſectas, quarum aliæ, cujuſmodi ſunt *Urbaniſtarum* & *Claudianiſtarum* obſcuræ fuerunt, vixque impræſentiarum notæ. Duæ vero præ ceteris famoſæ & celebres extiterunt, videlicet *Rogatiſtarum* & *Maximianiſtarum*. Secta Rogatiſtarum ortum habuit a *Rogato* Mauritaniæ Epiſcopo. Secta Maximianiſtarum principem habuit *Maximianum* Eccleſiæ Carthaginenſis Donatiſtam, qui a *Primiano* Donatiſta in Epiſcopatu Carthaginenſi Parmeniani itidem Donatiſtæ ſucceſſore damnatus provocavit ad judicium Epiſcoporum Donatiſtarum Africæ, quorum quadraginta tres Carthaginem venerunt, ibique Concilium adverſus Primianum celebrarunt, in quo tamen nullam in eum tulerunt ſententiam. Sed in alio Concilio, quod *Cabarſuſſi* anno 393. indixerunt, *Primianum* multorum criminum accuſatum damnarunt, depoſuerunt, & in ejus locum ſubrogarunt *Maximianum*, qui a duodecim Epiſcopis ordinatus eſt Epiſcopus Carthaginenſis. Utriuſque Donatiſtarum Concilii, *Carthaginenſis* nimirum & *Cabarſuſſitani* diſertam mentionem facit S. Auguſtinus lib. 4. contra Creſconium cap. 6. ubi agens de Donatiſtarum Conciliis adverſus Primianum habitis, ait: *Primum, quod apud Carthaginem a quadraginta tribus factum eſt, quo prædamnatus eſt Primianus. Alterum, quod Cabarſuſſi centum vel amplius veſtri tunc Epiſcopi condiderunt, quo perfecte, pleniuſque damnatus eſt*. Verum, centum & decem Epiſcopi Donatiſtæ, qui Primiano adhærebant, anno ſequenti, ſeu VII. Kal. Maii anni 394. Bagajæ in Numidia Concilium celebrarunt, in quo Primianum abſolverunt, & Maximianum damnarunt, una cum duodecim Epiſcopis, a quibus fuerat ordinatus Epiſcopus. Hoc pacto Donatiſtæ, qui Primianum Ducem ſequebantur, Donatiſtis Maximianiſtis ſuperiores evaſerunt, uſque auctoritate Magiſtratuum & Præfectorum eos ab Eccleſiis, quas occupabant, expulerunt.

D. Fuitne Schiſma Donatiſtarum extra fines Africæ propagatum?

M. Tentarunt quidem Donatiſtæ hac illac curſitando multos in ſuam pertrahere ſectam. Habuerunt etiam Romæ quoſdam aſſeclas, qui *Montenſes* dicebantur, eo quod Romæ primum Eccleſiam ſuam habuerint in Monte. Vel, ut alii cenſent, Romæ Donatiſtæ fuerunt *Montenſes* appellati, quod in montibus & cavernis, cum nullam in Civitate poſſent habere Eccleſiam, ſua Conventicula peragere cogerentur. Hac de cauſa S. Hieronymus in Dialogo, adverſus Luciferianos nuncupat Donatiſtas, *Campitas*, quod in campis ſuos cœtus colligerent. Pauci tamen extra fines Africæ fuerunt Donatiſtæ, eorumque ſecta in Africa dumtaxat radices agere, ac late propagari potuit.

D. De Schiſmate Donatiſtarum abunde dixiſti, perge nunc, quæſo, explicare quid eſſet Schiſma Meletianorum, quod ſub Conſtantino Magno Eccleſiam divexaſſe in exordio noſtri Colloquii obſervaſti.

M. Schiſma Meletianorum, quod, teſte clariſſimo Pagio, cœpit anno Chriſti 301. non vero, ut putat Baronius anno 306. auctorem habuit *Meletium* Lycopolitanum Epiſcopum, qui multiplicis ſceleris convictus, & præſertim quod, ſæviente Maximini Imperatoris perſecutione, Idolis ſacrificaſſet; gradu Epiſcopali a Petro Alexandrino Patriarcha in communi Epiſcoporum Synodo dejectus eſt, ſicut ſcribit S. Athanaſius in Apologia pag. 177. recentis editionis a doctiſſimo *P. Bernardo de Montfaucon* adornatæ. Porro, Meletius ſua ſede depoſitus non ad aliam Synodum confugit, neque ſe ſtuduit purgare, ſed a Petri Patriarchæ Alexandrini communione palam ſeſe ſubduxit, Schiſma conflavit, ejuſque Sectarii dicti ſunt *Meletiani*. S. Athanaſius in Apologia & in Epiſtola ad ſolitarios aſſerit, Meletianos Chriſtianæ doctrinæ rudes, accepta pecunia, ad Sacerdotium promoviſſe. Sed in primis gravitet tulerunt Patres Concilii Nicæni, quod Meletius varios in Ægypto Epiſcopos conſecraſſet, quamvis ex priſca conſuetudine nullus alter in Ægypto Epiſcopus juribus Metropolitæ frueretur, præter Patriarcham Alexandrinum. Unde Canone ſexto ſanxerunt, ut juxta priſtinum morem ſolus Alexandrinus Patriarcha per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim Metropolita haberetur, & ipſi ſoli jus ordinandi Epiſcopos eſſet aſſertum. Theodoretus lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 3. & lib. 4. Hæretic. fab. cap. 7. ait, Meletianos æmulatos fuiſſe Judæorum & Samaritanorum purificationes, & inter pſallendum choreas egiſſe. S. Epiphanius in lib. de Hæreſibus aſſerit, Meletianos veniam denegaſſe lapſis. Idem teſtatur S. Damaſcenus in lib. de Hæreſibus, additque, Meletianos ſeſe ad Arianos aggregaſſe.

D. Præter hæc duo Schiſmata, Donatiſtarum videlicet, & Meletianorum, quæ imperante Conſtantino Magno enata ſunt, aliaſne diviſiones, ſeu Schiſmata paſſa eſt Eccleſia in quarto ſæculo?

M. Præter hæc duo Schiſmata Donatiſtarum & Meletianorum, de quibus hactenus egimus, duo alia in quarto Eccleſiæ ſæculo oborta ſunt Schiſmata, videlicet Schiſma Eccleſiæ Antiochenæ, & Schiſma Luciferianorum. Sed quia duo poſtrema illa Schiſmata poſt exortam Arianam Hæreſim dumtaxat contigerunt, de illis commodius diſſeremus, poſtquam Arianæ Hæreſeos ortum, atque progreſſum breviter expoſuerimus.

D. Quandonam emerſit Ariana Hæreſis, & quem habuit progreſſum?

M. Ariana Hæreſis, qua nulla poſt homines natos magis in Eccleſiam graſſata eſt, & majores in ea excitavit tumultus, initio quidem Alexandri Patriarchæ Alexandrini innoteſcere cœpit, ſed ante annum 321. in Concilio Alexandrino, cui fere centum Epiſcopi interfuerunt, ab eodem Patriarcha non fuit damnata. Male auſpicatum nomen traxit hæc Hæreſis ab auctore Ario Eccleſiæ Alexandrinæ Presbytero, & ex Lybia oriundo,

Digitized by Google

qui primum occulte, tum poſtea aperte ſacrilego ore auſus eſt aſſerere, verbum Divinum & creatum & mutabile eſſe, ex non extantibus factum, fuiſſeque tempus quando non erat. Hunc errorem in ſuis cunis præfocare volens Alexander, duas Synodos, ut recte obſervat doctiſſimus Valeſius in Notis ad lib. 1. Hiſt. Eccleſ. Theodoreti cap. 4. adverſus Arium ejuſque ſocios anno 321. Alexandriæ collegit. In priori Synodo decem damnati ſunt Clerici Alexandrini, & notati tres Epiſcopi Syriæ fautores Arianæ Hæreſeos, atque ab Alexandro Patriarcha Alexandrino ſcripta eſt Epiſtola Synodica ad Alexandrum Byzantii Epiſcopum, quam recitat Theodoretus lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 4. In altera Synodo, cui, ut mox dixi, centum fere Epiſcopi interfuerunt, poſtquam Arius, ejuſque ſocii Hæreſim ſuam palam fuiſſent profeſſi, damnati ſunt cum duobus Epiſcopis *Secundo* ſcilicet Ptolomaidis & *Theona* Marmaricæ, notatus etiam eſt Euſebius Nicomedienſis, ac denique ab Alexandro Patriarcha Alexandrino miſſa eſt Epiſtola Synodica de Arii, ejuſque ſociorum condemnatione ad omnes ubique terrarum Epiſcopos, quam nobis conſervavit Socrates lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 10. Arius itaque ejectus ab Eccleſia in Palæſtinam abiit, ibique plures Epiſcopos ſuis partibus addixit, ſed præſertim Euſebium Nicomedienſem, qui Concilium Bythiniæ in Palæſtina convocavit, in quo Arium in ſuam communionem recepit, & ad omnes Epiſcopos litteras dedit, quibus eos vehementer adhortabatur, ut ſuam itidem in communionem Arium, ejuſque ſocios reſtituerent, & Alexandrum Patriarcham Alexandrinum ad pacem cum illis ineundam adducerent. Quæ mox ut ad aures Alexandri perlata ſunt, varias ad plurimos Epiſcopos ſcripſit ſanctiſſimus ille Antiſtes Epiſtolas encyclicas, quibus Arii, ejuſque ſociorum impietatem detexit, illoſque ab Eccleſia fuiſſe a ſe expulſos ipſis ſignificavit. Arius, abjecta omni ſpe pacem cum Alexandro Patriarcha Alexandrino ineundi, Schiſma Alexandriæ, & in Ægypto conflavit, ſuamque Hæreſim diſſeminare cepit. Ut autem facilius hominum ac mulierculaſarum animis ſuæ Hæreſeos virus inſtillare poſſet, compoſuit *Thalejam* ſuam, ideſt Cantilenam mollem ac impuram, in qua peſtiferæ ſuæ doctrinæ venenum expreſſit. Erat quippe illa effœminatis quibuſdam, ac jocularis modis adornata, exemplo ſcilicet impuriſſimi *Sotadæ* nobilis in hoc genere Poetæ (*a*).

„ (*a*) Admitto equidem Arium ſub Alexandro E-
„ piſcopo Alexandrino in apertum ſchiſma prorupiſſe;
„ conſtat tamen virum illum noxium prava conſilia agitaſſe vivente adhuc Petro, qui
„ ante Alexandrum Eccleſiam illam gubernavit.
„ Scimus enim ex anecdotis a Cl. Maffejo vulgatis, Arium clam aſpiraſſe ad honorem Epiſcopatus, & cum Meletio in conſiliis communicaſſe, quod noſcens idem Petrus Alexandrinus, palam de illo conqueſtus eſt in ſua epiſtola ab eodem Maffejo vulgata. Licet enim ibi nihil legitur de Ario, adhuc tamen illum peti in hac epiſtola exponit vetuſtiſſimus author, & fere coævus, qui hanc epiſtolam præfatus eſt:
„ *Arius quidem habitum portans pietatis, & ipſe doctoris deſiderium habens, invidens Pontificatum B. Petri presbyteros, quibus dederat poteſtatem de Paræcia viſitare Alexandriam latentes Meletio demonſtravit &c. ..... His agnitis B. Petrus populo ſcripſit Alexandrino epiſtolam hoc modo &c.*

Hic erat deploratus Eccleſiæ ſtatus, quando Conſtantinus Magnus, devicto Licinio anno 324. ſolus in toto Imperio Romano ſumma rerum potitus eſt. Principio Religioſus hic Imperator ad Alexandrum & ad Arium litteras Nicomedia direxit, quibus eos ad concordiam, & pacem ſic hortatus eſt, ut facile appareret, ejus animum ab Euſebio Nicomediæ Epiſcopo, Arii fautore, qui gratia apud Imperatorem plurimum valebat, fuiſſe occupatum. Verum non diu ea in ſententia perſtitit Conſtantinus ab Euſebio deceptus. Has Imperatoris literas detulit *Oſius* Cordubenſis Epiſcopus, qui ad componendos Eccleſiæ Alexandrinæ tumultus celebravit Alexandriæ Synodum, quæ tamen excitatum in toto Oriente incendium extinguere minime potuit. Cum igitur Orientis Epiſcopi in diverſas partes ſcinderentur, & Ariana Hæreſis inſtar cancri latius ſerperet, non aliud huic malo, quod in dies ingraveſcebat, efficacius remedium adhiberi poſſe exiſtimavit Conſtantinus, quam ut Sylveſter Pontifex Epiſcopos ex univerſo Orbe Chriſtiano in unam cogeret Synodum. Abjecta itaque omni cunctatione religioſiſſimus ille Imperator, ad omnes ſui Imperii Epiſcopos litteras honorifice ſcribendas curavit, eoſque, aſſentiente Sylveſtro Romano Pontifice, ad Generalem Synodum Nicææ in Bythinia Urbe celebrandam convocandos, ut hanc exortam de fide controverſiam auctoritate ſua dirimerent. Anno itaque 325. celebratum eſt Concilium Generale Nicænum, cui interfuerunt 318. Epiſcopi, in quo definitum eſt, Filium Dei eſſe *ὁμοούσιον*, ideſt Patri æterno conſubſtantialem. Arius in hac Synodo, poſtquam errores ſuos meretricia fronte defendiſſet, in ſua perfidia obfirmatus Anathemate percuſſus eſt, una cum duobus Epiſcopis *Secundo* Ptolomaidis, & *Theona* Marmaricæ, qui duo Epiſcopi nec fidei Nicænæ, nec damnationi Arii ſubſcribere voluerunt, ut teſtantur Patres Concilii Nicæni in epiſtola Synodica, necnon Theodoretus & Philoſtorgius. Quapropter hi duo Epiſcopi ſimul cum Ario juſſu Imperatoris in exilium fuerunt ablegati. Euſebius quidem Nicomedienſis & Theognis Nicænus initio formulam fidei Nicænæ penitus repudiarunt, ſed poſtea metu Imperatoris, qui contradicentibus exilium minabatur, eam calculo ſuo comprobarunt, ſed ficte & ſimulate; nam poſt Concilium Nicænum cum defenſores errorum Arii palam ſeſe exhiberent, in Gallias ab Imperatore in exilium miſſi ſunt. At poſt tres annos a celebratione Concilii Nicæni necdum completos, hoc eſt anno 327. Arius & duo Epiſcopi

pi

pi Euſebius Nicomedienſis & Theognis Nicænus juſſu Conſtantini ab exilio fuere revocati. Arius redux, vir totus ad fraudes concinnandas compoſitus, formulam Fidei Catholicam in ſpeciem, æquivocam tamen, nec errorem excludentem Imperatori obtulit, & ab ipſo facultatem obtinuit Alexandriam redeundi. Tum temporis Alexandriæ in Throno Patriarchali ſedebat Athanaſius Alexandri ſucceſſor, qui Ario Alexandriam reverſo ſe tanquam murum æneum oppoſuit, nec Imperatoris litteris, quibus ipſi & depoſitionem, & exilium minabatur, niſi Arium in Eccleſiam admitteret, flecti unquam potuit invictæ ille conſtantiæ Præſul & Arianorum malleus. Ea Athanaſii conſtantia exaſperati Ariani, Conciliabulum anno 328. juxta Cl. Pagium, Antiochiæ indixerunt, in quo Euſtathium illius Urbis Epiſcopum fidei Nicænæ egregium defenſorem falſis criminibus poſtulatum, violatis omnibus æquitatis legibus, Sede Antiochena depoſuerunt. Deinde Synodum Tyriam anno 335. habuerunt, in qua S. Athanaſium, licet innocentiam ſuam circa crimina ſibi falſo affixa de fracto Calice, de nece Arſenii & de ſtupro, Sole clarius comprobaſſet, Epiſcopatu exuerunt, & anno ſequenti aliam Synodum Conſtantinopoli coegerunt, in qua novis calumniis ab Arianis oppreſſus Athanaſius Treviros in exilium juſſu Imperatoris miſſus eſt, & Arius in priſtinum ſuum ſtatum reſtitutus, atque Alexandriam remiſſus, ubi tamen cum turbas iterum moviſſet, redire Conſtantinopolim ab Imperatore juſſus eſt. Huc reverſus Arius ſubdolam fidei profeſſionem edidit, obtulitque Conſtantino, qui a peſtifero illo Hæreſiarcha & ab Euſebio Nicomedienſi deluſus, juſſit Alexandro Epiſcopo Conſtantinopolitano, ut Arium in communionem reciperet, ſed, dum renitente ſanctiſſimo illo Præſule, Arius, quem jam ejuſdem factionis Epiſcopi in Pſeudo-Synodo Hieroſolymitana propter encænias, ſeu Templi dedicationem celebrata ad communionem admiſerant, quaſi triumphans properare ad Eccleſiam; contigit ut ſceleſtus ille alvum exonerare volens ad publicas latrinas diverterit, ubi terribili, juſto tamen Dei judicio, diſrupto ventre, inſtar Judæ, inteſtina & miſeram egeſſit animam.

Sublato e vivis Ario, animum non deſponderunt Arianæ perfidiæ ſectatores, quorum multi Ario nihil concedentes ferocitate, aſtutia, protervia, Sedes Epiſcopales invaſerant, & in Aulam Imperatoris irrepſerant. Vivente tamen Alexandro Epiſcopo Conſtantinopolitano nihil aperto marte moliri auſi ſunt, ſed illo mortuo, cervicem erexerunt, turbaſque in electione Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopi exciverunt. Catholici quippe *Paulum* Epiſcopum Conſtantinopolitanum acclamarunt. Ariani *Macedonium* elegerunt. Vicerunt tamen Catholici. *Paulus* ad Thronum Conſtantinopolitanum, frementibus licet Arianis, evectus eſt, ſed poſt breve temporis intervallum Sede ſua dejectus eſt, & in exilium miſſus, vivente adhuc Conſtantino Magno, qui obiit anno 337. Mortuo Conſtantino Imperatore, S. Athanaſius, Paulus, aliique Orthodoxi Epiſcopi ab exilio revocati, ſuiſque Eccleſiis redditi ſunt, hoc agente *Conſtante* Conſtantini Magni filio, qui Catholicis impenſe favebat. At Conſtantius Conſtantis frater, qui in Oriente patri ſuo Conſtantino ſucceſſerat, Arianæ Hæreſeos fautorem ſe palam profeſſus eſt acerrimum, ejuſque dilatandæ ſtudio omnia ſus deque miſcuit. Hinc juſſu Conſtantii Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in exilium miſſus eſt Cucuſum oppidum Armeniæ, ubi fauces laqueo ei eliſæ fuerunt, & Euſebius Nicomedienſis, ejecto Paulo, Sedem Conſtantinopolitanam invaſit. *Ariani*, ſeu *Euſebiani*, ita dicti ab Euſebio Nicomedienſi, Conſtantii Imperatoris patrocinio freti ad Julium Romanum Pontificem litteras dederunt, quibus illum adverſus Athanaſium movere conati ſunt. Athanaſius itidem Romam Presbyteros miſit, qui ipſius cauſam coram Summo Pontifice tutarentur. Synodus Alexandrina ex Ægypto, Lybia & Thebaide coacta, cui centum ferme interfuerunt Epiſcopi, Epiſtolam Synodicam ad eumdem Pontificem miſit, in qua Athanaſii fidem & innocentiam vindicabat. Athanaſius, acceptis a Romano Pontifice litteris, Romam ſe contulit, ubi per octodecim menſes accuſatores ſuos ſibi male conſcios fruſtra expectavit, ut conſtat ex Epiſtola Julii Papæ ad Orientales data. Idem S. Athanaſius teſtatur in Apolog. 2. his verbis: *Cum igitur Romam perveniſſemus, Julius continuo ad Euſebianos litteras ſcripſit, miſſis eo duobus ex ſuis Presbyteris, Elpidio & Philoxeno. Illi vero, ubi noſtram Romæ præſentiam audiviſſent, plurimum conturbati ſunt, quod contra ſpem eorum me Romam contuliſſem. Rejecto igitur itinere futiles, ineneſque tergiverſandi cauſificationes commenti ſunt*. Et in epiſtola ad Solitarios idem S. Doctor aſſerit Euſebianos cauſatos fuiſſe, ſe ob bella Perſarum Romam venire non poſſe. Dum hæc Romæ agerentur, Euſebiani anno 341. Synodum Antiochiæ convocarunt, in qua S. Athanaſium Epiſcopatu abdicarunt & in ejus locum ſubrogarunt Gregorium Cappadocem, qui armatis militibus ſeptus Sedem Alexandrinam occupavit, & in Catholicos cædibus, & exiliis crudeliter ſæviit. Julius Summus Pontifex Romæ anno 342. Synodum celebravit, in qua, diſcuſſa S. Athanaſii cauſa, eum innocentem pronuntiavit & in ſuam communionem, deſperatis Euſebianis, recepit. Augebantur in dies turbæ, ad quas ſopiendas Concilium Sardicenſe in Illyrico Conſtantis & Conſtantii Imperatorum conſenſu indictum eſt anno 347. Sed vix incepto hoc Sardicenſi Concilio, ortum eſt Epiſcopos Orientales inter & Occidentales magnum divortium. Orientales quippe Epiſcopi Arianæ Hæreſis labe infecti, cauſæ ſuæ diffiſi, vel ægre ferentes, quod Athanaſius & Marcellus Ancyranus, quos prædamnaverant, locum haberent inter Epiſcopos, ſeſe e Concilio ſubduxerunt & Philopopolim Urbem Thraciæ ſeceſſerunt, ubi ſeparatim habuerunt Synodum, quam Sardicenſis

cenſis nomine falſo nuncuparunt, & in qua Athanaſium & Marcellum iterum damnarunt, Julium Papam, Oſium Cordubenſem Epiſcopum anathemate perculerunt, novamque condiderunt fidei formulam, in qua *Conſubſtantialis* vocem omnino ſuppreſſerunt. Occidentales vero Epiſcopi in Concilio Sardicenſi congregati fidem Nicænam confirmarunt, & præcipuos factionis Arianæ Epiſcopos damnarunt, ſuiſque Sedibus depoſuerunt. Poſt celebrationem hujus Concilii Sardicenſis, quod non ſolum convocatione, ſed etiam exitu Œcumenicum fuiſſe, non obſtante Arianorum Epiſcoporum receſſu, probabilius cenſent viri eruditi; adeo inter Epiſcopos Orientales & Occidentales diſſenſiones recruduerunt, ut gravibus & continuis tumultibus Eccleſia fuerit exagitata. Imperator Conſtans, cujus auctoritate convocatum fuerat Sardicenſe Concilium, obtinuit a fratre ſuo Conſtantio, ut Athanaſius & Marcellus, qui in hoc Concilio fuerant abſoluti, ſuas Sedes recuperarent. Sed illa non fuit diuturna tranquillitas. Nam mortuo Conſtante anno 350. Epiſcopi Ariani iterum Orthodoxos Epiſcopos ſuis Sedibus exturbarunt, Athanaſii damnationem confirmarunt in Concilio Epiſcoporum Occidentalium Arelate habito anno 353. & in Concilio Mediolanenſi anno 355. omnes Epiſcopos, qui Athanaſii damnationi ſubſcribere detractabant, carcere, aut exilio mulctarunt, & alios ſuæ Sectæ viros in eorum Sedes intruſerunt. Inter hæc, Athanaſius ad necem ſollicite quæſitus, divino tectus præſidio, Arianorum, qui ne ipſius quidem nomen ferre poterant, malas artes, fraudes & inſidias mirabiliter evaſit. Dum ſic periclitaretur Eccleſia, peropportune accidit, ut inter Epiſcopos Arianos ortæ ſint circa doctrinam haud leves contentiones, quæ in cauſa fuerunt, cur novas identidem fidei formulas figentes ac refigentes, nec ſibi unquam conſtantes, in varias abierint Sectas, quæ mutuo interſeſe pugnantes, ultimum tandem ſibi exitium intulere.

D. Recenſe, ſi placet, illas Sectas, in quas diviſi ſunt Ariani?

M. Injecto ſemel inter Arianos diſcordiæ pomo, alii, quos inter cenſentur *Aetius*, *Eunomius* Aetii diſcipulus, *Acacius* Cæſareæ, *Eudoxius* Antiochiæ Epiſcopi purum putumque Arianiſmum propugnantes, Filium Dei Patri diſſimilem prædicarunt, & ideo dicti ſunt *Anomæi* (*a*). Alii Filium Dei Patri ſimilem eſſe in ſubſtantia, ſed non conſubſtantialem aſſerebant; & hi *Semi-Ariani* ſunt appellati. Puri Ariani dicti *Anomæi* Sirmii convenerunt, ibique Formulam fidei plane Arianam, quæ vulgo vocitatur *ſecunda formula Sirmienſis* condiderunt. Tres enim Formulæ Sirmii Urbis conſcriptæ nomine leguntur, quæ tribus diverſis Synodis Sirmienſibus editæ ſunt. Prima græce concepta eſt cum anathematiſmis XXV. & in ea damnantur anathemate, qui dicunt Filium Dei *de non extantibus, aut ex altera Hypoſtaſi eſſe, vel fuiſſe tempus, aut ſæculum quando non erat*. Hæc prima fidei Sirmienſis Formula, quam Sanctus Hilarius in lib. de Synodis ut Catholicam commendat, conſcripta eſt in Concilio Sirmienſi celebrato anno 351. contra Photinum, qui negabat Divinitatem Chriſti & purum hominem aſtruebat. Secunda Synodi Sirmienſis Formula, quæ plane Ariana erat, edita eſt in ſecunda paucorum Arianorum Epiſcoporum Sirmienſi Synodo habita anno 357. ſicut poſt Baronium ſolide probat Cl. Pagius in ſua critica ad annum 357. Huic ſecundæ Sirmienſi Formulæ, quod certe dolendum maxime eſt, ſubſcripſit Oſius Cordubenſis Epiſcopus, & qui ante hac acerrimus erat fidei Nicænæ defenſor & Arianiſmi inſectator, ne tamen exilium, bonorumque proſcriptionem pateretur, dedit in extrema ſenectute impietati manus. At *Liberius* Papa, quidquid contra obſtrepant noſtri temporis Hæretici, non huic ſecundæ Sirmienſi Formulæ, quæ omnino erat hæretica, ſubſcripſit; ſed tantummodo primam Sirmienſem Formulam, quæ ſenſum Catholicum patiebatur, tædio exilii fractus probavit. Denique, tertia fidei Sirmienſis Formula condita eſt Sirmii in paucorum Epiſcoporum conventu anno 358. & in ea vocis ὁμοούσιος, ſeu conſubſtantialis, nulla quidem mentio fit, ſed Filius Dei dicitur ὁμοιούσιος, ideſt Patri per omnia ſimilis, ut videre eſt apud S. Athanaſium in lib. de Synodis. Secunda Sirmienſis Formula, quæ, ut dixi, peſtilens doctrinæ Arii virus exprimebat, recepta & approbata fuit in Synodo Antiochena habita ab Eudoxio Ariano illius Urbis Epiſcopo. Aſt cæteri alii Epiſcopi Orientales hanc ſecundam Sirmienſem Formulam reprobarunt in Concilio Ancyrano anno 358. dogma itidem Anomæorum damnarunt & rejecta voce ὁμοούσιος, ſeu conſubſtantialis, Filium Dei Patri ὁμοιούσιον, ideſt, perſimilem eſſe in ſubſtantia definierunt. Conſtantius Imperator hiſce continuis Epiſcoporum diſputationibus fatigatus, duas Synodos cogi juſſit, unam in Occidente, alteram in Oriente. Occidentales Epiſcopi Ariminum, Orientales Seleuciam Iſauriæ Urbem convenerunt. Epiſcopi Occidentales quadringenti ferme Arimini congregati ſunt, anno 359. primum Nicænam fidem confirmarunt, tum Valentem, Urſacium & Germinium Epiſcopos Arianos depoſuerunt, ac decem Legatos miſerunt ad Imperatorem Conſtantium, quorum adventum Valens & Urſacius antevertentes, in errorem induxerunt Conſtantium, qui juſſit *Tauro* Præfecto ne Epiſcopos Arimini congregatos dimitteret, donec Formulam Sirmianæ non diſſimilem a Valente & Urſacio paulo ante compoſitam approbaſſent. Quo factum eſt, ut multi ex illis Epiſcopis tædio & moleſtia victi tandem ceſſerint; alii vero Valentis & Urſacii fraudibus decepti prædictæ ſibi oblatæ formulæ, quam a Catholica doctrina non abhorrere putarunt, ſubſcripſerint imprudentia lapſi. Eodem anno 359. Epiſcopi Orientales centum ſexaginta, ut teſtatur S. Athanaſius, qui Seleuciam convenerant, duas in partes, Arianorum videlicet & Semi-Arianorum ſciſſi, acerrime in Concilio inter ſe digladiati ſunt.

Digitized by Google

ſunt. Semi-Ariani Acacium Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopum, Georgium Alexandriæ, Uranium Tyri, alioſque Epiſcopos Acacianæ, ſeu pure Arianæ factionis depoſuerunt & a Fidelium communione ſepararunt. Sed hi condemnati confeſtim convolarunt ad Conſtantium Imperatorem, qui ex eorum ſententia aliam Conſtantinopoli indixit Synodum, in qua novam fidei Formulam ab Acacio conflatam approbarunt quinquaginta Ariani Epiſcopi, qui viciſſim depoſuerunt, omnique communione excluſerunt Baſilium Ancyranum, Macedonium Conſtantinopolitanum, Eleuſium Cizicenum, Euſtathium Sebaſtenum, Silvanum Tarſenſem Epiſcopos Semi-Arianos. Depulſo a Sede Conſtantinopolitana Macedonio, Ariani Eudoxium Antiochiæ Epiſcopum Arianum in throno Conſtantinopolitano collocarunt, & in Eudoxii Antiochenam Sedem vacuam Meletium e Sede Sebaſtena tranſtulerunt. Sed Meletio paulo poſt, ob fidem Nicænam, quam aperte poſt hanc promotionem profeſſus eſt, Sede Antiochena dejecto, Euzojum Arianum ſuffecerunt. Ad has Arianorum factiones acceſſit nova ſecta *Aerianorum*, ita dicta ab *Aerio* ejus auctore, qui Arianæ Hæreſi multos de ſuo addidit errores, aſſerens primo, inutile eſſe orare, vel ſacrificium pro Defunctis offerre. Secundo, Epiſcopis ſimplices Presbyteros æquabat. Tertio, ſtata jejunia, & in Eccleſia ab omnibus obſervari ſolita improbabat. S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus cap. 13. ait Aerium, *cum eſſet Presbyter doluiſſe, quod Epiſcopus non eſſet ordinatus*. Hinc præ invidia ægre admodum ferens quod *Euſtathius*, cujus ſodalis, ſeu condiſcipulus erat, ad Sebaſtæ in Armenia Epiſcopatum perveniſſet, ejus famam procacibus calumniis appetiit, & magna plebis ad ſe pertracta multitudine ſectam condidit, de qua legi poteſt S. Epiphanius Hæreſi 76.

„ (*a*) Prætetiiſſe pigeret Aetianæ hæreſis for-
„ mulam, vel ſi magis Symbolum extare inte-
„ grum, vel fere integrum apud Anonymum a
„ Cl. Maffejo editum, in quo inter cetera hæc
„ expreſſis verbis leguntur: *Si quis dixerit ſub-*
„ *ſtantiam Filii ſimilem ſubſtantiæ Patris non*
„ *nati blaſphemat.* Hujus formulæ titulus eſt apud
„ eundem Anonymum. *Expoſitio Patricii & Aetii*
„ *qui Eunomio communicaverunt, Heliodoro &*
„ *Stephano.*

Inter hæc Arianorum diſſidia, & novas illorum gliſcentes factiones, fides de Conſubſtantialitate Verbi divini in Concilio Generali Nicæno ſtabilita refloreſcere cœpit in omnibus Occidentis Eccleſiis, præter tamen Eccleſiam Mediolanenſem, quam regebat *Auxentius* Epiſcopus Arianus, exceptis etiam quibuſdam Illyrici Eccleſiis, in quibus Urſacius, Valens, & Germinius Ariani Epiſcopi, Hæreſim, quamdiu vixerunt, fovere non deſtiterunt, Alexandriæ, & Ægypti Eccleſiæ in profeſſione fidei Nicænæ conſtanter perſtiterunt. Quin & Semi-Ariani Epiſcopi, qui, vivente Conſtantio Imperatore fuere ab Arianis in Concilio Conſtantinopolitano damnati, & in exilium pulſi, ſub Juliano, & Joviniano Imperatoribus ſuis Sedibus reſtituti Arianos condemnarunt, & quamvis *Conſubſtantialis* vocem reſpuerent, quod eam in Scriptura Sacra non legerent, & pravo ſenſui obnoxiam eſſe reputarent, cum Catholicis tamen, qui Verbi divinitatem, ejuſque cum Patre conſubſtantialitatem profitebantur, communicabant. Circa annum 360. nonnulli, qui, teſte Sancto Athanaſio Epiſt. 1. ad Serapionem, deteſtabantur impiam Arianorum in Dei Filium Hæreſim, de Spiritu Sancto cœperunt prave ſentire, ac contendere illum non tantum rem creatam, ſed etiam unum ex adminiſtris ſpiritibus eſſe, & illi dicti ſunt *Macedoniani* a Macedonio, qui Sede Conſtantinopolitana dejectus, Spiritus Sancti divinitatem negavit, & *Pneumatomachorum* dux appellatus eſt. Hæc Macedonii Secta in Thracia præcipue, Bithynia, & Aſia diſſeminata eſt. Imperante Valente Arianorum fautore, & ſæviſſimo Catholicorum perſecutore, Semi-Ariani haud parum ab Arianis vexati in Catholicorum partes tandem tranſierunt. Hi nempe Lampſaci, quæ Urbs eſt in Heleſponto, Synodum anno 364. celebrarunt, in qua Filium Dei Patri in ſubſtantia ſimilem eſſe ſtatuerunt, & legationem ad Liberium Papam miſerunt, qua ſe communicare cum Eccleſia Romana, & Fidem Catholicam de conſubſtantialitate Verbi Divini in Concilio Nicæno definitam tenere, ac conſervare conteſtati ſunt. Quare anno ſequenti, ſeu 365. vivente adhuc Liberio Papa, fuerunt a Catholicis Epiſcopis in Synodo Tyanenſi congregatis ad communionem admiſſi. Necdum tamen extincta eſt Ariana Hæreſis, quæ in Oriente, quamdiu imperavit *Valens*, late dominata eſt. Sed mortuo Valente, Gratianus Imperator omnes Catholicos Epiſcopos ab exilio revocavit, eique in Imperio ſuccedens Theodoſius Magnus Religionis Catholicæ incenſus amore, ad eam tuendam omnem adhibuit operam. Hinc adverſus omnes Hæreſes legem edixit, qua ſolam obtinere juſſit Catholicam Fidem, quam Romæ Damaſus Pontifex, & Alexandriæ Petrus Patriarcha tenerent. Demophilum, quem Ariani in locum Eudoxii ſubrogaverant, e Sede Conſtantinopolitana deturbavit, Arianis omnem congreſſum prohibuit, illiſque ademptas Eccleſias, quas jam quadraginta ab hinc annis poſſidebant, Catholicis reſtituit; denique, annuente Damaſo Romano Pontifice, Concilium Oecumenicum Conſtantinopolitanum anno 381. convocavit, in quo proſcriptæ ſunt Arianorum, & Macedonianorum Hæreſes, & Nicæna Fides tot jactata procellis, & in multis reprobata Arianorum Pſeudo-Synodis in integrum fuit reſtituta, & inſertus eſt Symbolo a Patribus Nicænis edito Articulus de Divinitate Spiritus Sancti contra Macedonianos. Sic Ariana Hæreſis ſub finem quarti ſæculi tam in Oriente, quam in Occidente ita attrita, ac diſſipata eſt, ut dumtaxat apud Gotthos, & Wandalos, qui Africam occupaverant, latibulum, quo ſe tegeret, invenire potuerit.

D. Arianæ Hæreſeos ortum, progreſſum, atque interitum clare expoſuiſti. Nunc de Luci-

ſeraniorum Schiſmate, & de Eccleſiæ Antiochenæ diviſione tibi aliquid dicendum incumbit.

M. Luciferianorum Schiſmati principium dedit *Lucifer* Epiſcopus Eccleſiæ Calaritanæ Sardiniæ Metropolis, Nicænæ Fidei intrepidus aſſertor, & Sancti Athanaſii, quem in Concilio Mediolanenſi celebrato anno 355. a calumniis Arianorum egregie vindicavit, acerrimus defenſor: Qua de cauſa a Conſtantio Imperatore in exilium miſſus eſt. Mortuo deinde Conſtantio, cum Julianus Apoſtata Imperator omnes exules Epiſcopos revocaſſet, Lucifer Antiochiam abiit, ubi gloriam, quam ſibi in veritatis, & Eccleſiæ defenſione optimo jure comparaverat, facto Schiſmate fœdavit. Invenit quippe Lucifer Eccleſiam Antiochenam ſciſſam in factiones tres. Nam inter Catholicos alii erant, qui *Euſtathiani* dicebantur a magno illo Euſtathio, qui ob fidem Catholicam ab Arianis Sede Antiochena dejectus eſt: Alii appellabantur *Meletiani*, qui ſtabant a partibus Meletii, quem tamen quamlibet Catholicum averſabantur Euſtathiani, quod Arianorum conſortio pollutus eſſet, & ab illis Epiſcopus Antiochenus ordinatus: Alii poſtremo erant Ariani, quibus præerat Euzojus Epiſcopus Arianus. Antiochiam itaque cum veniſſet Lucifer, conciliandarum ſtudio partium, Paulinum Presbyterum in parte Catholica fecit Epiſcopum. Ex quo contigit, ut in parte Catholica duo eſſent Epiſcopi, *Meletius* videlicet & *Paulinus*; tres vero, annumerato Euzoio Ariano Epiſcopo, Eccleſia Antiochena haberet Antiſtites. Euſebius Vercellenſis Epiſcopus Antiochiam profectus, ut has factiones tolleret, Luciferi factum improbavit. Quamobrem irritatus Lucifer, qui aliunde etiam ægre ferebat, quod in Synodo Alexandrina, quam S. Athanaſius, mortuo Conſtantio Imperatore Alexandriam reverſus, & ingenti populi acclamatione exceptus anno 362. celebravit, ſtatutum eſſet, ut Epiſcopi lapſi cum priſtino gradu revertentes ad Eccleſiam reciperentur; ſe a Catholicorum communione divulſit, & terribili Divinæ juſtitiæ, exemplo in ſuo Schiſmate perſeveravit, atque extra ſinum, & unitatem Eccleſiæ vir illi rigidioris diſciplinæ tenacior mortuus eſt. Hinc Luciferianorum Schiſma initium habuit, quod poſtea graſſatum eſt per Italiam, Sardiniam, Hiſpaniam, Antiochiam, & Ægyptum. Marcellinus, & Fauſtinus Luciferianorum Sectæ Presbyteri libellum ſupplicem anno 383. Imperatoribus Valentiniano II. Theodoſio, & Arcadio obtulerunt, & ab illis in gratiam ſuæ Sectæ Edictum obtinuerunt, quod paulo poſt fuit revocatum. *Hilarius* Romanæ Eccleſiæ Diaconus non ſolum Sectæ Luciferianorum luto hæſit, ſed & illi Hæreſim addidit, Arianos, cæteroſque Hæreticos rebaptizandos eſſe affirmans contra Luciferi ſententiam. Eum tamen a rebaptizantium Hæreſi, & a Luciferianorum Schiſmate poſtea reſipuiſſe aſſerit Cl. Pagius ad annum Chriſti 362. Hujus Luciferianorum Sectæ, tempore quo Theodoretus ſuam ſcripſit Hiſtoriam, hoc eſt, circa medium quintum ſæculum, vix ullum in Eccleſia extabat veſtigium.

Veniamus nunc ad Schiſma Eccleſiæ Antiochenæ, quod ab eodem Lucifero Calaritano ortum habuit. Poſtquam enim Lucifer Paulinum inauguraſſet Epiſcopum, contigit, ut Antiochiæ in parte Catholica duo eſſent Epiſcopi, nimirum Meletius, & Paulinus. Pro Meletio ſtabant Orthodoxi Epiſcopi, eique major populi Antiocheni pars adhærebat. Cum Paulino Sanctus Athanaſius, & Epiſcopi Occidentales, necnon aliqui Eccleſiæ Antiochenæ Catholici Communione jungebantur. Fovit etiam hanc Eccleſiæ Antiochenæ diviſionem enata tum temporis de nomine *Hypoſtaſeos* controverſia. Meletius enim, & qui ab ejus partibus ſtabant, tres in Deo Hypoſtaſes prædicabant, ſed *Hypoſtaſis* nomine *Perſonam* intelligebant. Paulinus vero, & qui cum eo communione erant uniti, unam in Deo dumtaxat admittebant, Hypoſtaſim, quia nomine *Hypoſtaſis* naturam, ſeu eſſentiam exprimi autumabant. Quodque gravius erat, quamvis diſceptatio tantummodo eſſet de nomine, & una omnium Catholica eſſet ſententia, attamen, exacerbatis hinc inde animis, hi, qui Paulinum ſectabantur, Catholicis Meletianis labem Arianæ Hæreſeos & verſa vice illis Catholicis, quibus præerat Paulinus, Sabellianæ Hæreſeos notam inurebant Meletii ſequaces. Utrumque tamen ſopitum eſt iſtud Antiochenæ Eccleſiæ Schiſma mutua Meletium inter & Paulinum inita pactione, ut, alterutro mortuo, qui ſuperſtes eſſet Eccleſiam Antiochenam ſolus regeret. Hac, inquam, facta pactione aliquandiu ſopitum eſt Schiſma, ſed non extinctum eſt, quia mortuo Meletio anno 381. Flavianus in locum illius ordinatus eſt. Paulinus vero, antequam moreretur, (mortuus eſt autem anno 389.) Evagrium deſignavit & ordinavit Sedis Antiochenæ Epiſcopum. Tandem hoc diſſidium componendi Synodus Capuana Provinciam demandavit Theophilo Patriarchæ Alexandrino, qui in rem Eccleſiæ eſſe duxit, ut, ob bonum publicæ pacis, Flavianus communione donaretur. Unde mortuo Evagrio anno 393. Flavianus Antiochiæ in parte Catholica remanſit Epiſcopus, ſed ad communionem Epiſcoporum Occidentalium non fuit receptus niſi anno 398. Hoc ſi quidem Anno, teſte Sozomeno lib. 8. Hiſt. Eccl. cap. 3. S. Chryſoſtomus ipſo ſui Epiſcopatus exordio Theophilum Epiſcopum Alexandrinum rogavit, ut Romanum Epiſcopum Flaviano reconciliaret. Additque idem Sozomenus, ob illud negotium Acacium Beroeæ Epiſcopum & Iſidorum Romam miſſos eſſe, & eorum opera Antiochenæ Eccleſiæ concordiam redditam. De hac legatione mentionem faciunt Palladius in Dialogo de vita S. Chryſoſtomi & Theodoretus lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 23.

D. Fueruntne in quarto Eccleſiæ ſæculo aliæ Hæreſes, præter illas, quas haſtenus recenſuiſti?

M. Multæ aliæ in quarto Eccleſiæ ſæculo emperunt Hæreſes, videlicet Photinianorum, Apollinariſtarum, Manichæorum, Priſcillianiſtarum, Audianorum, Antidicomarianitarum, Collyridianorum & Meſſalianorum, quas ſi omnes hic ſingillarim explicandas aggrediar, vereor ne longius, quam par ſit, noſtrum protrahatur Colloquium, tibique ob ſermonis prolixitatem obrepat faſtidium.

D. Tanto

Digitized by Google

D. Tanto perdiſcendæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teneor deſiderio, ut quo prolixiora ſunt noſtra Colloquia, eo me majori oblectatione perfundant. Age ergo, ſingulas iſtas expone Hæreſes, & quandonam, quibuſve Auctoribus prodierint, indicare non te pigeat.

M. Incipiamus igitur a Photinianorum Hæreſi, cujus Auctor fuit *Photinus*, natione Galata, Marcelli Ancyrani Epiſcopi diſcipulus, & ad Sirmienſem poſtea Epiſcopatum promotus. Ut autem altius Photini Hæreſis originem repetamus, ſciendum eſt, Marcellum Photini Magiſtrum, qui interfuit Concilio Nicæno, & in eo contra Arianos acri animo decertavit, librum ſcripſiſſe contra *Aſterium* Sophiſtam quemdam Cappadociæ, qui libros de Religione Chriſtiana errori Arii conſentientes ediderat. In hoc Marcelli libro Ariani putantes ſe offendiſſe doctrinam Hæreſi Sabellii affinem, Marcellum in Conſtantinopolitano Conciliabulo anno 336. depoſuerunt & in ejus locum Baſilium ſubrogarunt. Marcellus ad Julium I. Pont. Max. mox confugit, ut hanc Hæreſeos ſuſpicionem a ſe amoliretur, cumque apud illum ſeſe purgaſſet tum propria profeſſione fidei, tum Legatorum Summi Pontificis, qui Nicæno Concilio adfuerant, teſtimonio; ſententiam abſolutionis retulit, atque in communionem & in Sedem ſuam Ancyranam a Julio reſtitutus eſt, ut videre eſt in epiſtola ejuſdem Pontificis ad Epiſcopos Orientales. Eumdem Marcellum abſolvit Synodus Sardicenſis cauſa cognita, ejuſque libris lectis & accurate diſcuſſis, quibus Sabellianæ Hæreſeos notam affingebant Ariani. Quin & S. Athanaſius Marcellum Ancyranum, quamdiu vixit, ſuam in communionem admiſit, ſicut ipſemet aſſerit in priore Epiſtola ad Conſtantium, & in Epiſtola ad Solitarios. Idem etiam teſtatur S. Baſilius in ſuis Epiſtolis 52. 84. & 87. quamvis aliunde S. Hilarius in Fragmentis, & Sulpitius Severus lib. 2. Hiſtoriæ Sacræ, affirment S. Athanaſium a communione Marcelli, utpote in Hæreſim lapſi, ſeſe ſeparaſſe. Mortuus eſt Marcellus Ancyranus Epiſcopus anno 374. multoſque reliquit diſcipulos, qui Fidem Catholicam profeſſi, errorem Sabellii, quem ipſis Ariani impingebant, palam damnarunt. At Photinus Marcelli diſcipulus, qui Sabellii errorem recoxit, ac poſtliminio revocavit, in cauſa fuit, cur multi Sancti Patres, præcipue Baſilius, Hilarius, Sulpitius Severus ſuſpectam habuerint fidem Marcelli Ancyrani Epiſcopi, quorum opinionem ſequutus Baronius tom. 3. Annal. ad annum Chriſti 347. Marcellum in Hæreſim Sabellii lapſum eſſe propugnat, & Julio Papæ, Patribuſque Concilii Sardicenſis fucum feciſſe exiſtimat, cui etiam ſubſcribit Cl. Pagius in ſua Critica ad annum 347. Photinus itaque Sirmienſis Epiſcopus virus ſuæ Hæreſeos effundere cœpit anno circiter 343. cujus hæc duo præcipua fuere capita. Primo, Chriſtum ex Maria habuiſſe initium, eumque eſſe merum hominem pertendebat. Secundo, nullam Verbi, aut Spiritus Sancti aſſerebat eſſe Perſonam, ſed unam Patris, Filii, & Spiritus Sancti Perſonam prædicabat, atque hoc pacto Sabellii errorem inſtaurabat. Quapropter ſtatim damnatus eſt in Synodo Mediolanenſi, in Synodo Antiochena ſecunda, in Synodo Sardicenſi, in Synodo Romana, & tandem in Synodo Sirmienſi anno 351. Sede ſua dejectus eſt. Photinus exauctoratus Conſtantium Imperatorem appellavit, ejuſque ſupplicationi annuens Conſtantius, Baſilio Ancyrano Antiſtiti munus impoſuit cum Photino diſputandi. Famoſa fuit hæc diſputatio, qua victus Photinus in exilium ab Imperatore miſſus eſt. Sed imperante Apoſtata Juliano reverſus, iterum ſub Imperatore Valentiniano ſolum vertere coactus eſt. Tandem mortuus eſt in Galatia anno 376. Vir fuit, teſte Vincentio Lirinenſi in Commonit. ingenii viribus valens, doctrinæ opibus excellens & eloquio præpotens, habuitque multos ſectatores dictos ipſius nomine *Photinianos*, qui licet Imperatorum Gratiani & Theodoſii ſanctionibus ſæpius fuerint repreſſi, Eccleſiam tamen ad quintum uſque ſæculum infeſtarunt.

D. Quænam fuit Apollinariſtarum Hæreſis & a quo procuſa eſt?

M. Hæretici Apollinariſtæ contra Incarnationem Verbi Divini multos errores evomuerunt. Dicti autem ſunt Apollinariſtæ ab utroque Apollinario, Patre videlicet Eccleſiæ Laodicenæ Presbytero, & filio ejuſdem Eccleſiæ Lectore, qui humanioribus litteris apprime exculti hanc Hæreſim procuderunt. Palmaris illorum error in hoc ſitus erat, quod docerent, Chriſtum ſumpſiſſe quidem ex Virgine Corpus, ſed ſine Anima, cujus vicem a Verbo Divino ſuppleri cum Hæreſiarcha Ario dictitabant. At hunc errorem poſtea emollientes faſſi ſunt, Chriſtum ſumpſiſſe etiam animam, ſed quæ mente careret, Verbumque Divinum ei fuiſſe mentis loco. Quin, eo dementiæ proruperunt iſti Hæretici, ut dicerent Verbum Divinum e Cælo corpus attuliſſe, quod per uterum Virginis tanquam per tubum, & canalem tranſierat, ex quo ſequebatur, Corpus Chriſti fuiſſe impaſſibile & immortale, ac proinde Nativitatem, Paſſionem, Sepulturam & Reſurrectionem Chriſti ſpecie tenus, & phantaſtice tantum, ſed non vere contigiſſe, Verbumque divinum mortale, & mutationi obnoxium fuiſſe. Præterea, unicam in Chriſto admittebant naturam, ſcilicet Divinam, quam in carnem converſam eſſe aſſerebant. Unde inferebant, Corpus Chriſti divinitati conſubſtantiale eſſe, ac ſubinde omnes corporis dolores, cruciatus, & paſſiones in ipſam Verbi divinitatem refundebant. Quapropter, cum Apollinariſtæ unicam in Chriſto naturam, ceu Divinam, agnoſcerent, appellati ſunt *Synuſiaſtæ*. Præter illos errores, Apollinarius diverſos in Trinitate dignitatis gradus poſuit, itaut Spiritus Sanctus magnus, Filius major, Pater maximus diceretur, ſicut teſtatur S. Gregorius Nazianzenus Epiſt. 1. ad Cledonium. Duobus etiam voluminibus Apollinarius Millenariorum errorem Judaico ſenſu contra Dionyſium Alexandrinum propugnavit. Nemeſius, & S. Hieronymus in præf. lib. 18. in Iſaiam, in c. 36. Ezech. & Epiſt. 82. ſcribunt, Apollinarium exiſtimaſſe animas hominum ex traduce procreari. Denique, nonnulli inter Apollinariſtas docuerunt, B.

Digitized by Google

Virginem, poſt Chriſtum natum, virginitatis jacturam feciſſe, & liberos genuiſſe. *Vitalis* Eccleſiæ Antiochenæ Presbyter, & Apollinarii diſcipulus errores præceptoris ſui ibi diſſeminavit, multoſque in ſuam ſectam pertraxit, qui dicti ſunt *Vitaliani*, quorum ab Apollinario *Vitalis* ordinatus eſt Epiſcopus. Hęc Apollinariſtarum Hęreſis damnata eſt in pluribus Conciliis, Alexandrino nimirum a S. Athanaſio anno 362. celebrato, Romano ſub Damaſo Papa 373. Antiocheno anno 378. Conſtantinopolitano primo Oecumenico anno 381. Viguit tamen Antiochię hęc Hęreſis uſque ad Pontificatum Theodoſii, qui ab anno 416. uſque ad annum 428. Eccleſiam Antiochenam rexit, & ad gremium Catholicę Eccleſię Apollinariſtas reduxit, quorum tamen nonnulli obſtinati perſliterunt in hac ſecta, ex qua, ut poſtea dicemus, Euthychianorum Hæreſis, tanquam malus ex infecta radice ſurculus pullulavit.

D. Quandonam enata eſt, & quem Authorem habuit Manichæorum Hęreſis?

M. Hæreſis Manichæorum in tertio Eccleſiæ ſæculo, ſeu anno Chriſti 277. *Probo* Imperium tenente, erupit, ut in Chronico Euſebiano legitur, & in Critica Pagii ad annum 277. Sed quia dumtaxat in quarto Eccleſiæ ſæculo late in Animarum perniciem hæc Hæreſis propagata eſt, eam in Claſſe Hæreſum quarti ſæculi reponendam eſſe duxi. Parens turpiſſimæ illius Hæreſeos fuit *Manes*, qui peſtilentem doctrinam hauſit ex libris *Scythiani*, genere Saraceni. Id autem hoc pacto contigit. Vir ille cognomine *Scythianus* errorem de duobus principiis ex Pythagoreo dogmate cœpit in Palæſtina divulgare, ac tandem ex morbo interiit. Diſcipulum habuit nomine *Terebinthum*, qui Scriptorum Scythiani, & pecuniæ factus hæres, a Palæſtinis exagitatus fugit in Perſidem, ubi quoque a Sacerdotis Solis vexatus, ſeſe ad quamdam viduam recepit, ubi dum Magiæ vacaret, extinctus eſt. Hæc vidua, cum hærede careret, ſervum emit nomine *Curbicum*, quem Præceptoribus inſtituendum tradidit. Defuncta vidua, a qua *Curbicus* fuerat adoptatus, hæres bonorum ejus, atque librorum manſit, & ſervili nomine depoſito, *Manem* ſe, hoc eſt, Perſice, *Diſputatorem* dixit, ſuoſque errores diſſeminare cœpit. Sed veterator iſte, cum Perſarum Regis filium, expulſis Medicis, a quibus ſanari potuiſſet, precibus ſuis ſanandum ſpopondiſſet, nec tamen promiſſis ſletiſſet, infante intra ipſius manus mortuo, in carcerem conjectus eſt, ex quo poſtea fugiens in Meſopotamiam venit, ubi cum ſuæ Hæreſeos zizaniam ſpargeret, ab Archelao Carcharorum in Meſopotamia Epiſcopo in publica diſputatione convictus, tantoque pudore ſuffuſus eſt, ut ſtatim fugam arripuerit, ſicut teſtantur S. Hieronymus in lib. de Scriptoribus Eccleſ. cap. 72. & Photius libr. 1. adverſus Manichæos ſuis temporibus repullulantes. Acta integra diſputationis Archelai cum Manete exhibet Cl. *Zacagnius* tom. 1. Collect. Monument. veterum Eccleſiæ Græcæ, ac Latinæ. Dum autem fugeret *Manes*, a ſatellitibus interceptus eſt, ac Regis Perſarum juſſu vivus cute exutus, & poſtea Feris objectus, ejuſque pellis ad ludibrium ſuſpenſa eſt. Hęc fuit ſors Manetis Parentis peſtilentis Hæreſis, quæ in Ægypto, in Palæſtina, in Perſide, in Galliis, & in Hiſpania longas propagines reliquit, & in perniciem Eccleſię ad ſęculum uſque ſextum perduravit.

D. Quinam ſunt errores, quos diſſeminavit *Manes*?

M. In primis, duo rerum omnium principia coæterna, & ſubſiſtentia *Manes* pręſtituit, *Bonum* ſcilicet, quod Deum, & lucem nuncupabat; & *Malum*, quod tenebras, vel etiam materiam cum pravo ſuo genio, & Diabolo appellabat. Primum principium bonum ajebat eſſe fontem omnium bonorum, & ab eo res ſuperiores eſſe productas. Omnia vero mala, inter quæ libros veteris Teſtamenti reponebat, a malo principio prodiiſſe affirmabat. Pręterea, fingebat, duo hęc principia fuiſſe quondam diſgregata, ſed principium malum, quietis impatiens, contra principium bonum moviſſe, emiſſiſque virtutibus ſuis, nec quidquam obſiſtentibus adverſariis, Dei ipſius, ſeu principii boni portionem rapuiſſe, quam corporibus animandis alligarit. Ex quo inferebat, animas tum hominum, tum jumentorum, avium, piſcium & arborum, ſicut & virtutes Cæleſtes, Solem, Lunam & Sydera divinæ ſubſtantiæ eſſe ſegmenta. Tertio, aſſerebat, duas in homine animas eſſe, bonam unam, quæ eſſet a bono principio, rationalem videlicet animam; & alteram malam, quæ eſſet a principio malo, concupiſcentiam carnis vulgo dictam, hominemque ab anima bona ad bonum, & a mala anima ad malum neceſſario determinari putabat; unde ſequebatur totius libertatis humanæ exterminium. Quarto, animas, poſt multas e corporibus in corpora migrationes, a ſervitute tandem tenebrarum ſolvi, & ad Cælum, Deumque ipſum, duodecim ſignorum, necnon Planetarum, & præcipue Solis & Lunæ, ſeu navigiorum quorumdam adminiculo, regredi fabulabatur. Quinto, negabat, Chriſtum veram ſuſcepiſſe naturam humanam, vereque paſſum, ſubjecto in Chriſti locum Jeſu quodam mali principii Filio, quem Judæi occiderunt. Sexto, nullam corporum reſurrectionem admittebat. Septimo, docebat non eſſe licitum veſci carnibus. Octavo, nuptias, ceu illicitas reprobabat. Denique, ſe Paracletum eſſe jactabat, Montani delirium, & arrogantiam æmulatus.

Manichæorum Secta duo hominum genera complectebatur, *Electorum* videlicet, & *Auditorum*. Hi, qui dicebantur Electi, externam quamdam, ſed larvatam ad aucupandam Mundi gloriam affectabant pietatis ſpeciem. Jejunabant die Dominica, die Lunæ: a vino, a carnibus, ovis, lacte, piſcibus & balneis abſtinebant: caſtitatem obſervabant, ſeque terrenis rebus nuncium plane remiſiſſe, nec opes, nec domos, nec terras poſſidere venditabant. Illi vero, qui *Auditores* vocabantur, cæterorum quidem hominum more vivebant, ſed a nuptiis abhorrebant. Quando Manichæi ad Eccleſiæ Catholicæ ſinum revertebantur, non confeſtim ad communionem recipiebantur, ſe cum eſſent in ſua doctrina verſatiles, il-

Digitized by Google

los per diuturnum tempus longo examine probare ſolita erat Eccleſia. Unde qui necdum erant baptizati, in catechumenatu diu permanebant, antequam baptiſmo initiarentur. Qui vero jam baptizati hæreſim ejurabant, in gradibus, ſeu ſtationibus publicæ pœnitentiæ diu etiam detinebantur, priuſquam communione donarentur. S. Auguſtinus, qui initio libri *de duabus Animabus* de inſana Manichæorum Secta quondam ſe fuiſſe deplorat, multique alii Eccleſiæ Doctores in Manichæos calamum ſtrinxerunt, & libros ab illis editos confutarunt. Ex hac Manichæorum Hæreſi ſub finem quarti ſæculi ortum habuit Priſcillianiſtarum Hæreſis?

D. Quiſnam fuit Author Priſcillianiſtarum Hæreſis?

M. Hanc Hæreſim ex Gnoſticorum, Manichæorum, aliorumve Hæreticorum conſtatam erroribus primus, teſte Severo Sulpicio libr. 2. Hiſtor. ſacræ, intra Hiſpanias intulit *Marcus* diverſus ab illo Marco, qui fuit Author Marcoſiorum Sectæ, cujus mentionem facit Sanctus Irenæus lib. 1. cap. 89. Secta quippe Priſcillianiſtarum orta eſt poſt Manichæorum Hæreſim; *Manes* autem, ut mox obſervavi, ſuam Hæreſim publicavit anno 277. Sæculo ferme poſt Hæreſim Marcoſiorum. Hic igitur Marcus ex Ægypto profectus, Memphi ortus, hanc Hæreſim primus in Hiſpaniam invexit, cujus auditores fuere *Agape* quædam non ignobilis mulier, & *Rethor Helpidius*, a quibus *Priſcillianus* Hiſpanus, vir nobilitate, ingenio, & facundia conſpicuus eadem Hæreſi infectus Sectam a ſuo nomine *Priſcillianiſtarum* dictam anno 379. inſtituit, quam non ſolum multi nobiles, plebeii & mulieres, ſed duo etiam Epiſcopi *Inſtantius*, & *Salvianus* amplexi ſunt. Verum *Idacius* Emeritæ Civitatis Epiſcopus Priſcillianiſtas vehementer exagitavit, ac poſt multa cum illis habita certamina, anno 380. coacta eſt Synodus Cæſar-Auguſtana, cui interfuerunt Epiſcopi Aquitaniæ, & in qua *Inſtantius*, *Salvianus* Epiſcopi, *Helpidius*, & *Priſcillianus* Laici hujus ſectæ primarii fuere damnati. Poſt Concilii celebrationem Inſtantius, & Salvianus Priſcillianum in Oppido Labilenſi Epiſcopum conſtituerunt. Tum *Ithacius* Soſſubenſis Epiſcopus, cui a Synodo Cæſar-Auguſtana negotium datum erat, ut Epiſcoporum Decretum in omnium notitiam deferret, reſcriptum a Gratiano Imperatore obtinuit, quo univerſi Hæretici Eccleſiis & Urbibus pellerentur. Inſtantius, Salvianus & Priſcillianus Romam profecti, ut coram Damaſo Papa ſeſe purgarent, ne ad conſpectum quidem Sanctorum Damaſi, & Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi admiſſi ſunt. Inde in Galliam remearunt, ſed cum S. Martinus Turonenſis Epiſcopus, aliique Antiſtites illos tanquam Hæreticos repuliſſent, appellarunt ad Cæſarem, ſeu ad tyrannum *Maximum*, qui tum temporis poteſtatem Imperii in Galliis obtinebat, & ab illo, *Macedonii* officiorum Magiſtri beneficio reſcriptum impetrarunt, quo ſuis Eccleſiis reſtituebantur, & Ithacius, qui eis conſtanter obſiſtebat, ſua ſede dejiciebatur. Ithacius itaque ſua ſede pulſus in Gallias trepidus aufugit, ubi Gregorium Præfectum adiit, eumque malas Priſcillianiſtarum artes edocuit. Sed Macedonius qui Priſcillianiſtis favebat, Gregorio Præfecto hujus cauſæ cognitionem eripuit, miſit Officiales, qui Ithacium in Hiſpanias adducerent. Fugit ille apud Treviros, & paulo poſt, ſeu anno 383. *Maximo*, qui Imperium in Occidente occupaverat, & Treviri eo anno verſabatur, ſupplicem libellum obtulit, quem cum legiſſet *Maximus*, Inſtantium & Priſcillianum ad Synodum Burdigalæ convocatam adduci juſſit. In hac Synodo convictus *Inſtantius* a Patribus exauctoratus eſt anno 385. Priſcillianus vero Epiſcopali judicio ſubeſſe nolens ad Imperatorem *Maximum* provocavit, qui, inſtigante præſertim Ithacio, ira ſuccenſus Priſcillianum ejuſque ſocios *Feliciſſimum*, & *Armenium* capite plecti juſſit, cæteros in exilium miſit. Verumtamen Ithacium, & alios ei adhærentes Epiſcopos, qui præter Eccleſiæ mores, legeſque charitatis Chriſtianæ, Hæreticorum necem procuraverant, palam reprobavit ſanior Epiſcoporum pars, & hac de cauſa illorum communionem vitabant. Sanctus Martinus Turonenſis Epiſcopus cum Ithacio, & aliis ipſi ſuffragantibus Epiſcopis communionem inire primum recuſavit, ſed ægre tandem ceſſit propter *Maximum* Imperatorem, qui Ithacio favet. Cum illis ergo communicavit Sanctus Martinus, quem tamen poſtea facti pœnituiſſe eleganter deſcribit Severus Sulpicius Dialogo 3. *de virtutibus*, & *miraculis S. Martini*. Mortuo *Maximo* Imperatore anno 388. Ithacius fuit ſua Sede depoſitus, & in exilium miſſus, cujus depoſitioni, & damnationi cum quidam Epiſcopi conſentire nollent, orta eſt inter Galliarum Epiſcopos non levis diſſenſio.

D. Fuitne Priſcillianiſtarum Hæreſis, occiſo Priſcilliano, penitus extincta?

M. Immo hæc Hæreſis, Priſcilliano occiſo, magis confirmata, latiuſque, propagata eſt, teſte Severo Sulpicio lib. 2. Hiſtor. ſacræ. Ejus ſiquidem Sectatores, qui Priſcillianum ut ſanctum prius honoraverant, poſtea ut martyrem colere cœperunt, peremptorum corpora ad Hiſpanias relata, magniſque copiis celebrata fuere eorum funera. Quin & jurare per Priſcillianum ſummo religionis loco ducebatur. Fuere tamen nonnulli Epiſcopi Priſcillianiſtæ *Sympoſius*, & *Dictinius*, qui abjicientes Hereſim ad communionem Eccleſiæ in Concilio Toletano habito anno 400. admiſſi ſunt. Alii obſtinati perſtiterunt in hac ſecta, quæ nec Edictis Imperatorum, nec ſanctionibus Conciliorum in Hiſpania reprimi potuit, ſed in quinto Eccleſiæ ſæculo maxime adhuc dilatata vigebat.

D. Quinam præcipui fuerunt Priſcillianiſtarum errores?

M. Cum Priſcillianiſtarum Hæreſis compacta eſſet ex erroribus Gnoſticorum, Manichæorum, aliorumve Hæreticorum, non potuit non eſſe turpiſſima, fæcibus inquinatiſſimorum Dogmatum in unum confluentibus. Docebant in primis Priſcillianiſtæ cum Manichæis, duo eſſe principia, bonum unum, & malum alterum, Secundo, admit-

admittebant cum Gnoſticis quaſdam virtutes ex Deo procedere, quas in tempore Deus habere cœperit, & quas ipſe ſua eſſentia præceſſerit. Tertio, conveniebant cum Noeto, & Sabellio, quod Trinitatem Perſonarum in Deo eſſe negarent. Quarto, cenſebant cum Origene, animas, antequam infunderentur in corpora, peccaſſe, & in pœnam peccati in corporibus tanquam in carceribus fuiſſe recluſas. Quinto, affirmabant cum Paulo Samoſateno, & Photino Chriſtum non eſſe Deum ſed purum hominem. Sexto, dicebant cum Marcionitis, & Manichæis, Chriſtum non ſuſcepiſſe veram carnem. Septimo, opinabantur cum Ethnicis, animas, & corpora hominum fatalibus Stellis adſtringi. Octavo, aſſerebant, Diabolum nunquam fuiſſe bonum, & plaſmationem humanorum corporum dicebant eſſe Diaboli figmentum. Hinc corporum reſurrectionem præfracte inficiabantur, & nuptias adeo exhorrebant, ut conjugia diſſolverent, & fœminas, a nolentibus viris ſepararent. Nono, animam hominis divinæ putabant eſſe ſubſtantiæ. Denique Priſcillianiſtæ ſcripturas apocryphas obtendebant, quibus commenta ſua confirmare ſtudebant. His erroribus affines erant Priſcillianiſtarum mores. Quamvis enim abſtinentia a carnibus, fucata oris, totiuſque corporis modeſtia, precum aſſiduitate, & pallore vultus pietatem mentirentur, nihiloſecius obſcœnam vitam degebant, nocturnos turpium fœminarum conventus agebant, & nudi orare ſolebant. Quapropter, ad ſuas turpitudines occultandas exiſtimabant ſibi licitum eſſe proferre mendacium etiam cum perjurio junctum, illique hoc dogma, inſtar alicujus effati, familiare erat: *Jura, perjura, ſecretum prodere noli*.

D. Recenſuiſti ne omnes Hæreſes, quæ in quarto Eccleſiæ ſæculo proruperunt?

M. Sanctus Epiphanius in libr. de Hæreſibus mentionem facit Hæreſum Audianorum, Antidicomarianitarum, Collyridianorum, & Meſſalianorum, quæ in quarto Eccleſiæ ſæculo eruperunt, ſed obſcuræ, nec multum fuere diffuſæ. Quapropter breviter me ab illis expediam, incipiendo ab Hæreſi Audianorum, quibus nomen dedit *Audæus* illius Sectæ auctor, Syrus e Meſopotamia oriundus, qui Arii temporibus vixit. Hic cum ſeverioris diſciplinæ fervidus æmulator eſſet, & ab illius obſervatione Clericos, necnon Epiſcopos deficientes liberius redargueret, ſuis intempeſtivis objurgationibus illorum in ſe concitavit odium, quod ferre non valens, ſeſe ab illorum communione divulſit, & a quodam Antiſtite, qui ab Eccleſia itidem ſeceſſerat, ordinatus Epiſcopus, Presbyteros, & Epiſcopos ſuæ Sectæ inſtituit, & privatos conventus cum ſuis Sectariis agitare cœpit. Sanctus Epiphanius nullum Audæo tribuit errorem contra Fidem, ſed tantum ait, illum craſſiori, & imperitiori modo hæc Scripturæ verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, fuiſſe interpretatum, affirmando hanc ſimilitudinem referendam eſſe ad corpus. Ob quam abſurdam interpretationem multi crediderunt, Audæum corporis humani lineamenta Deo affinxiſſe, ejuſque Sectatores *Antropomorphitas* appellarunt. Sanctus Auguſtinus in libr. de Hæreſibus hunc Antropomorphitarum errorem attribuit Audianis. Theodoretus libr. 4. Fab. Hæret. & lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 9. dicit, ſe ex vago rumore accepiſſe Audæum putaſſe tenebras, ignem, & aquam ingenita eſſe. Audiani Paſcha more Judæorum die XIV. Lunæ peragebant, in Monaſteriis, & in ſolitudine vitam degebant, nec cum Clericis, Epiſcopis, aliiſque Catholicæ Eccleſiæ Fidelibus communicare volebant. *Audæus* illorum Princeps ab Imperatore Conſtantio in Scythiam relegatus eſt, & inde tranſivit ad Gothos, quorum plurimos ad Chriſtianam Fidem adduxit, ſed quia nefario Schiſmate a communione Eccleſiæ Catholicæ manſerunt ſeparati, inter Hæreticos fuere annumerati. *Facundus* ait, eo tempore, quo ſcribebat, hoc eſt, ſub finem quinti ſæculi, iſtius Audianorum Sectæ ne ullum quidem remanſiſſe veſtigium.

Hæretici *Antidicomarianitæ* appellabantur hi, qui Mariam Matrem Chriſti ſuam poſt Partum Virginitatem amiſiſſe, ac liberos ex carnali cum Joſepho congreſſu genuiſſe effutiebant. Quibus Hæreticis omnino oppoſiti fuerunt alii Sectarii, dicti *Collyridiani*, eo quod Beatam Virginem Deiparam colerent ut Deam, & in ipſius honorem Collyridem panis per mulieres offerebant. Muliebri quippe ſexui Sacerdotii munia hæc Secta ordine præpoſtero, ſacris litteris, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ penitus contrario deferebat, ut videre eſt apud Sanctum Epiphanium Hæreſi 79.

Supereſt ut pauca dicam de Hæreſi Meſſalianorum, qui *Euchetæ*, & *Enthuſiaſtæ* quoque dicti ſunt, eo quod inſulſe Evangelii dicta interpretantes, ſuis omnibus facultatibus dimiſſis, & labore manuum prorſus neglecto ſoli Orationi vacabant. Hujus Hæreſeos Principes, ſicut teſtatur Sanctus Damaſcenus in lib. de Hæreſibus fuerunt *Dadoes*, & *Sabas*, & *Adelphius*, & *Hermas*, & *Symeon*, qui ab Eccleſiæ communione præciſi ſunt, quod dicerent, nec prodeſſe, nec obeſſe divinam eſcam, de qua Dominus ait: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, vivet in æternum*. Nec ſolum iſti Hæretici manuum operas rejiciebant, ſed etiam nullam pauperibus eleemoſynam dari debere affirmabant. Monachos non decere Eccleſiaſticis intereſſe conventibus aſſerebant. Baptiſmum nullam iis, qui eum conſequuntur, utilitatem afferre putabant, ſed ſola oratione dæmonem expelli docebant. Omnes, qui naſcuntur ex primo parente, trahere ajebant quemadmodum naturam, ſic dæmonum ſervitutem, hiſque per ſedulam orationem fugatis, advenire deinceps Spiritum Sanctum, qui præſentiam ſuam ſenſibus, & oculis exhibeat, tum corpus a perturbationum motibus, tum animam ab omni ad deteriora propenſione liberando, ita ut nec jejunio, nec corporis mortificatione opus habeat ille, qui ſemel Spiritum Sanctum adeptus eſt, quippe qui non ſolum protervis corporis motibus eximatur, ſed futura etiam prævideat, & Divinam Trinitatem oculis intueatur.

Deni-

Digitized by Google

Denique, iſti Hæretici ſomno ſeſe dedentes, ſomniorum Imagines divinum afflatum vocabant. Suos tamen errores celate maximopere ſtudebant, eoſque, quando convicti, aut detecti erant, præfracte negabant. Quamobrem Flavianus Antiochiæ Epiſcopus, cum ejuſmodi Hæreticos Edeſſæ verſari, venenumque ſuum vicinis locis inſtillare didiciſſet, Antiochiam illos pertraxit, & Adelphium unum ex primariis illius Sectæ ad ſe benigne vocans, ita blandis, & officioſis verbis demulſit, ut his delinitus Adelphius, nihilque ſuſpicatus totum latens venenum evomuerit. Tunc Flavianus patefacto morbo, & de omnibus Meſſalianorum erroribus certior plane factus Synodum convocavit, in qua Meſſaliani fuerunt damnati, & Syria expulſi. Hi vero in Pamphyliam conceſſerunt. Sed Amphilochius Lycaonum Metropoli Præpoſitus luem illic graſſantem in Synodo compeſcuit. *Letojus* etiam Melitinenſis Eccleſiæ Antiſtes, cum videret multa Monaſteria hanc Hæreſim ſuxiſſe, ſcriptis illam confutavit. Denique, Œcumenica Epheſina Synodus Meſſalianos anathemate perculit, eoſque Theodoſius Imperator lege anno 428. lata proſcripſit. Hæc tamen Hæreſis inſtar hydræ ſuis rediviva cladibus diu Orientem funeſtavit, & ex ea anno MCXVIII. *Alexii* Imperatoris tempore, manavit Hæreſis *Bogomilorum*, ut videre eſt in lib. 15. Hiſtoriæ *Annæ Comnena*, quæ his temporibus vivebat, & omnia quæ illam Bogomilorum Hæreſim ſpectant, accurate litteris conſignavit.

D. Hæc Hæreſum monſtra vidiſſe ſufficiat. Nec enim in tam craſſis confutandis Hæreticorum erroribus diutius immorari juvat.

M. *Sententias Hæreticorum prodidiſſe, ſuperaſſe eſt; patet prima fronte blaſphemia, non neceſſe habet convinci, quod ſua ſtatim profeſſione blaſphemum eſt*, inquit Hieronymus in Epiſtola ad Cteſiphontem contra Pelag. Videbimus in proximo Colloquio, quo pacto Eccleſia in Conciliis congregata omnes Hæreſes, quæ in quarto ſæculo pullularunt, profligaverit: *Eccleſia Sancta, Eccleſia una, Eccleſia Catholica contra omnes Hæreſes pugnans, oppugnari poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes prodierunt, tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa. Ipſa autem manet in radice ſua, in charitate ſua, & portæ inferi non vincent eam*, ait S. Auguſtinus lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos.

COLLOQUIUM III.

De Conciliis, quæ in quarto Eccleſiæ ſæculo ad tollenda Schiſmata, configendaſque Hæreſes variis in locis fuere celebrata.

D. Dum tot Hæreſes, & graviſſimas altercationes, quibus in quarto ſæculo exagitata eſt Eccleſia, mecum tacitus perpendo, facile intelligo, complura ad definiendas emergentes Fidei controverſias celebrata fuiſſe Concilia, quorum quidem in præcedenti Colloquio nonnullam mentionem feciſti, ſed nunc data opera omnium Conciliorum, quæ in quarto Eccleſiæ ſæculo habita ſunt, Hiſtoriam accurate texere debes, ut fidem, quam mihi a principio obſtrinxiſti, hoc pacto liberare poſſis.

M. Quarto ineunte ſæculo acerbiſſimis Ethnicorum Imperatorum perſecutionibus afflicta, & tantum non oppreſſa Eccleſia, integrum non fuit Epiſcopis hac illac diſſipatis indicere Concilia ad ſancienda ea, quæ regimen politicum, ſeu diſciplinam Eccleſiæ ſpectabant, vel ad enatos proſcribendos errores erant omnino neceſſaria. Aſt, remiſſo perſecutionum furore, Epiſcopi ſuis reſtituti Eccleſiis Synodos habere cœperunt, tum ut providerent his, qui ſæviente perſecutione lapſi erant, tum ut collapſam reſarcirent diſciplinam, & ſparſos ab Hæreticis errores penitus profligarent. Poſtea, ſub Conſtantino Magno, & ſub aliis Chriſtianis Imperatoribus mos in Eccleſia obtinuit, ut Epiſcopi unius Provinciæ ſingulis annis Concilium, quod *Provinciale* dicebatur, celebrarent; & in eo omnia negotia cum fidei, tum morum, & diſciplinæ, quæ in Provincia occurrere poterant, pertractarent. Si quæ vero inter Epiſcopos diſſenſiones oriebantur, ad illos ſopiendos cogebatur Concilium *Nationale* ita dictum, quod Epiſcopi diverſarum ejuſdem Nationis, ſeu Regni Provinciarum huic Concilio intereſſent. Denique, primum inter Principes Chriſtianos ſub *Conſtantino* Imperatore Concilium omnium Epiſcoporum totius Orbis tam Orientis, quam Occidentis ad exterminandam Arianam Hæreſim convocatum fuit: ad cujus exemplum deinde ſub aliis Imperatoribus Chriſtianis Concilia univerſi Orbis Epiſcoporum, quæ vulgo Œcumenica, ſeu Generalia vocitantur, in rem Eccleſiæ ſæpius indicta fuerunt, aſſentientibus tam Pontificibus Romanis, ad quos ſolos de jure pertinet convocare Concilia Generalia, eiſque vel per ſe, vel per ſuos Legatos præeſſe.

D. Paucis verbis generalem quidem, ſed tamen accuratam omnium Conciliorum ideam depinxiſti. Jam probe intelligo triplicis generis eſſe Concilia, *Provincialia* nimirum, *Nationalia*, & *Œcumenica*, ſeu Generalia, quæ eo potiſſimum fine convocari ſolent, ut conſulatur politico regimini Eccleſiæ, ſarta tecta conſervetur diſciplina, & omnes controverſiæ, quæ circa fidem exoriri poſſunt, judicio, & authoritate Epiſcoporum dirimantur. Nunc pleniorem Conciliorum, quæ in quarto Eccleſiæ ſæculo habita ſunt, notitiam aſſequi ut valeam, rogo te, ut juxta accuratiorem Chronologiam præfigas annos, loca, Epiſcoporum numerum, & præcipuas ſanctiones, quæ in illis editæ ſunt.

M. Concilium Sinueſſanum, quod a Clero Romano in cauſa de lapſu Marcellini Papæ pœnitentis anno 302. fertur convocatum, ordine haud dubie præcederet omnia Concilia, quæ in quarto Eccleſiæ ſæculo fuerunt celebrata, ſi Acta illius Concilii genuina eſſent, & non ſuppoſititia. At lapſus Marcellini Papæ, & Actorum Concilii Sinueſſani certa ſuppoſitionis indicia exhibent Papebrochius in Conatu Chronologico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum, Pagius in ſua Critica

tica ad annum Chriſti 302. Natalis Alexander, aliique viri eruditi. Et ſane, ut obiter dicam, Marcellini Papæ lapſum omnino commentitium eſſe, probat non ſolum ſilentium Euſebii, & Theodoreti, qui nullam de illo in Hiſtoria Eccleſiaſtica mentionem fecerunt, ſed etiam ſilentium Donatiſtarum, qui omnem licet verterint lapidem, ut Melchiadem Pontificem Romanum ſacrorum traditionis librorum reum facerent, ut hoc pacto ſententiam contra ſe latam elevarent, nulliuſque ponderis eſſe oſtenderent, nunquam tamen Marcellini Pontificis in Idololatriam lapſum objecerunt Catholicæ Eccleſiæ, quem tamen objicere non omiſiſſent ad creandum negotium Melchiadi, qui Marcellini Pontificis Presbyter fuerat, non ſecus ac ex perſona Felicis Aptungitani Cæciliano negotium faceſſebant, quod ab eo fuiſſet ordinatus, quem ſacrorum librorum traditorem affirmabant. Verum quidem eſt, quod Sancti Auguſtini tempore, poſt Carthaginenſem tamen collationem, in qua altum fuit de Marcellini lapſu Donatiſtarum ſilentium, rumor aliquis primus a Petiliano Donatiſta de Marcellini lapſu ſparſus ſit. Sed hunc rumorem, ſicut & crimina, quæ Donatiſtæ Marcellino Papæ, ejuſque Presbyteris Melchiadi, Marcello, & Sylveſtro objiciebant, falſo jactari aſſerit Sanctus Auguſtinus in lib. de unico Baptiſmo cap. 16. ubi hæc habet: *Ipſe*, ideſt, Petilianus, *ſceleratos, & ſacrilegos fuiſſe dicit; ergo innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laboro probare defenſionem meam; cum ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam.* Porro, ſic Petiliano reſpondere non potuiſſet Sanctus Auguſtinus, ſi revera Marcellinus Papa Idolis ſacrificaſſet. Nam *Petilianus* non *tenuiter*, ut ait Sanctus Auguſtinus, ſed publici facti evidentia probaſſet accuſationem ſuam, nec Sanctus Auguſtinus negare, aut ignorare potuiſſet hunc Marcellini lapſum tam memorabili pœnitentia reparatum, cujus fama omni procul dubio fuiſſet per univerſam Eccleſiam divulgata, omniumque ſermone celebrata. Denique, illius Synodi Sinueſſanæ Acta, in quibus dicitur Marcellinum Pontificem Maximum ſæviente Diocletiani perſecutione in Templo *Iſidis*, & *Veſtæ* gentium Idolis ſacrificaſſe, & poſtea lapſum ſuum publice confeſſum in Synodo pœnitentiam ſibi imponi rogaſſe, fabulam ſapiunt, ac nullam prorſus fidem merentur. Quis enim, amabo, tam bonus ut credat, multitudinem Chriſtianorum, ſicut referunt illa Acta, ad Templa Idolorum certatim perrexiſſe, ut de rumore, qui contra Marcellinum ſparſus erat, certiores fierent, & teſtimonium contra ipſum ferre poſſent, ſi eum viderent Idolis ſacrificantem? Numquid credibile eſt, graſſante perſecutione Diocletianea, quæ fuit omnium maxima, tot Chriſtianos catervatim prodiiſſe in publicum, eoſque, quod magis a veri ſpecie abhorret, ad Idolorum Templa acceſſiſſe, ut ſacrificii, aut thurificationis ſacrilegæ teſtes eſſe poſſent, quibus tamen ſacrificia, & quoſvis impiæ ſuperſtitionis ritus ſpectare, nedum illis intereſſe, non licebat, ut conſtat ex Tertulliano in lib. de Spectaculis, præſertim cap. 13. Mitto, brevitatis ergo, alia, quæ in iiſdem Actis narrantur cum circumſtantiis & formulis ita peregrinis, ut facile quiſque dijudicare poſſit illa Acta ſuppoſititia eſſe, ac ſubinde fictitiam omnino Synodum Sinueſſanam.

Anno 305. convocatum eſt Cirtenſe Concilium, hoc eſt, Cirtæ in Numidia, ut in locum defuncti illius Civitatis Epiſcopi alius ſufficeretur. Baronius, & Petavius hujus Cirtenſis Concilii Epocham fixerunt anno Chriſti 303. propter Actorum illius Concilii inſcriptionem, quæ apud S. Auguſtinum lib. 3. contra Creſconium cap. 27. indicat Concilium Cirtenſe habitum eſſe *Diocletiano octies, & Maximiano ſepties Conſulibus, quarto nonas Martii*. Qui Conſules incidunt in annum 303. non vero in annum 305. Sed, ut recte advertit doctiſſimus Valeſius in Notis ad lib. 8. Hiſt. Eccleſ. Euſebii cap. 2. mendum incurrit in hac Actorum illius Concilii inſcriptione, legendumque: *Poſt Conſulatum Diocletiani IX. & Maximiani VIII.* ideſt, anno 305. Id quippe liquido patet ex Breviculo Collationis die III. cap. 17. ubi ſic loquitur Sanctus Auguſtinus: *Nam geſta Martyrum, quibus oſtendebatur tempus perſecutionis Conſulibus, geſta ſunt Diocletiano IX. & Maximiano VIII. pridie Idus Februarias. Geſta autem Epiſcopalia Decreti Cirtenſis poſt eorum Conſulatum III. Nonas Martias, ac per hoc tredecim menſes inveniuntur*. Porro, certum eſt nonum Diocletiani Conſulatum incidere in annum 304. Cum igitur, teſte S. Auguſtino, Cirtenſe Concilium tredecim menſibus poſt Conſulatum nonum Diocletiani fuerit celebratum, non eſt dubium, quin Epocha Concilii Cirtenſis præfigenda ſit anno Chriſti 305. Huic Concilio præfuit *Secundus* Tiſigitanus Epiſcopus, qui, ſicut jam in ſuperiori Colloquio obſervavimus, Epiſcopos, qui Synodo aderant, quamvis convicti fuiſſent, quod ſæviente Diocletiani perſecutione ſacros libros Gentilibus tradidiſſent, damnare noluit, ſed ſoli Deo hujuſce cauſæ judicium reliquit.

Eodem anno 305. Petrus Patriarcha Alexandrinus indixit Alexandriæ Concilium, in quo, ut teſtatur S. Athanaſius Apologia 2. Meletius Lycopolitanus Epiſcopus multorum criminum convictus & præcipue quod vigente Maximini perſecutione ſacrificaſſet Idolis, damnatus & ſua Sede depoſitus eſt, quod ægre ferens, Schiſma fecit, neque tantum Patriarchæ Alexandrini obedientiam excuſſit, ſed ambitione abreptus contra prærogativas Sedis Alexandrinæ, Provincias Thebaidis ac vicinæ Ægypti invaſit, novum ſeſe illic oſtentavit Patriarcham & firmandi ſui cauſa cum Arianis antehac inimicis conjurationem iniit. Hujus Meletiani Schiſmatis originem aliter quidem refert S. Epiphanius Hæreſi 68. Sed plus fidei tribuendum eſt S. Athanaſio, qui illius Schiſmatis ortum vidit & in deſcribenda ſuorum temporum Hiſtoria accuratior eſt S. Epiphanio.

Incerta hactenus fuit Epocha Concilii Illiberitani, ſive Eliberitani, hoc eſt, Eliberi apud Hiſpanos in Provincia Bætica prope Granatam habiti a novemdecim Epiſcopis, quos inter eminebat Oſius Cordubenſis Epiſcopus. Probabilius

tamen

tamen eſt, iſtud Concilium anno Diocletianeæ perſecutionis incerto fuiſſe celebratum; idque colligi poſſe videtur ex Canonibus in hoc Concilio editis, in quibus multa decernnntur de Flaminibus Ethnicorum, de Corona Sacerdotum, de Chriſtianis, ſive Libellaticis, ſive thurificatis, ſive ſacrificatis; de non admittendis litteris, quas Confeſſores in gratiam lapſorum, nt reconciliarentur, ſcribebant; de deneganda lapſis tempore perſecutionis, & aliis gravium deliĉtorum reis communione etiam in exitu vitæ. Quæ omnia evincunt Concilium Illiberitanum convocatum eſſe ſæviente perſecutione Diocletiani. Quo tempore opus erat duriore diſciplina, quæ Fideles inſtar fræni contineret, ne ſuccumberent. Octoginta ſunt legitimi Canones iſtius Concilii, in quibus nihil eſt, quod ſanctum & religioſum non ſit, ut videre eſt apud *Mendozam* & Cardinalem *de Aguirre*, qui illos perdocte explicarunt. Comnunionem lapſis, aliiſque gravioribus peccatoribus etiam in fine vitæ denegari debere ſanciunt Patres Concilii Illiberitani, qui tamen hac in parte Novatianis non favent: tum quia nomine *Communionis* intelligunt Sacram Euchariſtiam, ſed non Sacramentalem abſolutionem, ſicut exponunt Mendoza & Baronius; tnm quia etiamſi Patres Concilii Illiberitani nomine *Communionis* Sacramentalem abſolutionem intelligerent, attamen cum Novatianis non conſentirent, quia Sacramentalem abſolutionem non ſtatuerunt in fine vitæ denegandam *deſperatione veniæ, ſed rigore diſciplinæ*, ſicut ſentiunt Illuſtriſſimus *Albaspinæus* Antelianenſis Epiſcopus, & *Jacobus Sirmondus*, quibus ſubſcripſerat *Petavius* in ſuis ad Epiphanium Annotationibus, ſed poſtmodum in ſuis ad Syneſium Obſervationibus mutavit ſententiam, & communionem, quam Patres Concilii Illiberitani lapſis & aliis gravioribus peccatoribus in fine vitæ denegandam decernunt, ad ſolius Euchariſtici Viatici privationem reſtrinxit. Vetant inſuper Patres Concilii Illiberitani Canone XXXVIII. ne Picturæ in Eccleſia habeantur: *Placuit picturas in Eccleſia eſse non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur*. Sed tamen non favent Iconomachis, quidquid contra obſtrepant Hæretici, qui Reformatorum nomen perperam ambiunt. In hoc ſiquidem Canone agunt Patres Concilii Illiberitani de Imagidibus Dei, ſeu Sanctiſſimæ Trinitatis; Deus enim & Sanctiſſima Trinitas proprie colitur & adoratur. Dei autem, ſeu Sanctiſſimæ Trinitatis Imagines in nſu olim non fuiſſe docent Sancti Patres, cujus quidem rationem luculenter exponit mox laudatus Albaspinæus in Commentario ad hunc Concilii Illiberitani Canonem: Vetant, inquit, Patres Illiberitani Deum in parietibus depingi, ne ſcilicet, quem Gentilibus & Catechumenis Immenſum, Omnipotentem, Inviſibilem, Æternum, Incomprehenſibilem, Spiritualem, Corporis & materiæ expertem, & immunem prædicabant, eum ipſi Gentiles & Catechumeni in ipſorum Eccleſiis, lineis & coloribus circumſcriptum & comprehenſum cernerent. Ne igitur Divini Numinis majeſtas minueretur & aliud de Deo depingeretur quam prædicarent, & quem ſupra homines extollerent, humana ſpecie depictum oculis objicerent; vetant ne in Eccleſia Imagines Dei ſuſpendantur. Hæc ad Sanctorum Imagines nullatenus pertinent. Hactenus Albaspinæus. Addi etiam poteſt, Patres Concilii Illiberitani conſulto vetuiſſe, ne id ætatis etiam Imagines Sanctorum in parietibus Eccleſiæ depingerentur. Furebat enim tum temporis atrox Diocletiani perſecutio, & grave ingruebat periculum, ne Chriſtiani haſce in parietibus pictas Imagines cogerentur relinquere, ſicque Judæorum & Gentilium in Eccleſias irrumpentium ludibrio fuiſſent expoſitæ. Potuiſſent etiam Ethnici & Judæi exiſtimare, Chriſtianos adorare lapides & ligna, in quibus depictæ videbantur & honorabantur Imagines. Nihil ergo, quod Hæreticis faveat, poſteritati reliquerunt Patres Concilii Illiberitani, ac ſubinde audiri non debent quidam Catholici Scriptores, qui Concilium iſtud Illiberitanum vel tanquam ſuppoſititium rejiciunt, vel a Novatianis celebratum eſſe aſſerunt, eo quod in illo quædam legantur Catholicæ Fidei dogmatibus apparenter repugnantia.

De Concilio Carthaginenſi ab Epiſcopis Numidiæ anno 311. contra Cæcilianum indicto, de Concilio pariter Romano ſub Melchiade Romano Pontifice anno 313. habito, in quo abſolutus eſt Cæcilianus & Donatiſtæ ſunt damnati; denique de Concilio Arelatenſi anno 314. a Conſtantino Imperatore convocato, in quo Donatiſtæ denuo fuere damnati & iterum purgatus Cæcilianus, ſat ſuperque in præcedenti Colloquio diſſerui, nec actum agere volo. Hic ſolum breviter addam, Claudium & Vitum Presbyteros, Eugenium & Cyriacum Diaconos ſummi Pontificis Silveſtri Legatos præfuiſſe Concilio Arelatenſi, in quo viginti duo Canones editi ſunt pro diſciplina Eccleſiæ, videlicet circa diem celebrandi Paſcha; circa manſionem Clericorum in Eccleſiis, pro quibus fuerunt ordinati; circa receptionem Catechumenorum & Pœnitentium, circa Baptiſma ab Hæreticis collatum; circa excommunicationes, & ordinationes ab Epiſcopis factas; circa Apoſtatas pœnitentiam in infirmitate dumtaxat poſtulantes. Quibus conditis Canonibus & abſoluto Concilio, Patres perhonorificam Synodalem Epiſtolam ad Silveſtrum Pontificem Maximum miſerunt, qua Concilii, Canonumque confirmationem, & promulgationem ad ipſum pertinere agnoſcunt.

Præter Concilium Arelatenſe, quod convocatum eſt anno 314. duo alia eodem anno fuerunt celebrata, videlicet Ancyranum & Neocæſarienſe. In Concilio Ancyrano viginti quatuor editi ſunt Canones, quorum plerique præfigunt congruum tempus pœnitentiæ, quæ imponi debet his, qui in crimina idololatriæ, homicidii, & adulterii lapſi ſunt. Alii vero Canones alia diſciplinæ Eccleſiaſticæ capita conſtituunt. V. gr. Canon nonus, Diaconos, qui ante ordinationem conteſtati fuerint, ſe velle connubio-copulari, in miniſterio decernit manere, ſi uxores poſtea duxerint;

ab eo

Digitized by Google

ab eo autem arceri debere, qui in ordinatione profeſſi ſunt continentiam, ſi nuptias poſtmodum contraxerint. Duodecimus Canon prohibet Chorepiſcopis, ne Diaconos, aut Presbyteros ordinent. Decimus tertius Canon removet a ſacris Miniſteriis Presbyteros & Diaconos, qui ab eſu carnium omnino abſtinentes, ſuſpecti erant Hæreſis Encratitarum, vel Manichæorum, qui carnes velut immundas execrabantur. Canon decimus quartus, res a Presbyteris, vacante Sede Epiſcopali, venditas, ad Eccleſiæ jura præcipit, reſciſſo contractu, revocari. Decimus ſeptimus Canon privat Epiſcopali dignitate Epiſcopos, qui a ſuis Eccleſiis expulſi alienas invadere tentarunt & adverſus alios Epiſcopos ſeditiones excitarunt. His 24. Canonibus ſubſcripſerunt octodecim Epiſcopi, quos inter principem locum obtinet *Vitalis* hujus Concilii Præſes, qui ab anno 311. uſque ad annum 319. Antiochenam rexit Eccleſiam.

In Concilio Neocæſarienſi, cui etiam præfuit *Vitalis* Antiochenus Epiſcopus, quatuordecim conditi ſunt Canones. Quorum Synopſim hic exhibebo. Primus, depoſitionis pœnam ſtatuit in Presbyteros, qui uxores acceperint. Secundus Canon, mulierem, quæ duobus fratribus nupſerit, necnon virum, qui duabus nupſerit ſororibus, ad mortem uſque a communione removet. Canon tertius, publicæ pœnitentiæ ſubjicit eos, qui pluries nupſerint. Quartus Canon, eos a pœnis Canonicis eximit, qui licet fornicandi propoſitum habuerint, illud tamen opere non compleverunt. Quintus Canon, Catechumenis peccantibus pœnas inſtituit. Sextus, Catechumenam prægnantem baptizari jubet, quando ipſa voluerit. Septimus, Presbyteris prohibet, ne in Bigamorum nuptiis prandeant. Octavus, illum, cujus uxor adulterii convicta eſt, ad Clerum vetat promoveri. Nonus & Decimus, Clericum, qui ſe ante ordinationem in peccatum carnis lapſum eſſe confeſſus fuerit, ſi ſit Presbyter, ab oblatione Sacrificii, ſi vero ſit Diaconus, ab exercitio proprii Miniſterii ſuſpendit. Canon Undecimus, prohibet, ne Presbyter ante annum triceſimum ordinetur. Duodecimus, eum, qui fuerit in ægritudine baptizatus, & qui ideo *Clinicus* appellabatur, ad honorem Sacerdotii prohibet ſublimari. Decimus tertius, Presbyteris ruris vetat Sacrificium offerre in Eccleſiis Civitatis, Epiſcopo, vel Presbyteris Urbis præſentibus. Ultimus Canon, ſeptem Diaconos in qualibet Civitate eſſe decernit. Hos quatuordecim Concilii Neocæſarienſis Canones, non ſecus ac viginti quatuor Canones Concilii Ancyrani univerſa approbavit Eccleſia, eoſque in ſuo Codice inſeruit.

D. Hæc ſunt igitur omnia particularia Concilia, quæ ante primum Generale Concilium Nicænum fuerunt in quarto Eccleſiæ ſæculo celebrata?

M. His particularibus Conciliis ante primum Concilium Generale Nicænum celebratis, addenda ſunt duo alia Concilia Alexandriæ ab Alexandro Patriarcha Alexandrino contra Hæreſiarcham Arium habita anno 321. de quibus, cum in ſuperiori Colloquio amplam ſatis mentionem fecerim, plura hic adjicere ſupervacaneum eſſe arbitror.

D. Sub quo Imperatore convocatum eſt primum Concilium Generale?

M. Sub Conſtantino Imperatore anno Imperii ejus viceſimo, ideſt, anno Chriſti 325. Concilium Generale Nicænum convocatum fuit. Ita docent Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini cap. 6. Socrates lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 5. Theodoretus lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 7. Sozomenus libr. 1. Hiſt. Eccl. cap. 16. quibus addi poteſt Epiſtola Synodica Nicæni Concilii ad Eccleſiam Alexandrinam, quam deſcripſit Theodoretus lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 11. Hinc tamen nonnulli perperam inferunt, jus, & auctoritatem convocandi Concilia Oecumenica ad Romanum Pontificem non pertinere. At enim univerſa Eccleſia hanc auctoritatem convocandi Concilia Generalia in Romanis Pontificibus ſemper agnovit, eiſque expreſſe attribuunt Patres ſecundi Concilii Oecumenici Conſtantinopoli habiti anno 381. in Epiſtola Synodica ad Damaſum Pont. Max. quam refert Theodoretus lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 9. Quapropter Conſtantius, aliique Imperatores Concilia Oecumenica non indixerunt abſque aſſenſu Romanorum Pontificum. At enim duplex in convocatione Conciliorum concurrere poteſt auctoritas, videlicet Eccleſiaſtica & civilis. Per auctoritatem Eccleſiaſticam damnantur Hereſes, extinguuntur Schiſmata, ſacri Canones ad ſanciendam Eccleſiæ diſciplinam conduntur. Auctoritas vero civilis efficit, ut Canones a Concilio ſtatuti per omnes Imperii Provincias executioni tradantur, denique ut Hæreticorum audacia atque contumacia Imperiali, vel Regia poteſtate comprimantur. Summi ergo Pontifices, in quibus reſidet auctoritas regiminis & poteſtatis Eccleſiaſticæ plenitudo, Concilia Oecumenica indixere, vel per Epiſtolam Encyclicam convocando omnes totius Orbis Epiſcopos, vel eorumdem convocationi aſſenſum præbendo. Imperatores vero, qui ſuprema pollebant poteſtate civili, indixerunt Concilia Oecumenica non auctoritate Regiminis, ſed auctoritate Præſidii, ut videlicet Eccleſiæ laboranti ſuppetias ferrent, ipſique opitularentur, ut Canonum ſeſe executores, ac tutores demonſtrarent, ut ſuis expenſis Epiſcopos ad loca, in quibus celebrabantur Concilia, deducerent ac reducerent; demum, ut eorum auctoritate freti Antiſtites, promptius, ac facilius Hæreticorum impetus frangere poſſent. Cum igitur Jus convocandi Concilia Oecumenica ad ſolum Romanum Pontificem ſpectet, non eſt dubium quin Conſtantinus Magnus, juxta ac religioſus Imperator, primam Generalem Synodum Nicænam cum conſenſu Silveſtri Romani Pontificis convocaverit.

D. Jam in præcedenti Colloquio obſervaſti, trecentos, & octodecim Epiſcopos interfuiſſe Concilio Nicæno, ſed de his, qui huic Concilio Generali præfuerunt, nihil hactenus dixiſti.

M. Concilio Nicæno præfuerunt *Oſius* Cordubenſis Epiſcopus, *Vitus*, & *Vincentius* Presbyteri, qui fuerunt Legati Silveſtri Romani Pontificis, ſicut diſerte teſtatur Gelaſius Cyzicenus libr. 2. Hiſt.

Digitized by Google

Hiſt. Concilii Nicæni cap. 5. *Launojus* Doctor Sorbonicus non negat Oſium e Nicænæ Synodi Præſidibus unum fuiſſe, ſed contendit, illum præfuiſſe non propter Romani Pontificis vices ipſi demandatas, ſed propter celebritatem nominis, & ſingularem ipſius meritorum præſtantiam. Sed in hoc fallitur. Quis enim credat Oſium mediocris Eccleſiæ in Hiſpania Epiſcopum, ante Legatos Sedis Apoſtolicæ, ante Alexandrinum, & Antiochenum Patriarchas, ante totius Africanæ Eccleſiæ Primatem Cæcilianum in Oriente, & in aliena Provincia ob nominis dumtaxat celebritatem præſuiſſe Concilio Œcumenico, in quo, ut norunt omnes, non tam nominis celebritas, quam *Hierarchicus* ordo promicare debet. Præterea præſidentiam Oſii in Concilio Nicæno male ab ejus meritis deducit *Joannes Launojus*. Erant quippe in Concilio Nicæno multi Epiſcopi, qui meritis aut Oſio æquales erant, aut ſuperiores. Aderat ſiquidem *Paphnutius* unus ex illis Confeſſoribus, quos Imperator Maximianus, dextris oculis effoſſis, & ſiniſtro poplite ſucciſo, ad metalla damnarat. Aderat *Potamon* Heracleæ in Ægypto Epiſcopus, & ſacris ſtigmatibus in perſecutione decoratus. Aderat *Paulus* Neocæſareæ Euphratenſis Epiſcopus, qui multa in perſecutione Licinii pro Chriſti fide conſtanter paſſus eſt. Aderat *Spiridion* Thremituntis in Cypro Epiſcopus, prophetiæ, & miraculorum donis conſpicuus. Aderat *Jacobus* Niſibis in Meſopotamia Epiſcopus, qui teſte Theodoreto lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 7. ſuſcitavit mortuos, & alia edidit prodigia. Aderat *Sanctus Nicolaus* Miræ in Lycia Epiſcopus. Aderant denique *Euſtathius* Patriarcha Antiochenus, & *Alexander* Patriarcha Alexandrinus de Religione Chriſtiana optime meriti. Cum igitur iſti Epiſcopi Oſium vel æquarent, vel ſuperarent meritis, non potuit Oſius ob ſolam nominis celebritatem, & meritorum præſtantiam præeſſe Concilio Nicæno, ſed potius eo ſolo nomine illi præfuit, quia legatione Silveſtri Romani Pontificis defungebatur.

D. Adfuit ne Concilio Nicæno Imperator Conſtantinus?

M. Adfuit Conſtantinus Imperator, ſed infra Epiſcopos, & non niſi ipſis annuentibus, ſedit. Orationem habuit, qua Patres ad concordiam adhortatus eſt. Eos, qui diſputabant, attente auſcultabat, ſubnaſcentes rumores conſopiebat, ſuum modeſte ſenſum inſinuabat, cum ſingulis amice colloquebatur, teſte Euſebio libro tertio *de vita Conſtantini* cap. 13. In tanta autem veneratione Religioſiſſimus hic Imperator habuit *Paphnutium*, ut ſæpius illum complecteretur, & oculum, qui ipſi in confeſſione fidei fuerat avulſus, avidioribus oſculis demulceret, teſte Rufino lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 4. Uno verbo, Conſtantinus Imperator ſeſe erga omnes Epiſcopos adeo beneficum exhibuit, ut præter vecturas itinerum, omneſque victus impenſas, quas illis regali munificentia ſuppeditavit, libellos famoſos, & calumniis refertos ſibi ab Arianis contra Orthodoxos Antiſtites oblatos e veſtigio comburi juſſerit, hanc Cedro dignam, marmorique inſcribendam proferens ſententiam: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis quoque judicandi; & ideo nos a vobis recte judicamur: Vos autem non poteſtis ab hominibus judicari: propter quod Dei ſolius inter vos expectate judicium*. Id refert Rufinus lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 1.

D. Quibus de cauſis convocatum eſt Concilium Generale Nicænum?

M. Tribus potiſſimum de cauſis convocatum eſt Concilium Generale Nicænum. Primo, ad damnandam Hæreſim Arii. Secundo, ad tollendas diſſenſiones Eccleſiarum circa tempus celebrandi Paſcha. Tertio, ad extinguendum Schiſma Meletii. Quod ſpectat primum caput, Arius anathemate confoſſus, proſcripta illius Hæreſis, editumque Fidei Symbolum, cui vox ὁμοούσιον apposite inſerta eſt ad cohibendam, quaſi cauterii uſtione, omnem Arianorum cavillandi, ac tergiverſandi licentiam. Quoad ſecundum caput, decrevit Sancta Synodus feſtum Paſchatis eadem die ab omnibus Eccleſiis eſſe celebrandum, videlicet die Dominica proxime ſequente lunam decimam quartam menſis Martii poſt vernum Æquinoctium. Poſtremo, quantum ad tertium caput, judicata eſt Meletii cauſa, & ſancitum eſt a Patribus Nicænis, ut Meletius, nudo Epiſcopi retento nomine, in ſua Lycopolitana Civitate abſque juriſdictione, & ullis Epiſcopi functionibus permaneret; hi autem, qui ab eo ſacris fuerant initiati, Alexandrino Patriarchæ ſubjacerent, aliis Eccleſiarum Miniſtris poſtpoſiti, ut videre eſt in Epiſtola Synodica Concilii Nicæni ad Eccleſias Ægypti, & Pentapolis, quæ extat apud Theodoretum lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 6. His ita conſtitutis, Nicæni Patres viginti Canones ad ſanciendam diſciplinam condiderunt, & Epiſtolam ſcripſerunt ad Eccleſiam Alexandrinam de rebus in Concilio a ſe geſtis, quam deſcripſit Theodoretus lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 10. Conſtantinus etiam Imperator Epiſtolam Encyclicam de rebus in Concilio Nicæno actis ad omnes Eccleſias direxit, quam referunt Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini cap. 17. Socrates lib. 1. cap. 6. & Theodoretus loco mox citato.

D. Exhibe, quæſo, Synopſim viginti Canonum, quos ad ſanciendam diſciplinam edidit Synodus Nicæna?

M. Primus Canon Eunuchos, qui ſe ſponte abſciderint, a ſacris Ordinationibus, & Ordinum ante ſuſceptorum functionibus arcet. Secundus, prohibet Neophytorum Ordinationes. Tertius, ſubintroductarum mulierum contubernium Clericis interdicit, ſolius matris, ſororis, amitæ, vel earum perſonarum, quæ omnem ſuſpicionem effugiunt, cohabitatione ipſis permiſſa, & convictu. Quartus Canon, Ordinationes Epiſcoporum ab omnibus Epiſcopis Comprovincialibus, ſi fieri poteſt, vel ſaltem a tribus de cæterorum aſſenſu fieri jubet, aſſerto Metropolitanis confirmandi jure. Quintus, excommunicatum ab uno Epiſcopo vetat recipi ab aliis. Ne vero tam Clerici, quam Laici ab Epiſcopis injuſte excommunicantibus opprimantur, ſtatuit ſacra Synodus eodem Canone, ut ad ejuſmodi

cauſas

cauſas dijudicandas bis in anno celebrentur Concilia Provincialia, unum ante Quadrageſimale tempus, alterum in Autumno. Sextus Canon, Patriarcharum jura confirmat, & præcipit, ut antiqua per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim ſervetur conſuetudo, ita ut Alexandrinus Epiſcopus in his locis ſuam juriſdictionem exerceat, exemplo Romani Pontificis, cui parilis mos eſt, nimirum ut poteſtatem habeat in omnes ſui Patriarchatus Eccleſias, Ordinationes celebrando, vel confirmando, & totius Patriarchatus ſui Concilia congregando.

D. Canon iſte ſextus Concilii Nicæni mihi ſubobſcurus videtur, nec adhuc, ut candide fatear, aſſequor quid ſibi velit? Clarius itaque expone, quænam ſint illa jura, ac privilegia, quæ Synodus Nicæna tribuit Epiſcopo Alexandrino, in quo jura, & privilegia Epiſcopi Alexandrini componantur cum juribus, & privilegiis Epiſcopi Romani?

M. Circa iſtius ſexti Canonis Concilii Nicæni intelligentiam viri eruditi digladiantur, & necdum inter illos convenit. Alii cum *Joanne Launojo* diſſertatione *de recta Nicæni Canonis ſexti intelligentia*, contendunt, eo Canone Alexandrinum inter & Romanum Epiſcopum comparationem dumtaxat institui quoad jus Metropoliticum Ordinationum. Alii vero, quorum ſententiæ utroque pollice ſubſcribo, docent, hunc Canonem ſextum Concilii Nicæni non de Metropolitanis, ſed de Patriarchis eſſe intelligendum, eoque Alexandrinum Epiſcopum cum Romano componi non ſolum quoad jus Metropoliticum, verum etiam quoad jura Patriarchica tam celebrandarum Ordinationum, aut confirmandarum electionum, quam circa omnia alia jura, & privilegia Patriarchicæ dignitatis, itaut genuinus ſenſus hujus Canonis ſit, Epiſcopum Alexandrinum in Ægypto, Lybia & Pentapoli omnibus juribus, & privilegiis Patriarchicæ dignitatis frui debere, quibus Romanus Pontifex in Eccleſiis, quæ ejus Patriarchatui ſubjiciebantur, potiri ſolebat. Verum, cum in iſto Canone ſexto Concilii Nicæni termini Patriarchatus Alexandrini aſſignentur, ſed de Romani Patriarchatus terminis nihil ſtatuatur, variæ inde natæ ſunt opiniones de terminis Patriarchatus Romani Pontificis, præſertim ob perplexam Rufini Aquilejenſis Presbyteri interpretationem, qui hunc Canonem ſextum Concilii Nicæni his verbis expoſuit: *Ut apud Alexandriam, & in Urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat*. Ex hac, inquam, Rufini interpretatione orta eſt graviſſima inter Criticos *de ſuburbicariis Eccleſiis contentio*. Alii, Regiones, ſeu *ſuburbicarias* Eccleſias, quarum Romanum Pontificem ſollicitudinem geſſiſſe ait Rufinus, redigunt ad quatuor dumtaxat Regiones, videlicet *Tuſciam ſuburbicariam*, *Picenum Suburbicarium*, *Latium vetus*, *&* *Latium novum*. Alii ſuburbicariarum Eccleſiarum nomine, eas intelligunt, quæ continebantur decem Provinciis urbicariis, ita dictis, quia decem illas Provincias Vicarius Urbis Romæ ſub Præfecto Prætorio regebat. Hæ autem decem Provinciæ, juxta diviſionem a Conſtantino Imp. ſtatutam, ut videre eſt in notitia Imperii, erant iſtæ: *Campania*, *Tuſcia* ſimul cum *Umbria*, *Picenum Suburbicarium*, *Sicilia*, *Apuliæ* ſimul cum *Calabria*, *Brutii* ſimul cum *Lucania*, *Samnium*, *Sardinia*, *Corſica*, *Valeria*. Verum, qui ita ſentiunt, Patriarchatum Romani Pontificis intra anguſtiores terminos coarctant. Rem acu tetigiſſe videtur doctiſſimus *Valeſius*, qui cenſet, Rufinum per Eccleſias ſuburbicarias intellexiſſe totius Occidentis Eccleſias ſpeciali jure ſubditas Romano Pontifici, ac ſubinde Patres Concilii Nicæni in hoc Canone ſexto definire voluiſſe, quod ſicut Sedes Romana habet poteſtatem ſuper omnes Eccleſias ſuburbicarias, ideſt ſuper omnes Eccleſias Occidentis ſuo Patriarchatui ſubjectas, ita & Sedes Alexandrina poteſtatem habere debet ſupra omnes Eccleſias Ægypti, Lybiæ & Pentapolis ſuo juri Patriarchico ſubditas. Si plura circa expoſitionem illius ſexti Canonis Concilii Nicæni ſcire aveas, legeſis eruditum Schelſtratium, qui Joannis Launoji, Valeſii, Petri Marcæ, & aliorum opiniones accurate examinat, ac refellit parte 1. Antiq. Illuſtr. diſſertat. 2.

D. Genuinum ſenſum ſexti Canonis Concilii Nicæni dilucide expoſuiſti, ſed Synopſim aliorum Concilii Nicæni Canonum necdum integram exhibuiſti.

M. Septimus Canon Epiſcopo Hieroſolymitano Patriarchicum honorem propter dignitatem Civitatis, in qua præcipua Religionis Noſtræ Myſteria completa ſunt, concedit, ſed tamen Cæſarienſis Metropolitæ, cui ſubjacebat Epiſcopus Hieroſolymitanus, jura ſarta tecta conſervat. Octavus Canon Novatianos ad Eccleſiam redeuntes, & manuum impoſitione reconciliatos, ſi Clerici ſint, in Clericatu manere decernit, modo in ſcriptis profiteantur, ſe Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ dogmata ſuſcepturos; ſi vero Novatianus veniens ad Eccleſiam fuerit Epiſcopus, ſtatuit, ut Sacerdotii habeat dignitatem, niſi forte Epiſcopo Catholico placuerit Epiſcopalis nominis honorem ei concedere, ſi vero non placuerit, providebit ei aut Chorepiſcopatus, aut Presbyterii locum. Canones nonus, & decimus a ſacris Miniſteriis illos ſuſpendunt, qui abſque prævio examine ad Sacerdotium promoti, vel aliquod crimen confeſſi, vel perſecutionis tempore lapſi ſunt. Tanon undecimus, lapſis in perſecutione *Licinii* Imp. tempus pœnitentiæ præfigit. Canon duodecimus, illis, qui ſæviente perſecutione ſeſe Idololatriæ expoſuerant, reſumendo militiæ cingulum jam pro Chriſti fide abjectum, pœnitentiam tredecim annorum injungit. Canon decimus tertius, decernit, ut extreme laborantibus, ſeu moribundis ultimum, & maxime neceſſarium Viaticum non denegetur. Per illud autem ultimum, & maxime neceſſarium Viaticum multi viri eruditi intelligunt non Euchariſticam communionem, ſed abſolutionem ſacramentalem a peccatis. Canon decimus quartus, Catechumenorum in perſecutione lapſorum præſcribit pœnitentiam. Canon decimus quintus, Translationem Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum de una Eccleſia ad aliam

prohi-

Digitized by Google

prohibet. Canon decimus ſextus, Presbyteros, alioſque Clericos in Eccleſiis, pro quibus ſunt ordinati, permanere jubet. Canon decimus ſeptimus, Uſurarios a Clero arcet. Canon decimus Octavus, Diaconorum faſtum deprimit, ipſiſque inhibet, ne Sacerdotibus Euchariſtiam porrigant, aut inter Sacerdotes ſedeant. Canon decimus nonus, Pauli Samoſateni Sectatores dictos *Paulianiſtas* ad Eccleſiam redeuntes baptizari præcipit, quod eorum Baptiſma, verbis Evangelicis non conſecratum, invalidum eſſet. Canon denique vigeſimus, vetat ne diebus Dominicis, & diebus quinquaginta a Paſchate ad Pentecoſten Fideles flexis genibus orent.

D. Numquid alios Canones, præter iſtos viginti, edidit Synodus Nicæna?

M. Viginti dumtaxat Canones, quorum Synopſim exhibui, pro genuinis haberi debet. *Franciſcus Turrianus* Canones Nicænos LXXX. ex antiquo exemplari Arabico excriptos publicavit, & poſt aliquot annos prodiit alia verſio *Abrahami Ecchellenſis* Maronitæ, in qua LXXXIV. Canones Nicæni cum multis ejuſdem Synodi Statutis exhibentur. Verum, omnes iſti Canones, quos cunctæ Orientis Sectæ ſcilicet Melchitæ, Neſtoriani, Cophti, Abiſſyni, Armeni, Græci & Maronitæ ut legitimos Concilii Nicæni Canones agnoſcunt, nunc ab omnibus viris eruditis communi calculo exploduntur tanquam omnino ſuppoſititii, quippe qui varia continent contra omnem antiquitatem, immo contra Concilium Nicænum pugnant. Sunt quidem illi antiqui, ſicut oſtendit Abrahamus Ecchellenſis, ſed tamen poſt Concilium Chalcedonenſe procuſi, cum in eis ſæpe *Patriarchæ* nomen legatur, quod tamen tum primum audiri cœpit. Plura de his Canonibus legere potes apud Schelſtratium parte 2. Antiquit. Illuſt. diſſertatione 2. cap. 4.

D. Narraſti ne omnia quæ geſta ſunt in Concilio Nicæno?

M. Duo adhuc ſuperſunt Facta ſingulari ſane obſervatione digna, quæ Socrates, & Sozomenus memoriæ prodiderunt, & quæ ipſe breviter attingam. Primum eſt, quod *Aceſius* Novatianorum Epiſcopus a Conſtantino Imperatore interrogatus, cur tandem aliquando non rediret ad communionem Eccleſiæ, cujus tamen doctrinam in Concilio Nicæno approbaverat? Reſpondit, in cauſa eſſe nimiam indulgentiam, qua Eccleſia ad communionem lapſos recipiebat. Ad hæc feſtive repoſuit Imperator: *Aceſi ſcalas igitur admove, & ſolus in Cælum aſcende*. Alterum Factum conſiſtit in Hiſtoria Paphnutii, qui, licet propter maximam caſtimoniam in magna famæ celebritate ſemper vixerit, attamen cum videret, Patres Concilii Nicæni propendere ad ferendam legem, qua Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi ſeparari deberent ab uxoribus, quas ante Ordinationem, ideſt, cum adhuc laici eſſent, in matrimonium duxerant, vehementer vociferatus eſt, aſſerens: *Illud ſatis eſſe, ut qui in Clerum ante adſcripti erant, quam duxiſſent uxores, hi, ſecundum veterem Eccleſiæ traditionem, deinceps a nuptiis ſeſe abſtinerent; non tamen quemquam ab illa, quam jampridem, cum laicus erat, uxorem duxiſſet, ſejungi debere*. Quibus Paphnutii verbis totus Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum conventus præbuit aſſenſum. Hanc Paphnutii Hiſtoriam referunt Socrates lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 8. Sozomenus lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 22. Caſſiodorus lib. 2. Hiſt. Tripart. cap. 14. & Nicephorus lib. 8. Hiſt. Eccleſ. cap. 19. Ex qua Hiſtoria duo maxime obſervanda colligunt viri eruditi. Primum eſt, quod Patres Concilii Nicæni, licet Canone tertio prohibuerint Clericis ne habitarent cum mulieribus *ſubintroductis*, ideſt extraneis, non tamen prohibuerunt Clericis ne manerent cum uxoribus, quas ante Ordinationem duxerant, nec illis continentiam ab uxoribus ante ſacram Ordinationem ductis præceperunt. Alterum eſt, quod quamvis Nicæna Synodus de Clericorum cœlibatu nihil ſtatuerit, ejus tamen temporibus Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi perpetuam continentiam ſervabant ex Eccleſiæ diſciplina, diuturno uſu & ab Apoſtolicis temporibus derivato firmata, quam *Siricius*, & alii deinde Pontifex, Conciliaque decretis ſuis, atque Canonibus roborarunt. Cujus diſciplinæ, & legis ſanctimoniam male feriati Hæretici caſtimoniæ oſores magno quidem, ſed inani ſtudio, irritoque conatu impugnant.

D. Doctrina definita in Concilio Nicæno fuitne unanimi omnium Eccleſiarum conſenſu approbata?

M. Omnes Eccleſiæ doctrinam in Concilio Nicæno definitam ſumma veneratione exceperunt, eique ſinguli Epiſcopi ſubſcripſerunt, ſi tamen excipias *Secundum* Ptolomaidis, & *Theonam* Marmaricæ, qui retinendi erroris tenaces, una cum Ario Conſtantini Imperatoris juſſu in exilium miſſi ſunt. Aſt, paulo poſt celebrationem Concilii Nicæni multas Ariani celebrarunt Synodos, in quibus varias cudentes fidei formulas in id toti incubuerunt, ut fidem Nicænam omnino everterent, ac profligarent. In primis, anno 328. vel ut alii volunt 330. Antiochiæ indixerunt Synodum, in qua Euſtathius Epiſcopus Antiochenus, cujus eximia pietas cum ſingulari doctrina conjuncta in Concilio Nicæno effulſerat, Sede ſua depoſitus eſt. S. Athanaſius *Alexandri* in Sede Alexandrina ſucceſſor, & Catholicæ fidei aſſertor ad cauſam dicendam ab Arianis accitus eſt in Synodo Cæſarienſi habita anno 333. & Sede ſua dejectus eſt in Synodo Tyria anno 335. Marcellus Ancyranus Epiſcopus, qui in Arianos ſcripſerat, damnatus eſt in Concilio Conſtantinopolitano ab Arianis coacto anno 336. Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus Sede ſua fuit abdicatus in alio Arianorum Conciliabulo anno 338. & in ejus locum Euſebius Nicomedienſis vir a capite ad talos plane Arianus fuit intruſus. In Concilio Antiocheno habito anno 341. Ariani S. Athanaſium Sede depoſuerunt, & Gregorium Arianum in ejus locum ſubrogarunt. Rurſus anno 345. juxta Clariſſimum Pagium, Ariani Antiochiam convenerunt, ibique celebrarunt Synodum, in qua promulgarunt prolixam fidei formulam, quæ ideo μακρόστιχος vulgo cognominatur, quamque Epiſcopi Occidentales anno 346. in priori

Conci-

Digitized by Google

Concilio Mediolanenſi, propter Encænia, ſeu Dedicationem Templi congregati ſuſcipere noluerunt. Sic Ariani fidem Nicænam penitus extinguere, & Sanctum Athanaſium opprimere totis ſuis viribus tentarunt. Sed ad nihilum reciderunt illorum conatus. Nam Sanctus Athanaſius in Concilio Alexandriæ habito anno 340. & in Concilio Romæ anno 342. a Julio Papa convocato fuit innocens pronunciatus. Fidem Nicænam approbarunt Epiſcopi Occidentales in priori Concilio Mediolanenſi anno 346. Cumque quatuor Epiſcopi Ariani, videlicet *Demophilus*, *Macedonius*, *Eudoxius & Martyrius*, Hæreſim Arii abjurare nollent, ab iſto jam incepto Mediolanenſi Concilio diſceſſerunt irati, prævidentes in eo reprobatum iri Arianiſmum. At cum Ariani patrocinio Conſtantii Imperatoris freti novos in dies excitarent tumultus, indictum eſt anno 347. Concilium Generale Sardicenſe.

D. Antequam ulrerius progrediaris, ſcire velim, num adhuc ſuperſint Canones editi ab his Conciliis, quæ mox recenſuiſti?

M. Superſunt adhuc viginti quinque Canones editi in Synodo Antiochena habita anno 341. in quibus Anathemate plectuntur illi, qui contra Nicænæ Decretum Synodi Paſcha cum Judæis celebraverint. A Sacris Miniſteriis excluduntur Clerici, qui ab una Eccleſia, invito Epiſcopo, migrant in aliam. Prohibetur Epiſcoporum ab una Eccleſia ad aliam translatio. Statuitur reſidentia Epiſcoporum, ipſiſque ſub excommunicationis, & exauctorationis pœna aditus ad Aulam interdicitur. Chorepiſcoporum Juriſdictio certis limitibus circumſcribitur. Conciliorum Provincialium auctoritas, nec non Metropolitanorum, & Epiſcoporum Juriſdictio confirmatur. In ultimo Canone præſcribitur Epiſcopis modus bona Eccleſiaſtica diſpenſandi, ipſiſque inhibetur, ne ille bona convertant in domeſticos uſus. *Bellarminus* lib. 1. de Conciliis cap. 5. cum videret, plures ex his Antiochenis Canonibus ſanctioris diſciplinæ ſtudium ſpirare, exiſtimavit, iſtos Canones non fuiſſe editos in Synodo Antiochena celebrata anno 341. in qua ſuperiores erant Ariani a veræ pietatis ſenſu omnino alieni, ſed putat, illos fuiſſe editos in alia Synodo Provinciali triginta Epiſcoporum Antiochiæ habita. Verum, probabilius cenſet *Pagius*, Synodo Antiochenæ celebratæ anno 341. interfuiſſe, teſte Sancto Athanaſio in lib. de Synodis, nonaginta Epiſcopos, quorum quadraginta erant Ariani, alii vero quinquaginta erant Orthodoxi. Addit vero Pagius, in primordiis illius Synodi Antiochenæ ſumma omnium Epiſcoporum conſenſione conditos fuiſſe hoſce vigintiquinque Canones, ſed poſt ſolutam Synodum a ſolis Arianis Epiſcopis dijudicatam fuiſſe cauſam Sancti Athanaſii, qui ab illis fuit Sede depoſitus. Unde conſequens eſt, non eſſe culpandam Synodum Antiochenam, cui interfuerunt quinquaginta Orthodoxi Epiſcopi, ſed illud ſolum improbandum eſſe Conciliabulum, quod a ſolis Epiſcopis Arianis poſt veram Antiochenam Synodum habitum eſt, & Sanctum Athanaſium depoſuit. Cum igitur in primordiis Synodi Antiochenæ Orthodoxi Epiſcopi ſuperiores eſſent Epiſcopis Arianis, nemini mirum videri debet, quod in ea conditi fuerint viginti illi quinque Canones, quos ad ſanciendam diſciplinam apprime utiles approbavit Eccleſia, ut conſtat ex auctoritate Concilii Chalcedonenſis, & ex teſtimonio *Ferrandi*, *Joannis* Antiocheni, *Dionyſii Exigui*, *Sancti Cæſarii* Arelatenſis Epiſcopi aliorumque plurimorum antiquorum. Unde omnes tam in Occidente, quam in Oriente, qui Canones expoſuerunt, aut Canonum Collectionem adornarunt, unanimi conſenſu Antiochenos Canones tanquam legitimos agnoverunt. (*a*)

(*a*) „ Nodum hunc in hiſtoria hujus ſæculi
„ omnium maxime implexum ita ſolvunt Balle-
„ rini fratres in append. ad opera S. Leonis Ma-
„ gni edit. ſuæ tom. 3. pag. 25. Suſpicantur igi-
„ tur ſub uno, eodemque Antiocheno Concilio
„ duo diverſorum temporum Concilia Antioche-
„ na confuſa eſſe in unum. Ex his alterum ha-
„ bitum credunt an. 341. quo plures Epiſcopi
„ occaſione ſolemnis dedicationis templi Antio-
„ cheni Antiochiam convenientes Synodum ha-
„ buerunt; cum vero illi omnes Ariani eſſent pro-
„ feſſione, ideo Synodus iſta ab Arianis cele-
„ brata fertur, eademque in Catholicos Epiſco-
„ pos ſe præbuit iniquam. Ab hoc Concilio ne-
„ quaquam latos cenſent Canones tota antiquitate
„ celebres, quique a SS. Epiſcopis catholicis ado-
„ ptati ſunt, quique tandem in omnes Catholi-
„ corum canonum collectiones venerunt. Hos ita-
„ que Canones editos ſtatuunt in altera Synodo
„ Antiochena, quæ convenit an. 332. quæque
„ ex Epiſcopis tantum Diœceſis Antiochenæ con-
„ ſtitit; convenerant enim illi, ut novum epi-
„ ſcopum, priore jam mortuo, Eccleſiæ illi da-
„ rent. Tunc vero Canones illi ſcripti a Catho-
„ licis Epiſcopis probati. Quia vero Concilium hoc
„ obſcurum extitit; & viciſſim Concilium in de-
„ dicatione templi habitum ex rebus ibi geſtis
„ longe lateque claruerit, hinc factum, ut me-
„ moria Synodi Antiochenæ an. 332. excide-
„ rit, & ſola memoria Synodi dedicationis an.
„ 341. remanſerit, adeoque Canones an. 332.
„ poſteriori huic Concilio an. 341. aſcriberen-
„ tur. Opinionem hanc ſuam Ballerini multis
„ rationibus fulciunt; expendunt præſertim no-
„ mina Theodori Laodiceni, Jacobi Niſibenſis,
„ & Anatolii Emiſſeni, quæ in Catalogo Epi-
„ ſcoporum ſubjecto Canonibus hiſce leguntur.
„ Profecto enim Theodorus Laodicenus an. 341.
„ inſulas illas jam reliquerat, Jacobus Niſibenſis
„ an. 338. obiit, Anatolius vero Synodo an. 341. in-
„ terfuiſſe nequaquam potuit, cum in exordio ejus
„ Concilii Euſebius eidem Eccleſiæ datus Epi-
„ ſcopus fuerit. Quomodo ergo tres iſti Epiſco-
„ pi his Canonibus (ſiquidem in Concilio an.
„ 341. conditi fuiſſent) nomina ſua adjicere
„ potuerint?

D. Quid actum eſt in Concilio Sardicenſi?

M. Concilium Sardicenſe ſub Julio Romano Pontifice, Conſtantii, & Conſtantis Imperator mu-

Digitized by Google

rum conſenſu convocatum eſt Sardicæ, quæ Urbs eſt inter Illyricum, Mæſiam, & Thraciam conſtituta. Huic Concilio præter Oſium Cordubenſem Epiſcopum, præfuerunt Legati Romani Pontificis *Archidamus*, & *Philoxenus*, interfuerunt que, teſte Sancto Athanaſio. Apolog. 2. Epiſcopi Orthodoxi ad minus CCLXXXIV. præter illos Antiſtites Orthodoxos, Sardicam etiam convenerunt ſeptuaginta ſex Epiſcopi Ariani, qui cauſæ ſuæ diffiſi, ac perfidiarum ſuarum conſcii, ex Urbe Sardica Philippopolim Thraciæ conceſſerunt Pſeudo-Synodum ibi habituri. In hoc Sardicenſi Concilio Athanaſius, Marcellus Ancyræ, Aſclepas Gazæ, aliique Antiſtites Catholici ab Arianis abdicati abſolutionis judicium retulerunt, ſuaſque Sedes recuperarunt, expulſis ab Alexandria *Gregorio*, Ancyra *Baſilio*, Gaza *Quintiano* Arianis Epiſcopis harum Eccleſiarum invaſoribus. Quin etiam aliquot Ariani Præſules ex his, qui Philippopolim ſeceſſerant, juridice citati, & coram adeſſe recuſantes damnati ſunt in eadem Synodo Sardicenſi, & Sedibus ſuis dejecti. Nullum fidei Symbolum ediderunt Patres Sardicenſes, ſed declararunt, ut ait Sanctus Athanaſius in Epiſtola ad Antiochenos, ſe contentos eſſe Nicæna fide, utpote cui nihil deeſſet, & in qua integra, & ſolida pietas contineretur.

At vero ſeptuaginta ſex Epiſcopi Ariani, qui facto divortio, & e Synodo Sardicenſi ſeſe ſubducentes Philippopolim convenerant, Conventiculum ibi celebrarunt, in quo Marcellum Ancyranum Epiſcopum damnarunt, ſententiam in Athanaſium latam in Pſeudo-Synodo Tyria confirmarunt, Aſclepam Gazeuſem, & Paulum Conſtantinopolitanum proſcripſerunt, in Oſium Cordubenſem, Protogenem Sardicenſem, Maximum Trevirenſem, quin & in Julium Romanum Pontificem excommunicationis ſententiam ferre non erubuerunt. Quæ omnia conſtant ex Epiſtola Synodica iſtius Conciliabuli Philippopolitani, quod, ut fucum facerent hi Epiſcopi Ariani, falſo Sardicenſis Concilii nomine nuncuparunt. Hanc Epiſtolam Synodicam, quæ tota mendaciis, & calumniis in Sanctum Athanaſium, aliosque ſanctiſſimos fidei Nicænæ defenſores ſcatet, refert S. Hilarius in fragmentis.

D. Concilium iſtud Sardicenſe fuitne Œcumenicum, & Generale?

M. Concilium Sardicenſe fuit Oecumenicum, & Generale, non ſolum convocatione, ut fatentur omnes, ſed etiam celebratione, & exitu. Nec enim divortium iſtud Epiſcoporum Orientalium impedire potuit, quin iſtud Concilium vere Oecumenicum eſſet, & Generale etiam celebratione, & exitu, quia illi Epiſcopi Orientales, qui ſe a Concilio Sardicenſi ſubduxerunt, eique adeſſe noluerunt, fuerant Ariani, aut Arianorum partibus addicti. Sic enim Sanctus Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios inducit illos Epiſcopos loquentes: *Quid igitur hæſitamus! quid moramur! fingamus aliquam cauſificationem, & diſcedamus, ne, ſi manſerimus, condemnemur. Melius eſt fuga erubeſcere, quam convictos de ſicophantia condemnari.* Non potuit ergo iſtud divortium Epiſcoporum Orientalium, qui male ob Arianam Hæreſim audiebant, & ideo male ſibi metuentes fugam arripuerunt; impedire quominus Sardicenſe Concilium eſſet celebratione, & exitu Oecumenicum.

D. Edidit ne aliquos Canones Synodus Sardicenſis?

M. Synodus Sardicenſis ſanctiſſimos edidit Canones, qui ad nos uſque pervenerunt. 20. Græci numerant. 21. Latini, quos perdocte explicat *Chriſtianus Lupus* parte 1. Decretorum, & Canonum Synodorum Generalium, & Provincialium. Patres Sardicenſes in Canonibus tertio, quarto, & ſeptimo, ſecundum Dionyſii Exigui Editionem jus appellationum ad Sedem Romanam non inſtituerunt, ut quidam male aſſerunt, ſed confirmarunt. Hoc enim ipſo, quo Romanus Pontifex, ut concors eſt omnium Catholicorum doctrina, eſt jure divino omnium Epiſcoporum, non ſolum ordine, ſed & jurisdictione primus, illiſque ſuperior, ac Univerſæ Eccleſiæ Caput, conſequens eſt, ut ad ipſum Epiſcopi, cum injuriam patiuntur, appellare poſſint. Quamobrem; jus appellationum Epiſcopalium ad Romanam Sedem Pontificii Primatus appendix neceſſaria eſt. Hinc bene multis exemplis, quæ Hiſtoria Eccleſiaſtica refert, & quæ nunc brevitatis ergo prætermitto, certiſſime conſtat complures cum Orientis, tum Occidentis Epiſcopos, quando injuſte vexabantur, ad Romanum Pontificem appellaſſe. Non me fugit, Illuſtriſſimum Petrum de Marca lib. 7. de Concordia Sacerdotii, & Imperii cap. 3. in contrariam circa appellationes ad Papam abiiſſe ſententiam. Sed omnia, quæ contra illam poteſtatem judicandi appellationes ab Epiſcopis factas ad Romanam Sedem objicit Archipræſul iſte undecumque doctiſſimus, jam a multis eruditis viris confutata ſunt, oſtenſumque, uſum appellationum, cum in Eccleſia Orientali, tum in Occidentali poſt Concilium Sardicenſe frequentem fuiſſe, ejuſque initia non recte a doctiſſimo illo Scriptore detrudi ad Concilii Trullani tempora in Eccleſia Græca, & ad octavum ſæculum in Eccleſia Latina. Quapropter, in hac refellenda Illuſtriſſimi Præſulis ſententia diutius non immorabor, ſed ſolum breviter referam Canonem quartum Concilii Sardicenſis, ex quo liquido patebit, Jus Appellationum Epiſcoporum ad Sedem Romanam fuiſſe a Patribus illius Concilii confirmatum. His verbis conceptus eſt iſte Canon: *Cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit coram Epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in Urbe Roma, alter Epiſcopus in ejus Cathedra, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata.* Hanc Canonem ſi quis, abdicatis, ut par eſt, omnibus præjudiciis, expendere haud graveture, incunctanter fatebitur, Jus Appellationum ad Sedem Ro-

Digitized by Google

Romanam fuiſſe in Synodo Sardicenſi confirmatum, nec Canonem iſtum intelligi poſſe de jure tantum reviſionis, ſicut aſſerit Petrus de Marca loco mox citato, ubi ait, Jus in Synodo Sardicenſi quæſitum Epiſcopo Romano diverſum prorſus eſſe a judicio Appellationis, nihilque aliud ei conceſſum, quam ut decernere poſſet cauſæ retractationem. Quippe, inquit ille Auctor, Synodus ſtatuit, ut ſi Epiſcopus damnatus Romanum Pontificem appellarit, in poteſtate ipſius ſit appellationem reſpuere, quo pacto ſententia Epiſcoporum Provinciæ confirmabitur; aut eam admittere, quo caſu debet Epiſcopus Romanus judicium integrum remittere ad Epiſcopos Provinciæ, & ad finitimos, ut illis cauſæ cognitionem ſuſcipiant, præſente Legato Summi Pontificis, ſi is exiſtimaverit mittendum eſſe. Hæc ille. Sed iſta doctiſſima Antiſtitis interpretatio vim infert Canoni relato, in quo non ſolum conceditur Romano Pontifici jus reviſionis, ſeu dandi novos Judices, Epiſcopos nimirum ex viciniori Provincia, ſed etiam ei aſſeritur, ac vindicatur poteſtas judicandi appellationes ab Epiſcopis factas ad Sedem Romanam, & diſcutiendi ſententiam ab Epiſcopis Provinciæ latam, atque de ea judicandi, ſi Epiſcopus depoſitus a judicio Epiſcoporum ad Sedem Romanam provocaverit.

D. Quid præſcribitur in aliis Concilii Sardicenſis Canonibus?

M. Multa præſcribuntur. In primis, migratio Epiſcoporum a minori Civitate ad majorem, quæ fit propter avaritiam, & ambitionem, tanquam pernicioſa corruptela damnatur. Epiſcopis ne frequentius, vel citra legitimam cauſam ſeſe ad Aulam conferant, vel a ſuis Eccleſiis ultra tres hebdomadas abſint, diſtricte prohibetur. Dotes, quibus pollere debent Epiſcopi, præfiguntur. Presbyteris, & Diaconis in alienis Regionibus, & Eccleſiis morari inhibetur ultra tempus Epiſcopis a Concilio definitum. Denique, alia circa multa Eccleſiaſticæ diſciplinæ capita his in Canonibus ſanciuntur (a).

„ (a) In meis ad Concilia Labbei additamentis quæſtionem excitavi de anno, quo Synodus iſta Sardicenſis celebrata eſt, quam deinde quæſtionem magna animi contentione vir eruditus P. Thomas Mamachius Ord. Prædicat. multis exagitavit. Ego igitur ſic olim exiſtimavi, & ſic hodie contendo Synodum nempe Sardicenſem ad an. 344. labentem pertinere. Rationes late in mea illa diſſertatione expendi. Cum enim occaſione Synodi hujus S. Athanaſius ad ſedem ſuam Alexandrinam rediiſſet, idemque reditus an. 346. labente contigerit, teſte Anonymo a Cl. Maffejo edito, fieri utique non poterat, ut Synodus an. 347. haberetur. Idem de anno quo S. Athanaſius reverſus eſt, confirmat S. Hieronymus in ſuo Chronico ex editione Pontacis, ad quem locum ita pariter admonet Vallarſius in ſua editione Veronenſi operum S. Hieronymi. Ita demum confirmat Synodus Agrippinenſis an. 436. habita, in qua Euphrates Agrippinenſis Epiſcopus de hæreſi damnatus, & depoſitus eſt. Hic vero Euphrates a Synodo Sardicenſi legatus miſſus fuit ad Conſtantium Imperatorem ad impetrandam S. Athanaſii reſtitutionem in ſua ſede. Quis rogo, ſibi perſuaſerit, Epiſcopum jam damnatum, & depoſitum ob hæreſim mitti a Concilio Catholico potuiſſe legatum in cauſa Catholici epiſcopi. Si autem ſtatuerimus Concilium Sardicenſe an. 344. coaluiſſe, omnia recte fluunt; tunc enim Euphrates necdum ſuſpectus de hæreſi, nec depoſitus deſtinatus eſt legatus, qua legatione peracta tunc demum ab Agrippinenſi Synodo damnari potuit, & deponi. Meæ huic opinioni plurimum etiam favet inſcriptio Synodi Sardicenſis, quam in veteri Codice Surius invenit, quæ ſane annum habiti Concilii ſignat nomine Conſulum anni 344. Vide hæc latius expoſita in eadem mea diſſertatione.

„ Hac reſtituta Concilii Sardicenſis Epocha & a priſtina ſede remota alia etiam Concilia in cauſa S. Athanaſii habita novæ ſæpe epochæ aſſignavi. Ita Romana Synodus ſub Julio, habita a me creditur exeunte anno 341. rejecique priorem Romanam Synodum, quæ ſtatim poſt Sancti Athanaſii adventum in urbe celebrata a Labbeo, nulla Scriptore ſuffragante, refertur. Anno eodem & ante Romanam coacta eſt Synodus Antiochena dedicationis, de qua ſupra, coacta vero circa menſem Auguſtum.

„ Eodem anno nondum elapſo Arriani Epiſcopi, Narciſus ſcilicet & Maris cum Sociis fidei confeſſionem ad Conſtantem detulerunt.

„ Concilium Antiochenum triennio poſt hanc oblationem Confeſſionis habitum ad annum 344. vel forte 345. refero, ibi vero procuſa eſt formula μακρόστιχος, de qua hic Graveſonius. Eodem vel ſequenti Philippopolitanum Concilium ab Arrianis celebratum.

„ An. 346. aſſigno Concilium Agrippinenſe, ut ex titulo actorum apparet. Hanc Synodum ſpuriam judicat Tillemontius, nulla alia potiori ratione adducta, niſi quod cenſuerit hanc Synodum ante Concilium Sardicenſe conveniſſe, adeoque damnare nequaquam potuiſſe Euphratem Agrippinenſem Epiſcopum, quem Synodus Sardicenſis anno ſequenti, ut ipſe opinatur, dignum judicavit, ut legatione ad Conſtantium ſuſcepta ejuſdem Concilii nomine reſtitutionem Athanaſii impetraret.

„ Anno 347. aſſignavi Synodum Mediolanenſem pro admittendis primo in Communionem Urſacio & Valente, quos dein poſt biennium an. 349. Julius Papa in ſuam pariter communionem recepit.

„ An. 348. aſcribo Synodum Carthaginenſem,

„ in

Digitized by Google

,, in qua mentio facta eſt legationis a Paulo, & ,, Macario in eam provinciam geſtæ. Venerunt ,, enim illi an. 348. Eidem etiam aſſigno Romanum Concilium biennio poſt Mediolanenſe ,, congregatum, teſte S. Hilario fragm. 2. In illo damnatus eſt Photinus.

,, Non vacat ulterius excurrere, cum in nova ,, Conciliorum editione, quæ nunc Venetiis procuditur, latius hæc omnia diſcuſſa videri poſſint. Ex hac etiam diſſertatione pronum eſt ,, repetere plura alia Concilia, quæ hic apud ,, Graveſonium non apparent.

D. Recenſe alia Concilia, que in quarto Eccleſiæ ſæculo fuerunt celebrata.

M. Anno 347. paulo poſt Concilium Sardicenſe, celebratum eſt aliud Concilium Mediolanenſe, quo Legati Julii Romani Pontificis conſederunt. *Photinus*, ob inſtauratam Pauli Samoſateni impietatem damnatus eſt. *Urſacius* Syngidonis, & *Valens* Murſi in Pannonia Epiſcopali libellum pœnitentiæ obtulerunt, & veniam eorum omnium, quæ contra Nicænum Concilium, & S. Athanaſium actitarant, poſtularunt; Arianam Hereſim abjurarunt, eiſque pacem, & reconciliationem indulſit Concilium, ut docet Epiſtola Synodica Concilii Ariminenſis, idemque teſtantur ipſemet Urſacius, & Valens in altero libello, quem poſtea porrexerunt Romæ Julio Papæ his verbis: *Item Anathema dicimus iis, qui negant Chriſtum Deum eſſe, & Filium Dei ab æterno; ſicut per priorem libellum noſtrum, quem apud Mediolanum porreximus*. In ſuperiori noſtro Colloquio mentionem fecimus trium Conciliorum, quæ Sirmii fuerunt celebrata, quorum primum habitum eſt anno 451. & in eo damnatus Photinus Sirmienſis Epiſcopus, qui aſſerebat Chriſtum eſſe purum hominem. Alterum Concilium Sirmienſe indixerunt Ariani anno 357. & in eo edita eſt fidei formula plane Ariana, cui ſubſcripſit *Oſius* Cordubenſis Epiſcopus. Tertium Sirmienſe Concilium fuit convocatum anno 358. & in eo procuſa fuit fidei formula, in qua Filius Dei Patri per omnia ſimilis dicitur. Conſtantius Imperator, profligato Magnentio anno 353. Arelate ſua tricennalia celebravit, & ea occaſione in hac Civitate Aralatenſi coactum eſt Concilium, in quo hic Imperator in Arianos propenſiſſimus, inſtigante præcipue *Saturnino* Arelatenſi Epiſcopo Ariano, Orthodoxos Antiſtites, & præſertim *Vincentium* Capuanum Epiſcopum Sedis Apoſtolicæ Legatum damnationi Athanaſii ſubſcribere coegit. Solus inter Epiſcopos reſtitit *Paulinus* Trevirenſis Epiſcopus, qui in exilium apud Phrygiam amandatus eſt. Hunc infauſtum Legatorum ſuorum exitum vehementer dolens *Liberius* Papa, miſit ad Conſtantium Imperatorem alios Legatos, qui ab eo impetrarunt convocationem Concilii Mediolanenſis, habiti anno 355. ad quod pauci ex Oriente, trecenti vero, & amplius ex Occidente Epiſcopi convenerunt. Tanta fuit in hoc Concilio Tyrannis Conſtantii Imperatoris, ut Epiſcopi Occidentales coacti fuerint ſubſcribere damnationi Sancti Athanaſii, cujus accuſatorem palam ſe profeſſus eſt Imperator, qui Euſebium Vercellenſem, Luciferum Calaritanum, Dionyſium Mediolanenſem, & alios in propugnanda fide, & juſtitia infracti pectoris viros exilio damnavit, ut teſtatur Sanctus Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios. (*a*) *Saturninus* Arelatenſis Epiſcopus Arianus a Conſtantio Imperatore obtinuit, ut Biterris Concilium cogeretur anno 356. Saturnino ſtrenue obſtitit S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, & hac de cauſa a Conſtantio Imperatore in Phrygiam relegatus eſt Sanctus ille Antiſtes, cujus beneficio ſolæ Galliæ piaculo Arianæ Hæreſeos fuere liberatæ. Hinc Galli fidem ſuam teſtatam Sancto Hilario reddiderunt, idemque de illorum conſtantia gratulatus eſt Sanctus Doctor in l. de Synodis. Rurſum Ariani Antiochiam convenerunt anno 348. in qua præeunte Eudoxio illius Urbis Epiſcopo Ariano, Synodum celebrarunt, & voces ὁμοούσιον, ideſt conſubſtantialis, & ὁμοιούσιον, ideſt ſimilis in ſubſtantia, rejecerunt. Sed Baſilius Ancyranus Epiſcopus, & Semi-Arianorum Signifer Synodum Ancyranam eodem anno coegit, in qua ſecunda Sirmienſis Formula, quæ a puris Arianis edita fuerat, damnata eſt, ſtatutumque, Patri Filium ſubſtantia eſſe ſimilem. Id ægre tulerunt Epiſcopi, qui erant puri Ariani, videlicet Eudoxius, Acacius, Valens, & Urſacius, qui Conſtantium Imperatorem pravis ſuis artibus induxerunt, ut, diviſis Epiſcopis, Occidentales quidem Arimini, Orientales vero Seleuciæ congregarentur. Annuit Imperator, maxime cum Urbs Nicomediæ, in qua Synodum prius indixerat, horrendo terræ motu fuiſſet concuſſa, eamdemque calamitatem experta eſſet Nicæna Civitas, quam poſtea pro celebratione Synodi loco Nicómediæ deſignaverat idem Imperator. Anno itaque 359. habita eſt Synodus Ariminenſis, cui interfuerunt 400. Epiſcopi Occidentales, qui, rejecta fidei Formula ſibi ab Urſacio, & Valente oblata, Nicænam fidem unanimi conſenſu probarunt, hanc ad omnia abunde ſufficere judicarunt, atque ad Conſtantium Imperatorem Legatos miſerunt, qui eum de rebus in hoc Ariminenſi Concilio geſtis certiorem facerent. At Legatorum adventum prævenerunt Urſacius, & Valens, qui vehementer offenſi, quod fuiſſent in hoc Concilio damnati, animum Imperatoris in Orthodoxos Epiſcopos ita exaſperarunt, ut illius juſſu *Taurus* Præfectus Epiſcopos Arimini detinuerit, eoſque ſic variis modis afflixerit, ut tandem qua animorum dejectione, qua precibus, & pollicitationibus, qua vi, qua dolis, & artibus, qua longioris moræ tædio, qua quietis, & reviſendarum ſuarum Eccleſiarum deſiderio compulſi fuerint Epiſcopi ad ſubſcribendum Formulæ fidei, quam Urſacius, & Valens Nicææ in Thracia ediderant. Hunc infauſtum Epiſcoporum lapſum his verbis eleganter deſcribit Oratione 21. Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Procul dubio ſtulte egerunt Paſtores ut cum Scriptura loquar, & Paſtores multi vineam meam perverterunt, & deſiderabilem partem, hoc eſt Dei Eccleſiam multis ſudoribus ipſius*

Dei pro ſalute noſtra cruciatibus relictam probro ac dedecore affecerunt. Nam ſi perpaucos exceperis, qui ob nominis obſcuritatem contemptui habiti fuerunt, vel ob virtutem reſtiterunt (quos Iſraeli ſeminis, & radicis loco relinqui oportebat, ut per Spiritus influxiones rurſum effloreſceret, atque ad vitam revocaretur) omnes tempori obſecuti ſunt. Hoc tantum inter eos diſcriminis fuit, quod alii citius, alii ſerius in eam fraudem inciderunt, atque alii impietatis duces, Antiſtiteſque ſe præbuerunt. Alii autem in ſecundo ordine locati ſunt, nempe vel timore perculſi, vel quæſtu, atque utilitate ſubacti, vel blanditiis ineſcati, vel denique ignorantia circumſcripti, quod omnium leviſſimum eſt, ſi tamen id quoque ad eorum, quibus populi cura commiſſa eſt, purgationem ſufficere videtur...... Verum his ignoſcatur, qui impiis dogmatibus per ignorantiam aſſenſum præbuerant. Quid autem de aliis dixeris, qui etiam ingenii laudem ſibi vindicantes Hæreticis tamen potentibus manus dederunt, & cum pietatis perſonam diuturno tempore tanquam per ludum geſſiſſent, ſimul ut aliquid apparuit quo convinci, atque coargui poſſent protinus corruerunt.

„ (*a*) Poſt hoc Mediolanenſe Concilium
„ aliud celebrarunt Gallicani Catholici Epiſcopi
„ in loco aliquo incerto forte Toloſæ vel Pictavis, in quo *a Saturnini Arelatenſis Epiſcopi*,
„ *Urſacii & Valentis communione S. Hilarius ſeſe una cum Galliarum Epiſcopis ſeparavit, indulta ceteris conſortibus eorum* (nempe Saturnini, Urſacii, & Valentis) *reſipiſcendi facultate, ſi tamen editum a ſe decretum illud de*
„ *lapſis admittendis placuiſſet ceteris Epiſcopis*,
„ *qui tunc pro Catholica fide exilium tolerabant*.
„ Verba hæc ſunt Sancti Hilarii in libello adverſus Conſtantium. Datus eſt ab eodem
„ Concilio ſupplex libellus ad Conſtantium pro
„ exulum reſtitutione, qui ſane libellus extat vulgatus in eodem opuſculo Sancti Hilarii ſub titulo lib. 1. ad Conſtantium. Neque enim Sancti Hilarii tantum, ſed & multorum nomine datus legitur. Pertingit libellus iſte uſque ad numerum V. ejus opuſculi.
„ Vide P. de Prato diſſertat. V. in Sulpic. Sevet.
„ pag. 239.

„ Quin & alia plura pro lapſis recipiendis
„ tunc habita fuiſſe in Galliis, in Hiſpania &
„ Græcia, erui ego ex Epiſtola Sancti Athanaſii
„ ad Rufinianum lecta in Concilio Nicæno
„ II. *Facta eſt autem* (Synodus) *& apud comminiſtros noſtros, qui Græciam habitant;*
„ *porro nihilominus & ab his qui in Hiſpania &*
„ *Gallia ſunt; & quod hic* (Concilio Alexandrino) *placuit, & ubique; itaut his qui cadunt*
„ *& præſunt impietati, ignoſcatur quidem, cum*
„ *pœnitentiam geſſerint, non autem ulterius eis locus detur in clero.*

Dum Concilium Ariminenſe ab Epiſcopis Occidentalibus ageretur, Seleuciam Iſauriæ Urbem Orientales Epiſcopi centum & ſexaginta convenerunt. Hæc Synodus Seleucienſis, cui interfuit Sanctus Hilarius, celebrata eſt coram *Lauritio* Iſauriæ Præſide & Comite *Leona*. Novam fidei Formulam Nicænæ adverſantem Acacius Arianus propoſuit, quæ rejecta eſt a Semi-Arianis, quapropter inter utramque factionem Arianorum & Semi-Arianorum gravis ſuborta eſt controverſia, quam Comes Leonas cum nullo pacto placare poſſet, coactus eſt ſolvere Concilium, in quo tamen Semi-Ariani ſuperiores fuerunt Arianis. Sed iſti apud Imperatorem Conſtantium conqueſti, Conciliabulum illius juſſu anno 360. habuerunt, in quo quinquaginta Præſules Ariani, qui aderant, fidei Formulam ab Acacio editam, quæ inter Arianas nona ab Athanaſio cenſetur, approbarunt, & depoſuerunt, omnique communione excluſerunt Semi-Arianos Epiſcopos. Tum temporis S. Hilarius videns periclitari fidem, porrexit Conſtantinopoli libellum Imperatori Conſtantio, & Arianos ad congreſſionem provocavit, ſed eorum conſilio ad Sedem Pictavienſem remiſſus eſt, quem redeuntem omnis ſuſcepit Gallia quaſi de Arianis triumphantem, quos confutarat doctiſſimis ſcriptis, & ſola provocatione terruerat.

D. Certe vehementer mirari ſubit veſaniam Arianorum, qui per omnes Mundi plagas volitabant, ut varias celebrarent Synodos & diverſas procuderent fidei Formulas.

M. Id potius adſcribendum eſt veſaniæ Imperatoris Conſtantii, qui, quamdiu vixit, ad promovendam Arianam Hæreſim nihil non molitus eſt, ut Nicænam fidem variis aboleret Pſeudo-Synodis, quæ Gentilium, atque Judæorum ludibrio & quotidianis ſubſannationibus Chriſti Religionem, Eccleſiamque exponebant. Hinc de Conſtantio veriſſime teſtatur Ethnicus Hiſtoricus *Ammianus Marcellinus* in fin. lib. 21. quod ille Imperator *Chriſtianam Religionem abſolutam & ſimplicem anili ſuperſtitione confundens, in qua ſcrutanda perplexius, quam componenda, excitavit diſſidia plurima, quæ progreſſu fuſius aluit concertatione verborum; ut catervis Antiſtitum jumentis publicis ultro citroque diſcurrentibus, per Synodos quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum trahere conatur arbitrium, rei vehiculariæ ſucciderit nervos.*

D. Poſt mortem Conſtantii Imperatoris celebraverunt ne Ariani Concilia?

M. Mortuo Conſtantio Imperatore Arianæ Hæreſis fautore, non auſi ſunt Ariani celebrare Concilia, ſed potius Orthodoxi Epiſcopi ab exilio revocati Synodos ad Arianam Hæreſim radicitus extirpandam convocarunt. S. Athanaſius anno 362. Alexandriam reverſus & ſumma ab Alexandrinis lætitia exceptus Synodum ibi coegit, in qua decretum eſt, ut Epiſcopi lapſi in Eccleſiam reciperentur, modo Hæreſim Arianam ejurarent, & fidem Nicænam profiterentur. Præterea, in hac Alexandrina Synodo definitum eſt contra Apollinariſtas, Verbum Divinum non ſolum corpus, ſed animam & mentem aſſumpſiſſe. Poſtremo, celebris controverſia de tribus admittendis in Deo Hypoſtaſibus eliquata & compoſita fuit.

S. Hi-

S. Hilarius Pictavorum Epiſcopus in Galliam reverſus, nihil antiqnius habuit, quam ut multis habitis Synodis reſarcirentur damna, quæ Patres Concilii Ariminenſis imprudentia lapſi Eccleſiæ intulerant. Unde merito S. Hieronymus in Chronico ait: *Gallia per Hilarium Ariminenſis perfidiæ dolos damnat*. Synodus Pariſienſis, quam alii anno 360. alii anno 362. celebratam fuiſſe affirmant, improbavit Epiſcopos Ariminenſes, quod nomen *Uſiæ*, ſeu *ſubſtantiæ* reticuiſſet: Damnavit Auxentium Mediolanenſem Epiſcopum, Urſacium, Valentem, & Saturnium, qui primas inter Occidentis Arianos partes tenebant, & juxta avitam Nicænæ Synodi fidem definivit, tres eſſe Sanctiſſimæ Triadis Perſonas in unitate ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ. Eamdem fidem confirmarunt omnes totius Ægypti Epiſcopi in Synodo, quam S. Athanaſius ſub Joviano Imperatore anno 363. convocavit, & Synodus Antiochena eodem anno celebrata. Quin & Semi-Ariani in Synodo Lampſacena anno 364. habita damnarunt Anomæos, ſeu Arianos abſolutos, & in ea, ſicut & in aliis Synodis Sicula & Tyanenſi anno 365. celebratis Nicænam fidem ſe profiteri, conteſtati ſunt. Damaſus Papa duas Romæ habuit Synodus. Prima coacta eſt anno 366. adverſus Valentem & Urſacium, alioſque Arianos jam damnatos, & de hac Synodo loquitur S. Athanaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Africanos. Secunda Synodus Romana adverſus Auxentium indicta eſt anno 372. De Epocha utriuſque Concilii Romani, ſicut & Synodi Illyricianæ, in qua conſubſtantialis Trinitatis fides ſtabilita eſt, legendus eſt Cl. Pagius ad annum 365. & 369. Non ſolum Romæ, ſed & in multis Conciliis per Galliam, & Hiſpaniam coactis damnatus eſt Auxentius, teſte S. Athanaſio in Epiſtola ad Epictetum. *Gratianus* Imperator anno 367. III. Non. Aug. Mediolani legem tulit, qua Cœtus, ſeu Conciliabula omnium omnino Hæreticorum prohibuit. Sub eodem Imperatore anno 381. indictum eſt Concilium Aquileienſe, cui interfuere Epiſcopi duo ſupra triginta, & inter cæteros Sanctus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, Philaſtrius Brixianus, Valerianus Aquilejenſis, & alii Epiſcopi ſanctimonia, & eruditione illuſtres. In eo damnati ſunt duo Epiſcopi Ariani *Palladius*, & *Secundianus*. Acta illius Synodi Aquilejenſis ſuppoſititia eſſe putavit *Petrus Chiffletius* e Soc. Jeſu, qui Vigilii Tapſenſis libros adverſus Arianos ſcriptos notis illuſtravit, ſed vir *Cl. Hermantius* lib. 3. cap. 3. fuſe probat, Chiffletium hac in re fuiſſe deceptum & argumenta, quibus motus eſt, ſolide confutat. Denique, imperante Theodoſio Magno, Arianiſmus profligatus, ac pene extinctus eſt in Concilio Conſtantinopolitano primo, quod eſt ſecundum Oecumenicum Generale.

D. Quo anno celebratum eſt Concilium Conſtantinopolitanum primum, & quid in eo actum eſt?

M. Concilium Conſtantinopolitanum primum ſub Pontificatu Damaſi anno 381. & ſub Theodoſio ſeniore Imperatore convocatum eſt, & prorogatum uſque ad annum 382. In primis, in hoc Concilio cui interfuerunt centum, & quinquaginta Epiſcopi, damnatus eſt *Maximus Cynicus*, qui Conſtantinopolitanam Sedem invaſerat & Epiſcopus fuerat ordinatus a Petro Alexandrino Epiſcopo, qui ad eam Ordinationem peragendam tres Epiſcopos ex Ægypto miſit, uti videre eſt in Epiſtola Epiſcoporum Italiæ ad Theodoſium Imperatorem, quam *Sirmondus* poſt Baronii mortem publicavit, & quæ tom. 2. Conciliorum Generalium pag. 1007. legitur. Baronium circa illam Maximi Cynici ordinationem deceptum fuiſſe obſervant viri eruditi: ait quippe Baronius, Petrum Alexandrinum ſeptem Epiſcopos Ægypti ad illam Ordinationem perficiendam miſiſſe, citatque hanc in rem Orationem S. Gregorii Nazianzeni in Ægyptiorum adventum. Verum hi, qui hac in Oratione nominantur, non Epiſcopi erant, ſed Laici, ſeu Nautæ, vel potius Gubernatores Claſſis Alexandrinæ, qui frumentum ex Ægypto Conſtantinopolim advexerant. Quo maxime argumento evincitur, eos Epiſcopos non fuiſſe; neque enim Epiſcopali dignitati convenit frumenti advectio. Damnata igitur in hoc Concilio Maximi Cynici Ordinatione, Sedes Conſtantinopolitana S. Gregorio Nazianzeno fuit confirmata. Secundo, in hoc Concilio proſcriptus eſt error Macedonii, negantis divinitatem Spiritus Sancti, ſimulque confixæ ſunt reliquæ Hereſes Eunomianorum, ſeu Anomæorum, Arianorum, Eudoxianorum, Semi-Arianorum, Sabellianorum, Photinianorum & Apollinariſtarum. Tertio, cum Meletius Patriarcha Antiochenus ſub finem iſtius Concilii migraſſet e vita, ei ſuffectus eſt Flavianus, reclamante licet S. Gregorio Nazianzeno, qui Paulinum unum Antiochiæ eſſe ſervandum Epiſcopum, ſicut condictum erat, & Sacramento confirmatum, prudentius cenſebat, ne Antiochenæ Eccleſiæ Schiſma, ut revera factum eſt, diutius propagaretur. Nihil tamen obtinuit S. Gregorius, immo in ipſum male affecti multi inſurrexerunt Epiſcopi, quæ ubi vidit Sanctus ille Antiſtes, uſurpatis *Jonæ* Prophetæ vocibus, Epiſcopatui nuncium ſponte remiſit, & in ejus locum ſubrogatus eſt *Nectarius* vir ex Senatorio Ordine adhuc Catechumenus, Aulæ, quam Eccleſiæ aptior. Huic Concilio Conſtantinopolitano non interfuere Epiſcopi Occidentales, quippe qui convenerant Romam, ubi Damaſus Papa Concilium convocavit, ad quod etiam acciti ſunt Epiſcopi Orientales, qui tamen acceſſerunt, moram ſuam Conſtantinopoli excuſantes, quod ob ſuarum Eccleſiarum diſcrimen in Oriente detenti, Romam proficiſci haud poſſent, temporis etiam anguſtias inſuper cauſati. Agnoſcunt tamen Romani Pontificis auctoritatem, qua eos ad ſuum Concilium jure convocabat, ut legere eſt in illorum Epiſtola Synodica.

D. Quo pacto igitur Concilium iſtud Conſtantinopolitanum primum dici poteſt Œcumenicum, cui tamen non interfuerunt Epiſcopi Occidentales?

M. Concilium iſtud Conſtantinopolitanum primum vi ſolius convocationis fuit duntaxat

Digitized by Google

Orientis Concilium. Evaſit tamen poſtea Oecumenicum, hanc illi dignitatem & auctoritatem Damaſo Papa, totaque Occidentali Eccleſia tribuentibus, & in eamdem cum Orientali Eccleſia fidei expoſitionem, Hæreſumque damnationem conſpirantibus. (*a*)

„ (*a*) Ballerini fratres in diſſertatione prævia
„ ad tom. 3. operum S. Leonis Magni cenſent
„ Concilium hoc Conſtantinopolitanum I. ante
„ tempora Concilii Chalcedonenſis non tantum
„ apud Latinos, ſed neque apud Græcos inter
„ univerſalia neque admiſſum, neque approba-
„ tum fuiſſe; idque ex eo ducunt, quod ejus
„ ſymbolum in Chalcedonenſi primum recita-
„ tum legatur, cum non extet in Epheſino I.
„ neque apud Patres Græcos, qui Chalcedonenſe
„ præceſſerunt tempore. Nemo etiam in Eutyche-
„ tem authoritatem Conſtantinopolitani urſit,
„ ex quo tamen hæretico negocium confici po-
„ tuiſſet. Inſuper Euſebius Dorilæi Epiſcopus,
„ Eutychetis accuſator acerrimus, ſolius Nicænæ
„ & Epheſinæ ſynodi ſectatorem ſe profeſſus eſt
„ in Synodo Conſtantinopolitana anni 448, &
„ præterit Conſtantinopolitanum primum; ſe-
„ cundumque inter generalia locum Epheſino tri-
„ buit. Eundemque ſecundum locum Epheſino
„ dedit ipſe Eutyches in Pſeudoſynodo Epheſina. Ex
„ his ergo conficitur Conſtantinopolitanam œcume-
„ nicam Synodum nonniſi poſt Chalcedonenſe Con-
„ cilium inter Œcumenica ſedem obtinuiſſe. Poſt-
„ quam vero Patres Chalcedonenſes ſymbolum
„ Conſtant. admiſerunt & recitarunt, tunc tan-
„ dem mos obtinuit, ut inter Œcumenica Con-
„ ſtant. I. accenſeretur. Attamen hæc vera ſunt
„ tantummodo de ſymbolo, non vero de Cano-
„ nibus, quos nondum ætate ſua receptos S. Gre-
„ gorius epiſt. 34. lib. 7. teſtatus eſt his verbis:
„ *Canones vel geſta ſynodi illius Romana Eccleſia*
„ *haſtenus non habet nec accepit*; in hoc autem
„ eandem ſynodum accepit Romana Eccleſia, quod
„ eſt contra Macedonium definitum, nempe ſym-
„ bolum fidei.

D. Edidit ne aliquos Canones Synodus Generalis Conſtantinopolitana prima?

M. Tres dumtaxat Canones in Concilio Generali Conſtantinopolitano primo conditos fuiſſe, poſt Dionyſium Exiguum probabilius cenſent viri eruditi. In primo Canone ſtatuit Sancta Synodus, ut ea, quæ in Concilio Nicæno a 318. Patribus conſtituta ſunt, fixa, immotaque permaneant, & inſuper anathemate percellit Arianos, Eunomianos, Macedonianos, Sabellianos, Photinianos, Marcellianos, & Apollinariſtas. In ſecundo Canone præcipit Sancta Synodus, ut ſua quæque Eccleſiæ ſervent Privilegia ſibi per Canones Nicænos tributa, ſuaſque ita gubernent Eccleſias Epiſcopi, ut non accedant ad alias. In tertio Canone conceſſus eſt Epiſcopo Conſtantinopolitano ſecundus poſt Romanum Pontificem in Eccleſia locus. Sed utrum hoc Canone Patriarchica dignitas, & juriſdictio in Thraciam Ponticam, Aſianamque Diœceſes Epiſcopo Conſtantinopolitano collata fuerit? an ſecundus tantummodo honoris locus? lis adhuc ſub Judice eſt, de qua necdum convenit inter peritos, quorum hinc inde conjecturas adducere nimis longum eſſet. Duo hic tantum breviter obſervabo. Primo, perperam hunc Canonem tertium explodi a Baronio ut commentitium, cum tamen antiqui omnes Codices, & quotquot ſunt Collectiones antiquæ, & mediæ, & poſtremæ ætatis Canonem illum tertium Concilii Conſtantinopolitani exhibeant, ac præterea, Socrates lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 8. Sozomenus lib. 7. cap. 9. & Nicephorus lib. 12. cap. 13. hunc Canonem tertium a Patribus Conſtantinopolitanis conditum fuiſſe teſtentur. Secundo, obſervare debes, hunc Canonem tertium, qui Epiſcopo Conſtantinopolitano adjudicat ſecundum in Eccleſia locum, & honoris Primatum poſt Romanum Pontificem, non fuiſſe ab Eccleſia Romana receptum, ac probatum uſque ad tempora Innocentii III. Pontificis Maximi, qui in Concilio Lateranenſi IV. Can. 5. Sedem Conſtantinopolitanam inter Patriarchicas ſecundo loco numerat, propriamque ei aſſerit, ac vindicat ſecundam a Romana Sede dignitatem.

D. Abſolviſti ne Hiſtoriam omnium Conciliorum, quæ in quarto Eccleſiæ ſæculo fuere celebrata?

M. Memini me in ſuperiori Colloquio mentionem feciſſe Synodi Capuanæ, quæ anno 389. habita provinciam dedit Theophilo Patriarchæ Alexandrino componendi diſſidium, quod erat Flavianum inter & Evagrium, qui ſimul, durante adhuc Schiſma, Antiochenam regebant Eccleſiam. In hac etiam Synodo Capuana damnatus eſt *Bonoſus* Sardicenſis Epiſcopus, qui duos in Chriſto filios admittebat, æternum unum & temporalem alterum. Aſſerebat inſuper, Deiparam Virginem alios poſt partum Chriſti ex carnali Joſephi congreſſu ſuſcepiſſe liberos. Hos Bonoſi errores damnavit quoque Siricius Papa, ut conſtat ex ejus Epiſtola ad Anyſium & ceteros Epiſcopos per Illyricum conſtitutos. Quin & *Marius Mercator* in Appendice ad contradictionem XII. anathematiſmi Neſtoriani aſſerit, Bonoſum fuiſſe a Damaſo Papa prædamnatum. Denique, in Synodo Capuana prohibentur omnes rebaptizationes, reordinationes, & Epiſcoporum tranſlationes. Conſulto hic prætermitto Concilia, quæ contra Donatiſtas, Priſcillianiſtas, & Meſſalianos in quarto Eccleſiæ ſæculo habita ſunt, quippe quæ in ſuperiori Colloquio ea indicaſſe abunde ſufficit.

De Epocha Conciliorum Gangrenſis, & Laodiceni, quæ in quarto Eccleſiæ ſæculo fuerunt celebrata, nihil certi ſtatui poteſt. Probabilior mihi videtur conjectura doctiſſimi Pagii, qui cenſet Concilium Gangrenſe fuiſſe convocatum anno 357. quia etſi incertum ſit, an Oſius Cordubenſis Epiſcopus præfuerit huic Concilio, conſtat tamen illum ei interfuiſſe. Porro Oſius, poſtquam Arianæ Formulæ fidei ſubſcripſiſſet, in Hiſpaniam reverſus eſt anno 358. Neceſſe igitur eſt hanc Gangrenſem Synodum fuiſſe congregatam ante annum 358. In hac autem Synodo damnatus eſt *Euſthatius* Sebaſtenus, qui jam Sede

ſua

Digitized by Google

ſtia Sebaſtem fuerat depoſitus in Synodo Cæſarienſi ante Gangrenſem incerto anno habita, ob multos errores, quos contra matrimonium, contra indicta Eccleſiæ jejunia, eſumque carnium, contra cultum Martyrum, & contra alia dogmata, & Eccleſiæ leges temere ſpargebat. Teſtantur etiam S. Epiphanius in Hæreſi Arianorum, & S. Baſilius Epiſt. LXXIV. Euſthatium Sebaſtenum in Arianæ Hæreſis defenſione ad obitum uſque obſtinato animo perſeveraſſe. Viginti Canones præſcripſit Synodus Gangrenſis, quos univerſa approbavit, & recepit Eccleſia.

Quantum attinet ad Concilii Laodicæni Epocham, certum eſt iſtud Concilium habitum fuiſſe poſt Synodum Generalem Nicænam, quidquid contra ſentiat Card. Baronius. Primo, quia Canone ſeptimo Concilii Laodicæni damnantur Hæretici Photiniani, qui aliquot annis poſt Nicænam Synodum emerſerunt. Secundo, quia Laodicena Synodus in antiqua Conciliorum collectione locum ſuum obtinet poſt Synodum Antiochenam coactam anno 341. Cl. Pagius ad annum 314. conjicit Concilium Laodicænum habitum fuiſſe anno Chriſti 363. Sed doctiſſimus Petrus de Marca lib. 3. de concordia Sacerdotii & Imperii Epocham Concilii Laodicæni retrahit ad annum 365. Hæc autem Laodicæna Synodus non Laodicææ in Syria, ſed Laodicææ in Lydia, ſeu Phrygia, & quidem Pacatiana, ſub qua Lydia, ut præferunt Canones Laodicæni apud Balſamonem, celebrata fuit, conditque ſexaginta Canones, qui ad componendos Chriſtianorum mores, & ſanciendam diſciplinam Eccleſiæ apprime utiles ſunt, & ab Eccleſia Catholica recepti. Ultimus illius Concilii Canon continet Indicem librorum ſacrorum cum veteris, tum novi Teſtamenti. His Conciliis in quarto Eccleſiæ ſæculo habitis addenda ſunt quatuor Africanæ Eccleſiæ Concilia, videlicet Carthaginenſe primum anno 348. agente & Præſide *Grato* illius Urbis Epiſcopo, & in eo ad reſtaurandam diſciplinam Eccleſiæ diro Donatiſtarum Schiſmate labefactatam conditi ſunt quatuordecim Canones. Alterum Concilium Carthaginenſe indictum eſt ſub *Genethlio* hujus Urbis Epiſcopo anno 390. & in eo tredecim conditi ſunt Canones. Concilium Carthaginenſe tertium ſub *Aurelio* Carthaginenſi Epiſcopo congregatum eſt anno 397. & in eo quinquaginta Canonibus ſancita eſt diſciplina Eccleſiaſtica. (*a*) Concilium Carthaginenſe quartum, cui interfuit *S. Auguſtinus*, & præfuit *Aurelius* Carthaginenſis Epiſcopus, celebratum eſt anno 398. & in eo quatuor ſupra centum Canones pro ſacrarum Ordinationum ritibus, pro moribus, & vita Epiſcoporum, Presbyterorum & Clericorum, pro Pœnitentiali diſciplina, pro Catechumenis, pro Viduis & Sanctimonialibus conditi ſunt ſanctiſſimi Canones. Card. Baronius exiſtimavit, Concilium Taurinenſe, in quo contentio inter Arelatenſem, & Viennenſem Epiſcopos de Primatu exorta fiduciario decreto ſedata eſt, celebratum fuiſſe anno 397. quod tamen juxta Cl. Pagium fuit dumtaxat celebratum anno 401. Quapropter, de hoc Taurinenſi Concilio opportunius agemus in Hiſtoria Conciliorum quinti Eccleſiæ ſæculi. Concilii Toletani primi Epocha ab anno 400. removenda non eſt, ut diſerte oſtendit Pagius in ſua Critica ad annum 405. In hoc Concilio Toletano 1. *Symphoſius*, & *Dictinius* Epiſcopi Priſcillianam Hæreſim, qua antea erant infecti, ejurarunt; & ideo hujus Concilii indulgentia in Sede ſua relicti ſunt, ſuſpenſa tamen communione, prius eis non impertienda, quam in Romani, & in Mediolanenſis Antiſtitum communionem recepti per illorum litteras probarentur. In hoc etiam Concilio Toletano 1. conditi ſunt viginti Canones pro diſciplina Eccleſiaſtica, ſed regula fidei, quæ Canonibus ſubjicitur, condita eſt in alia Synodo incerto loco celebrata tempore Leonis Magni Papæ, & relecta poſtea eſt in Synodo Bracarenſi prima, ſicut obſervat Pagius loco mox a me laudato.

„ (*a*) Concilium Carthaginenſe anni 397. huc
„ uſque intricatum fuit adeo, ut ad illud expli-
„ candum nemo pertigerit. Ballerini fratres in
„ diſſert. prævia ad tom. 3. S. Leonis eam pro-
„ vinciam non ante multos annos aggreſſi ſunt
„ opera non infelici. Igitur Ferrando, Con-
„ cilio ſub Bonifacio an. 525. habito, & aliis
„ adjumentis rem aggreſſi repererunt, breviarium
„ Canonum ab Hipponenſi Concilio editorum in
„ ea Synodo lectum & confirmatum fuiſſe. Sunt
„ autem Canones XXXIX. Præcedit breviarium
„ recitatio ſymboli Nicæni, ſicut & ea omnia,
„ quæ leguntur in Codice Eccleſiæ Africanæ,
„ poſt Canonem XXXIV. & incipiunt *Cæſareo*,
„ *& Attico &c.* uſque ad illa verba: *ſingula a*
„ *veſtra caritate conſiderentur*; poſt quæ dantur li-
„ teræ Aurelii & Mizonii.

COLLOQUIUM IV.

De Viris Illuſtribus, ſeu de Scriptoribus, qui doctrina, vitæque ſanctimonia quartum Eccleſiæ ſæculum illuſtrarunt.

D. CUm Chriſtiana Religio in quarto Eccleſiæ ſæculo ubique floruerit, nullus dubito quin ea ætas illuſtrium Virorum, & Scriptorum doctrinæ & ſanctitatis fama inclytorum feraciſſima fuerit. Quapropter, rem longe mihi gratiſſimam feceris, ſi celebriorum Scriptorum, qui in quarto Eccleſiæ ſæculo floruerunt, vitam compendioſe deſcribere, eorumque genuina opera ab adulterinis ſecernere velis.

M. Certum eſt, in quarto, ſicut & in ſequenti Eccleſiæ ſæculo, longe plures, quam in aliis ætatibus, viros ſanctitate conſpicuos, & illuſtres prodiiſſe Scriptores, qui doctrinam Catholicæ Eccleſiæ adverſus fidei hoſtes invicto robore propugnarunt, necnon ſanctiſſimas purioris Ethices Chriſtianæ regulas nobis in ſuis doctiſſimis Operibus ſcriptas reliquerunt. Ex his aliquos seligam, quos ſuis nativis depingam coloribus, eo-

Digitized by Google

rumque ſincera Opera ab his, quæ vel dubia, vel ſuppoſititia ſunt, accurate ſecernam.

In primis, juxta ordinem temporum, agmen Eccleſiaſticorum quarti ſæculi Scriptorum ducere debet Euſebius *Pamphili* cognomentum ſortitus ob initam cum Pamphilo Martyre ſingularem amicitiam. Fuit autem *Euſebius* Cæſareæ in Palæſtina Metropolitanus Epiſcopus, vir longe doctiſſimus, Chronographorum Eccleſiaſticorum facile Princeps, & in ſæcularium diſciplinarum peritia, omnique Hiſtoriarum genere exercitatiſſimus, cujus erudito nomini etiamnum venerabundus aſſurgit, faſceſque ſubmittit univerſus Orbis literarius. Scripſit Euſebius *Chronicon* a creatione Mundi uſque ad Conſtantini Imperatoris annum vigeſimum, quod S. Hieronymus latine reddidit, & ab anno 326. uſque ad annum 379. continuavit. Adverſus Philoſophos Chriſtianæ Religionis veritatem acerrime quoque Euſebius tuitus eſt quindecim aureis ſuis libris *de Præparatione Evangelica*, & in eumdem finem viginti elaboravit libros *de Demonſtratione Evangelica*, tot enim olim *Demonſtrationis Evangelicæ* libros fuiſſe teſtatur S. Hieronymus in Cat. Script. Eccl. & Photius in Bibliotheca, ſed hodie decem dumtaxat libri ſuperſunt. Edidit præterea Euſebius libros decem *de Hiſtoria Eccleſiaſtica*, quam a Chriſto nato auſpicatur, & per Tyrannorum tempora uſque ad Concilium Generale Nicænum primum accurate progreſſus omnia Eccleſiaſticæ antiquitatis monumenta complexus eſt. Extant adhuc quatuor libri, quos ſcripſit Euſebius *de vita Conſtantini* Imperatoris, in quibus potius eſt Encomiſta, quam Hiſtoricus. Compoſuit etiam librum *de Martyribus*, *Cyclum Paſchalem*, & librum contra *Hieroclem*, qui Apollonium Thyanæum magnum ſacrilega comparatione Chriſto Servatori noſtro æquaverat. *Apologiam* Origenis quinque libris comprehenſam una cum Pamphilo Martyre concinnavit Euſebius, quibus poſt mortem illius Martyris ſextum addidit librum. Denique, Euſebius, præter alia Opera cum Theologica, tum Critica, quæ nobis fatum invidit, ſcripſit quinque libros, qui hodie perſtant, *contra Marcellum* Ancyranum, & *Commentarium in Pſalmos*, quem doctiſſimus Pater *Bernardus de Montfaucon* publica luce donavit. At proh dolor! Euſebius, cujus indefeſſo ſtudio, vixque ſatis æſtimandis laboribus poſteritati conſecrata eſt bona Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pars, Euſebius, inquam, quem Conſtantinus Imperator ob recuſatum Epiſcopatum Antiochenum hoc Elogio celebravit: *Felicem Euſebium, qui non unius Urbis, ſed prope totius Orbis Epiſcopatu dignus eſſet*; ille tamen Euſebius in luto Arianæ Hereſeos hæſit, Epiſcopis Arianis in depoſitione Euſtathii Epiſcopi Antiocheni, & Athanaſii Patriarchæ Alexandrini impenſiſſime ſavit, totque peſtiferæ Arii doctrinæ in ſuis Operibus veſtigia reliquit, ut hi, qui illum ab hac Hæreſi vindicandum ſuſceperunt, oleum & operam perdidiſſe videantur. Mortuus eſt Euſebius anno Chriſti 340. & in aliquibus Martyrologiis, quæ laudat doctiſſimus *Valeſius* initio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebianæ, legitur XXI. Menſis Junii nomen *Euſebii Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopi*. Sed eruditus *Florentinius* hęc Martyrologia ab interpolatione egregie vindicat, pluribuſque *exercitatione ſecunda* Martyrologio Hieronymiano præfixa evincit, Euſebium Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopum in Martyrologiis locum habere non poſſe. Crediderim ipſe, quod cum plures Urbes dictæ ſint *Cæſareæ*, Euſebius iſte, qui in quibuſdam Martyrologiis memoratur die XXI. Junii, alium non eſſe, quam Euſebium Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum, Sancti Baſilii immediatum deceſſorem. In veteri quippe Martyrologio M. S. Hieronymiano, quod paſſim viri eruditi *Corbejenſe* appellant, ad diem XXI. Junii legitur: *Cæſareæ Cappadociæ Euſebii Epiſcopi*. Cardinalis Baronius exiſtimat, pro *Euſebio Samoſatenſi* infelici mutatione poſitum eſſe in quibuſdam Martyrologiis *Euſebium Cæſarienſem*. Verum, hanc Baronii conjecturam tefellit mox laudatus *Florentinius* in Notis ad Martyrologium Hieronymianum die XXI. Junii, quia Euſebius Samoſatenſis, non *Cæſareæ*, ſed *Dolichæ*, quæ Urbs Syriæ eſt ad Euphratem, martyrii palmam promeruit, teſte Theodoreto lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 4. vel in propria Samoſatæ Urbis ad Euphratem poſitæ venerationem, & cultum recepit. Cum autem nimis diſtet *Cæſareæ* nomen a *Dolichæ*, vel *Samoſatæ* appellatione, veroſimile non eſt, in quibuſdam Martyrologiis loco Euſebii Samoſatenſis poſitum fuiſſe Euſebium Cæſarienſem.

Euſebio Cæſarienſi longe diſſimilis fuit S. Euſtathius, qui Beroeæ in Syria primum Epiſcopus, dein, evectus eſt ad Antiochenæ Eccleſiæ Sedem. Ille quippe præclarus fuit Fidei Nicænæ defenſor, cujus in odium, calumnias, depoſitionem & exilium ab Arianis paſſus eſt, & ſanctiſſime in exilio obiit. Ejus Corpus Antiochiam poſtea relatum eſt ſub Zenone Imperatore, & ipſe locum in ſacris Diptychis promeruit. Homilias, Epiſtolas, Commentaria in Pſalmos, multaque adverſus Arianos Opera ſcripſit Euſtathius, quorum dumtaxat Fragmenta quædam nobis in ſuis Dialogis conſervavit Theodoretus. Tractatum etiam edidit *de Pythoniſſa*, quam conſuluit *Saul* Rex; quem Tractatum Græce, & Latine edidit *Leo Allatius* in ſyntagmate de *Engaſtrimo*. At Commentarium in Hexameron, ſive *de Opere ſex dierum*, quem Leo Allatius ſub S. Euſtathii nomine publica luce donavit, non eſſe genuinum Sancti illius Antiſtitis fœtum probant ſtyli diſſimilitudo, & veterum Patrum, & præſertim S. Hieronymi in Catalogo Scriptorum Eccleſ. ſilentium. Quo fit, ut merito hic Commentarius a viris eruditis S. Euſtathio abjudicetur.

In oppugnanda Ariana Hæreſi ſtrenue etiam adlaboravit *Alexander* Patriarcha Alexandrinus, cujus duas Epiſtolas contra Arium ſcriptas referunt Scriptores Eccleſiaſtici. Reperitur etiam in poſtrema, & caſtigatiſſima Editione Operum Sancti Athanaſii, quam doctiſſimus *Bernardus de Montfaucon* adornavit, ſententia, quam San-

ctus

ctus ille Antiſtes adverſus hunc Hæreſiarcham tulit in Synodo Alexandrina (*a*). Principatum Sedis Alexandrinæ anno 313. ſuſcepit Alexander, qui eodem anno advertit rem ſingulari obſervatione dignam, quam hic prætermittere haud poſſum. Vidit *Alexander* Pueros, qui in littore Maris ludentes, ſacros Eccleſiæ ritus exprimebant, quos inter erat Athanaſius, qui Præſulem agebat, alioſque baptizabat. Hunc ad ſe adductum poſtquam interrogaſſet, ejuſque mentem ſedulo exploraſſet, Baptiſma ab ipſo collatum ratum, ac validum habuit. Non me fugit, multos eſſe Critices diſciplinæ peritos, qui hanc Hiſtoriam in dubium revocant eo ſolo nomine, quod Athanaſius exeunte menſe Decembri anni 326. Epiſcopus Alexandrinus ordinatus eſt; unde, ſi tempore Ordinationis ſuæ annum circiter triceſimum attigerat, neceſſe eſt ut anno 313. quo hæc Hiſtoria contigiſſe dicitur, Athanaſius jam decimum ſeptimum ætatis ſuæ annum ageret, quo certe anno Athanaſium impuberem fuiſſe, & cum Pueris luſiſſe veroſimile non videtur. Aſt, hæc Criticorum ratio falſa ſuppoſitione nititur. Athanaſius ſiquidem non anno ætatis ſuæ triceſimo, ſed anno viceſimo ſexto ordinatus eſt Epiſcopus Alexandrinus anno 326. ac ſubinde anno 313. Athanaſio adhuc *impuberi*, ut loquitur Sozomenus, *iſtud accidit*. Anno ſiquidem trecenteſimo decimo tertio Athanaſius annum circiter decimum tertium agebat. Quod licet probari non poſſit ex anno, quo in lucem prodiit Athanaſius, cum de Natalitio illius anno altum ſit ubique ſilentium; attamen facile colligitur ex annis quos natus erat, quando Epiſcopus Alexandrinus creatus eſt. Diſcimus enim ex Ammone in Epiſtola ad Theophilum Alexandrinum relata a Papebrochio die XIX. menſis Maji S. Pachomio ſacra, nonnullos fuiſſe improbos, qui Athanaſii ad Eccleſiæ Alexandrinæ Thronum evecti nimiam juventutem cauſantes, Eccleſiam in factiones ſcindere conati ſunt. Porro, ſi S. Athanaſius annum ætatis ſuæ triceſimum attigiſſet, quando Epiſcopus Alexandrinus eſt ordinatus, non potuiſſent ejus adverſarii nimiam ejus juventutem cauſari, nec ejus electionem veluti non rite factam calumniari. Vero igitur quam veriſimillimum videtur, Athanaſium non anno ætatis ſuæ triceſimo, ſed anno circiter viceſimo ſexto fuiſſe ordinatum Epiſcopum Alexandrinum anno Chriſti 326. quo poſito, optime ſibi cohæret hæc Hiſtoria, quam Scriptores Eccleſiaſtici *Rufinus* lib. 10. cap. 14. Socrates lib. 1. c. 15. Sozomenus lib. 2. cap. 17. & Nicephorus lib. 8. cap. 44. Athanaſio anno 313. ætatis ſuæ annum circiter decimum tertium agenti contigiſſe referunt. Nec enim adduci poſſum ut credam, tot Scriptores ſimul conſpiraſſe, ut de Athanaſio, qui fuit poſtea acerrimus fidei Nicænæ defenſor, fabulam toti Orbi venditarent.

„ (*a*) Prætereundum non duxi extitiſſe olim „ epiſtolas Alexandri ſeptuaginta ad varios, præ„ ſertim Macarium Jeroſolymitanum, Euſebium „ Cæſarienſem, Aſclepium Gazaeum, Macarium „ Jamnienſem, Zenonem Tyrium, Philogonum „ Antiochenum, Euſtathium Berhoenſem, quæ „ omnes ejuſdem erant argumenti ac epiſtola ad „ Alexandrum Conſtantinopolitanum, de qua re „ Theodoretus lib. 1. Hiſt. cap. 4.

D. S. Athanaſium fidei Nicænæ defenſorem, & Arianorum flagellum fuiſſe probe ſcio, ſed quas ab Arianis calumnias paſſus fuerit, quotve contra ipſos ſcripſerit libros, plane ignoro.

M. Ariani cum Meletianis conjurati, ut Sanctum Athanaſium, qui Concilio Nicæno Alexandrinæ adhuc Eccleſiæ Diaconus interfuerat, penitus opprimere poſſent, Superos & Acheronta moverunt, nihilque, ut Conſtantinum Imperatorem ei redderent infenſum, intentatum reliquerunt. In primis, accuſarunt Athanaſium, quod novum tributum Ægyptiis de pendendis Eccleſiæ linteaminibus indixiſſet, quam accuſationem oppido falſam eſſe agnovit Conſtantinus Imperator. Non quievere tamen Ariani, ſed novam calumniam ſtruxerunt, perduellionis videlicet, & læſæ Majeſtatis ſcelus Athanaſio impingentes. Sed fruſtra, quia Conſtantinus, hac accuſatione accurate diſcuſſa, Athanaſium innocentem pronuntiavit, eumque cum honorificis ad Clerum, Populumque Alexandrinum de comperta illius innocentia litteris remiſit ad regendam ſuam Eccleſiam. Dilutis hujuſmodi calumniis, Athanaſium tribus aliis proinde falſis criminibus exagitarunt Ariani; quod videlicet occidiſſet *Arſenium* Hypſelitarum Epiſcopum, cujus etiam manum oſtentabant; quod inſuper rem habuiſſet cum Meretrice; & quod denique per *Macarium* Presbyterum ſuum fregiſſet Calicem in Eccleſia *Iſchyræ* Presbyteri Mæreotidis. Hæc tria crimina ſibi objecta S. Athanaſius in Pſeudo-Synodo Tyria a ſe tam evidenter amolitus eſt, ut calumniatores ſummo pudore ſuffundi debuiſſent, niſi frontem perfricuiſſent. *Arſenii* quippe cædem fictitiam eſſe oſtendit Athanaſius, vivum coram tota Synodo Arſenium inducendo, qui probe ab omnibus cognitus fabulam cum ſuis manibus manifeſtam fecit. Meretricem, quæ ſibi ab Athanaſio pudorem ereptum querebatur, falſi convicit Athanaſius per *Timotheum* Presbyterum ſuum, qui data opera fingens ſe Athanaſium eſſe, & a Meretrice ereptæ ſibi virginitatis petulantius accuſatus, calumniam accuſantis & accuſati innocentiam patefecit. (Hanc tamen Meretricis Hiſtoriam ſuſpectam habet, ac fingentis magis artificium, quam rem vere geſtam olere cenſet *Bernardus de Montfaucon*) Reſtabat Calix effractus, cujus auctor dicebatur Macarius, jubente tamen Athanaſio. De cujus facti veritate cum pronum eſſet Epiſcopis pronunciare, maxime cum *Iſchyras* hujus calumniæ auctor conſcientiæ ſtimulis actus, & amicorum ſuaſionibus impulſus veniam a S. Athanaſio, antequam ageretur Synodus Tyria, ſupplex jam petiiſſet; ſuam tamen ſententiam ſuſpenderunt iniqui Judices, ac ſex Epiſcopos Arianos, & conjuratos Athanaſii hoſtes in Mareotem Regionem cum inquirendi poteſtate delegarunt. Sed hic prætermittere haud poſſum rem ſane memorabilem, quæ in hac Pſeudo-Synodo Tyria contigit, & quam refert S. Epiphanius Hæreſi 69. Ad hanc quippe Synodum cum veniſſet *Potamon* Heracleæ in

Ægy-

Digitized by Google

Ægypto Epiſcopus, & cui tempore perſecutionis Maximiani pro fide Chriſti oculus fuerat exculptus, cumque Epiſcopum Cæſarienſem inter Judices Athanaſii eſſet conſpicatus, his verbis collacrymans & dolens eum affatus eſt: *Te ne*, inquit, *Euſebi ſedere, & inſontem Athanaſium te Judicem ferre? Quis iſthæc toleret? Dic, ſodes, nonne mecum Tyrannorum tempore in cuſtodia fuiſti? Atque ego quidem oculo ſum pro veritate mulctatus, tu nulla corporis parte mutilatus es, neque in fidei teſtimonium aliquid paſſus, ſed incolumis, integerque ades. Quanam ratione ex cuſtodia elapſus es, niſi quia pollicitus es te nefarium aliquid admiſſurum, vel fortaſſis admiſiſti?* Hinc facile conjectari poteſt, quale judicium Athanaſius ab Euſebio Cæſarienſi, & ab aliis ejuſdem farinæ Epiſcopis expectare deberet. Quam ob rem, S. Athanaſius omnem Judiciorum ordinem perturbari cernens, ſeque inter hoſtes minime ſecurum conſpiciens, relicta Synodo fugit ad Conſtantinum Imperatorem, de vi ſibi ab Arianis illata conqueſturus; quem interim abſentem indicta cauſa damnarunt Ariani, & Epiſcopatu exuerunt. Conſtantinopoli coram Imperatore ſuam cauſam ſtrenue egit Athanaſius, & ab ipſo obtinuit, ut Conſtantinopolim vocarentur Epiſcopi, qui eum Tyri damnaverant, & Hieroſolymam pro Encæniis Eccleſiæ convenerant. Sex Epiſcopi Ariani reliquis impudentiores, duo videlicet Euſebii, Nicomedienſis, & Cæſarienſis, Theognis Nicænus, Patrophilus Scythopolitanus, Valens Murſienſis, Urſacius Singidonius Conſtantinopolim profecti ſunt, ubi, omiſſo Calice fracto, novam calumniam compegerunt, dictitantes, Athanaſium minatum eſſe, ſe impediturum quo minus ex Aegypto, ut moris erat, quotannis frumentum Conſtantinopolim mitteretur, earumque minarum produxerunt conductos a ſe teſtes. Quo factum eſt, ut Conſtantinus iratus Treviros Athanaſium exulem ire juſſerit anno 336. Permirum forte tibi videbitur, quod tanta pietate, & æquitate Princeps eo maledicorum calumniis adductus fuerit, ut ne quidem expectata defenſione inſontem Athanaſium pelleret in exilium. Sed profecto mirari deſines, ſi ſemel perſpectas habeas artes Euſebii Nicomedienſis, qui totus dolis conſutus ita Imperatoris animum criminis opportunitate occupavit, ut perquam difficilis aditus veritati relinqueretur. Quod ſane haud raro in Aulis Principum contingere experientia evincit. Mortuo Conſtantino, Athanaſius a tribus Cæſaribus Conſtantini filiis ab exilio revocatus, ingenti gaudio & ſolemni pompa a Clero populoque Alexandrino exceptus eſt anno 338. Sed cum ejus reditum ægre admodum ferrent Ariani, Concilium Antiochiæ anno 341. habuerunt, in quo Athanaſium Sede Alexandrina dejecerunt, & in ejus locum intruſerunt Gregorium Cappadocem Arianum. Athanaſius ad Julium Romanum Pontificem appellavit, ſuæque ſaluti fuga conſulens, ad Sedem Apoſtolicam, velut ad aſylum, portumque tutiſſimum confugit. Romæ a Julio Papa ſumma cum benevolentia exceptus eſt Athanaſius, & in Synodo hac in Urbe celebrata abſolutus eſt. Rurſum cauſa Athanaſii in Concilio Generali Sardicenſi agitata eſt, & ipſe innocens declaratus. Quo circa anno 349. *Conſtantius* Imperator, quamvis intus & in cute Arianus eſſet, ad petitionem tamen fratris ſui *Conſtantis* Imperatoris, tribus ad Athanaſium datis Epiſtolis, illum Alexandriam revocavit, ſicque Athanaſius Sedem ſuam, mortuo jam Gregorio ejus invaſore, recuperavit. At ſequenti anno 350. e vivis ſublato *Conſtante* Imperatore, qui Catholicis impenſe favebat, Ariani apud Conſtantium Imperatorem novis artibus & calumniis Athanaſium opprimere pro viribus tentarunt, & ab ipſo tandem impetrarunt, ut ab Alexandrina expelleretur. Quam perſecutionem ſubodoratus Athanaſius Alexandriæ aliquandiu delituit, & poſtea die nona menſis Februarii anni 356. fugiens ſeceſſit in Eremum, ubi cum Sanctis Monachis vitam degit, eorumque colloquiis ærumnas ſuas, ac mœrorem demulſit. Athanaſium poſt hanc fugam, quamdiu Conſtantius vixit, Alexandriam non rediiſſe, communis eſt Scriptorum opinio, ſed viri doctiſſimi *Pagius*, & *Montfaucon* ex Epiſtola Sancti Athanaſii ad Orthodoxos ſcripta anno 356. colligunt, Sanctum Antiſtitem e ſolitudine, in quam ſeſe receperat, rediiſſe Alexandriam tempore Quadrageſimæ, eumque, quando *Georgius* Arianus Alexandrinæ Sedis invaſor, & profligatis moribus homo adventavit, latuiſſe Alexandriæ in quadam Eccleſia, ſed ne ab Arianis interceptus de medio tolleretur, in fugam iterum ſe dediſſe, & in ſolitudinem contuliſſe. Mortuo Conſtantio, & publico Edicto conceſſa ab Imperatore *Juliano* Epiſcopis exulibus redeundi licentia, Sanctus Athanaſius Alexandriam reverſus eſt anno 362. poſtquam *Georgius* ab Arianis in Sedem Alexandrinam intruſus in ſeditione populari fuiſſet occiſus, a plebe membratim diſcerptus, ejuſque cadaver contumelioſe tractum, flammiſque abſumptum eſt. Sed Ariani in calumniis, & conſpirationibus adornandis pervigiles, haud multo interpoſito ſpatio apud *Julianum* Imperatorem effecerunt, ut Athanaſius penitus exterminaretur, qui tamen ad necem quæſitus inſequentes ſe callide eluſit, & in Thebaidis ſolitudine latuit, donec ad Imperium, mortuo Juliano, evectus fuerit *Jovianus* optimus Princeps, qui Athanaſium Sedi ſuæ reſtitutum, tanquam conſtantiſſimum fidei aſſertorem plurimum coluit, non aliam ab eo quam Nicænam fidei regulam accepit, nec unquam permiſit religioſiſſimus ille Imperator, ut Ariani negotium faceſſerent Athanaſio, illumque e Sede Alexandrina exturbarent. Sed breve, heu nimium! fuit *Joviani* Imperium. *Valens*, qui ei ſucceſſit, ab Eudoxio Epiſcopo Ariano baptizatus edixit, ut omnes Epiſcopi, qui, imperante Conſtantio, depoſiti fuerant, ſuis e Sedibus pellerentur. Quam perſecutionem Sanctus Athanaſius in paterno ſepulchro deliteſcens evaſit. Tandem ab eodem Valente Imperatore anno 367. revocatus, per ſex annos in tranquillitate vixit, & variis pro Chriſti Eccleſia laboribus perfunctus, multis per quadraginta annos tempeſtatibus actus, obiit, ut probabilius cenſent viri eruditi *Pagius*, & *de Montfaucon* ſexto nonas menſis Maji anni 373. Valentiniano Aug. IV. & Valente Aug. IV.

IV. Coſs. poſtquam Alexandrinam Eccleſiam ſumma vigilantia 46. annis adminiſtraſſet, cujus laudes Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione ſingulari, quæ inter editas eſt XXI. proſecutus eſt.

Habes compendioſe deſcriptas omnes calamitates, & perſecutiones, quas S. Athanaſius paſſus eſt ab Arianis, quorum ipſe unus pene omnium impetum excepit, unus innumeros profligavit. Si autem plura ſcire deſideres, legeſis vitam S. Athanaſii a Cl. viro *Godefrido Hermantio* anno 1671. gallico idiomate editam, & omnium ſermone celebratam. Legeſis etiam vitam S. Athanaſii, quam in fronte poſtremæ editionis illius Operum præfixit doctiſſimus P. *de Montfaucon*.

Bene multa Opera compoſuit Sanctus Athanaſius, quæ ſive edita, ſive hactenus inedita, extant in poſtrema & accuratiſſima illius Operum editione a laudato P. *de Montfaucon* adornata.

Opera Sancti Athanaſii ſuppoſititia ſunt: *Diſputatio contra Arium in Synodo Nicæna. Homilia de Sanctiſſima Dei-para Virgine. Dialogi quinque de Trinitate. Tractatus de definitionibus. Dialogus inter Orthodoxos, & Macedonianum continens* 20. *Capitula. Quæſtiones* 135. *ad Antiochum. Dicta, & Interpretationes Parabolarum Evangelii. Quæſtiones* 133. *Quæſtiones aliæ* 20. *Diſputationes cum Ario Laodiceæ habitæ. De unita Deitate Trinitatis ad Theophilum libri* 7. *Ad Monachos exhortatio. Epiſtola ad Marcum Papam cum reſcripto Marci. De Paſſione Imaginis D. N. J. Crucifixæ in Beryto. Declaratio Levitici. Homiliæ ſeptem ab Holſtenio Latine editæ. Expoſitiones undecim de Incarnatione Verbi. Sanctæ Syncleticæ Virginis Alexandrinæ Vita. Refutatio Hypocriſeos Meletii, Euſebii, & Pauli Samoſateni. Hiſtoria de Melchiſedecho.*

Opera Sancti Athanaſii dubia ſunt: *Synopſis Scripturæ Sacræ. Teſtimonia ex Sacra Scriptura de communi eſſentia Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Sermo in Paſſionem, & Crucem Domini. Symbolum*, quod ſic incipit: *Quicumque vult ſalvus eſſe &c. Expoſitio Fidei.*

Opera denique Sancti Athanaſii, quæ amplius non extant, ſunt: *Commentarii in Eccleſiaſten. Commentarii in Cantica Canticorum. Contra Valentem, & Urſacium liber* 1. Variæ Epiſtolæ, præſertim Feſtales, aliaque Opera, quorum jacturam merito luget doctiſſimus P. *Montfaucon* in Præfatione poſtremæ editionis Operum S. Athanaſii (*a*).

„ (*a*) Non ante multos hoſce annos nempe
„ an. 1746. Romæ prodiit in lucem *Interpretatio*,
„ ſeu potius *Metaphraſis in Pſalmos vel in titulos*
„ *pſalmorum S.* Athanaſii nomine inſcripta cum
„ latina verſione Viri clariſſimi Nicolai Antonel-
„ li, cujus nunc meritum & doctrina Romanam
„ Cardinalitiam purpuram exornans, ampliſſimæ
„ dignitati decus auget, & ſplendorem. Alia eſt
„ autem expoſitio iſta ab ea, quæ, Montfauco-
„ nio curante, in ejus editione inter opera S.
„ Athanaſii jam comparuit, quæque, eodem
„ Montfauconio licet reclamante, a Tillemontio
„ tamen inter ſpuria, vel ſaltem dubia rejicitur.
„ Alia eſt etiam a Commentario, Athanaſii no-
„ mine inſcripto, quem Bibliotheca Ambroſiana
„ Mediolani & Juſtiniana Venetiis ſervant, ejuſ-
„ que ſpecimen Em. Antonellus in ſua præfatio-
„ ne ad hanc, de qua agimus, metaphraſim ex-
„ hibet, & ſpurium eſſe Athanaſii fœtum ipſe
„ cum aliis agnoſcit. Alia inſuper a Commen-
„ tario in Pſalmos ejuſdem Athanaſii nomine
„ præfixo, & Illyrice exarato, cujus pariter ſpe-
„ cimen dat idem vir Eminentiſſimus. Hujus
„ ergo, de qua loquimur, interpretatio congrue-
„ re utcunque poteſt cum opere inter Athanaſia-
„ na a S. Hieronymo indicato ſub titulo *Com-*
„ *mentarius in titulos Pſalmorum*. Cur vero addi-
„ derim *utcunque* in cauſa eſt, quia licet inter-
„ pretatio iſta Pſalmorum titulos explicet ac
„ commentatione illuſtret, reliquos tamen Pſalmo-
„ rum verſiculos omnes metaphraſice exponit.
„ Legi opus iſtud diligenter, nec aliquid offendi,
„ quod Athanaſii ſincerum fœtum non demon-
„ ſtret. Probabile eſt etiam congruere cum titulo
„ a S. Hieronymo indicato; licet enim in to-
„ tum Pſalterium excurrit, adhuc tamen inter-
„ dum in titulis diffuſior eſt, ut in titulo Pſalmi
„ CXXXII. Quare & meum pariter judicium pro
„ ſinceritate hujus operis accedat judicio Scotti,
„ Holſtenii, & Cl. Editoris, qui illi favent, ut
„ exhibitis eorum verbis idem Cl. auctor demon-
„ ſtrat.

D. Hactenus credideram, Symbolum, cujus initium eſt: *Quicumque vult ſalvus eſſe &c.* genuinum eſſe Sancti Athanaſii fœtum, maxime cum iſtud Symbolum ſub nomine Sancti Athanaſii in Divinis Officiis recitandum proponat Eccleſia. Rationem igitur ſcire velim, cur iſtud Symbolum inter dubia Sancti Athanaſii Opera reponas.

M. Hoc Symbolum, quod vulgo dicitur Sancti Athanaſii, ideo inter dubia illius Patris Opera repoſui, quia omnes ferme hujus temporis periti Critici illud Sancto Athanaſio abjudicant. Sed quia nonnulli poſt Baronium hoc Symbolum S. Athanaſio attribuunt, malui inter dubia Sancti Athanaſii Opera illud recenſere, quam inter ſuppoſititia omnino numerare. Præcipuæ autem rationes, quibus moventur eruditi Critici, ut hoc Symbolum abjudicent Sancto Athanaſio, ſunt iſtæ. Primo, quia in antiquis, & probatæ fidei Codicibus MSS. pene omnibus Operum Sancti Athanaſii hoc Symbolum deſideratur, & de eo ne vola quidem, ac veſtigium ullum apparet. Secundo, quia ſtylus, ſermoniſque contextus nequaquam Græci hominis eſt, ſed latini, quod certe non cadit in Athanaſium, qui nonniſi imperfecte latinam linguam callere potuit. Tertio, ſi Symbolum iſtud revera Athanaſii fuiſſet, omni procul dubio illud laudaſſent Cyrillus Alexandrinus, Epheſina Synodus, Sanctus Leo Papa, & Concilium Chalcedonenſe, dum contra Neſtorianam, & Eutychianam Hæreſes loquuntur. Hoc ſiquidem Symbolum Neſtorianorum, & Eutychianorum errores diſerte rejicit. Ex quo etiam evincitur hoc Symbolum a Sancto Athanaſio non fuiſſe editum, cum certiſſime conſtet, Neſtoria-

norum,

Digitized by Google

norum, & Eutychianorum Hæreſes poſteriores eſſe S. Athanaſio. Quarto, ſi illud Symbolum eſſet Sancti Athanaſii, illud etiam citaſſent Patres Latini, qui poſt exortum Schiſma Photianum uſque ad Gregorii IX. tempora contra Græcos de Proceſſione Spiritus ſancti acerrime diſputarunt. Nemo quippe negare poteſt, quod hoc Symbolum in quo aperte adſtruitur Proceſſio Spiritus ſancti a Patre & Filio, ad convincendos Græcos Schiſmaticos magnum habuiſſet pondus ob ſummam Sancti Athanaſii in utraque Eccleſia auctoritatem; & tamen nec Latini Patres, qui contra Græcos Schiſmaticos de Proceſſione Spiritus ſancti diſputarunt, nec Patres, qui contra Neſtorianam, & Eutychianam Hæreſes ſcripſerunt, ullam omnino illius Symboli mentionem fecerunt. Hæ ſunt in ſumma rationes, quibus moventur periti Critici, qui hoc Symbolum abjudicant Sancto Athanaſio. Ex adverſo, hi qui cum Eminentiſſimo Annalium parente hoc Symbolum Sancto Athanaſio vindicant, ſuas itidem proferunt rationes, & momenta. Quo fit, ut, cum de Auctore illius Symboli necdum inter eruditos viros conveniat, illud inter dubia ſaltem Sancti Athanaſii Opera reponendum eſſe duxerim, quod nemo mihi vitio vertere debet (*a*).

„ (*a*) Operam profecto, oleumque perderem, ſi verſandam iterum ſuſciperem ſpartam, quæ viros doctiſſimos huc uſque fatigavit, inveſtigandi ſcilicet auctorem ſymboli vulgo inſcripti: *Quicunque*. Unum hic tantummodo indicare operæ pretium duxi, nempe, ne conſtare quidem de tempore, quo prodire in lucem, atque innoteſcere cœpit. Vulgata quidem opinio tenet medio ſæculo VII. celebrem jam, & in uſu fuiſſe Symbolum hoc, & nomen S. Athanaſii prætuliſſe, uti conſtat ex Canone Synodi Auguſtodunenſis ſub S. Leodegario, in quo nomine *fidei S. Athanaſii* deſignatum creditur. Quin & Toletana IV. Synodus habita an. 633. formulis nonnullis in eodem Symbolo recurrentibus, utitur; ex quo inferunt eruditi jam tunc formulam hanc fidei innotuiſſe. Et mihi quidem hæc ſententia probabilis ſemper viſa eſt; vix enim crediderim nomine *fidei S. Athanaſii*, de qua in Synodo Auguſtodunenſi, deſignari Nicænam fidem, quæ opinio eſt P. Queſnellii in Diſſ. XIV. ad Cod. Canonum Eccleſiæ Romanæ; cum ex collatione veterum monumentorum appareat Nicænum Symbolum ſemper ſub titulo Nicæni Concilii deſignari? Quo ſemel admiſſo Symbolum hoc jam obtinuiſſe medio ſæculo VII., vix dubitem formulas a Toletano IV. admiſſas ex hoc Symbolo exceptas fuiſſe. Cum vero nullum aliud innotuerit de hoc Symbolo monumentum vetuſtius, hinc de tempore, quo procuſum eſt, vel ſaltem cœpit innoteſcere, ſatis conſtare arbitror. Neque enim ulla habenda eſt ratio de teſtimonio S. Auguſtini in quodam ejus ſermone ſuper Pſalmos, ubi ſententia quædam, ut accepta ex hoc Symbolo laudatur; quamquam enim in nonnullis vetuſtis ejus Commentarii editionibus legitur, deeſſe tamen in omnibus ejus MSS. Codd. PP. Maurini admonuerunt. De auctore vero ignorare me potius profiteor, quam ad inanes conjecturas recurrendo temere aliquid aſſerere.

„ Hæc ajo quoniam perſuaſum mihi eſt fœtum eſſe S. Athanaſio ſuppoſitum, ſaltem totum Symbolum, quale nunc extat, & legitur. Quid ſi forte dixerimus hujus portionem eſſe Athanaſii, alteram vero ſcriptoris ignoti? Profecto ſi ſcriptum hoc attente legerimus, in partes geminas diſtinctum & velut ex duabus compactum agnoverimus. Pars prior ſuo epilogo clauditur, & veluti unum abſolutum ſcriptum ſeſe offert. Epilogus iſta, ſeu clauſula efficitur illis verbis: *Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat*. Attexitur huic alterum, quod veluti acceſſio facta priori haberi poſſet, incipiens ab illis verbis: *Sed neceſſarium eſt &c.* & illud pariter ſuam præfert concluſionem: *Hæc eſt fides Catholica &c.* Quis ergo prohibet quominus credamus prioris partis auctorem extitiſſe S. Athanaſium, cum tota doctrina in eo comprehenſa penitus Athanaſiana ſit, & nihil præferat tanto auctore non dignum? Argumenta omnia, quæ nos ab Athanaſio abducunt, poſteriori in parte continentur; quam ſane acceſſionem & ego quidem ultro concedo alterius eſſe & facile latini auctoris. Sunt qui totum Symbolum a latino Scriptore ex ſtylo dijudicent, ſed hæc maxime elucent in acceſſione, obſcura vero & ambigua in ea, quam priorem partem Symboli diximus. Hæc ſi admittantur, non eſt quod miremur, ſi titulus Symboli Athanaſium auctorem jam inde a ſæculo VII. prætulerit. Non etiam abs re in vetuſtis Codicibus plane multis nullum auctoris nomen præferat, cum totum, prout extat, Symbolum a duabus inter ſe conſertis partibus ab ignoto auctore proficiſcatur.

D. Cui igitur Auctori attribuunt periti illi Critici hoc Symbolum, quod Sancto Athanaſio abjudicant?

M. Symbolum iſtud aliqui Euſebio Vercellenſi tribuunt; nonnulli Anaſtaſio Sinaitæ; alii Vincentio Lirinenſi; alii Anonymo Theologo Gallo, qui Pipini, vel Caroli Magni temporibus floruit, occaſionem præbente controverſia de Proceſſione Spiritus ſancti in Gallicis Synodis tunc vehementer agitata. Alii denique longe plures hoc Symbolum tribuunt Vigilio Tapſenſi in Africa Epiſcopo, acerrimo ſub finem quinti ſæculi Fidei Catholicæ defenſori contra Wandalos, qui Ariana Hæreſi infecti Catholicos omnes in Africa dira perſecutione vexabant. Floruit etiam idem Vigilius eo tempore, quo Neſtoriana, & Eutychiana Hæreſes magnos in dies progreſſus, præſertim per Orientales Eccleſias agebant, multaque Vigilius Opera ſcripſit, quæ non ſuo, ſed ſub antiquorum Patrum, præſertim ſub nomine Sancti Athanaſii, evulgavit, ut conſtat ex Dialogo adverſus Arianos, Sabellianos, & Photinianos, quem ipſe Vigilius

ſub

Digitized by Google

tuo nomine Sancti Athanaſii contra Arium, Sabellium, & Photinum coram Judice *Probo* diſputantis compoſuit. Cum igitur familiare eſſet Vigilio Tapſenſi, Opuſculis, quæ in publicum contra Hæreticos emittebat, præfigere antiquorum Patrum, & præcipue Athanaſii nomen, difficile creditu non eſt, hoc Symbolum fuiſſe editum a Vigilio Tapſenſi ſub nomine Sancti Athanaſii.

D. De Oſio Cordubenſi Epiſcopo, de Liberio Papa, de Marcello Ancyrano memini, te in ſuperiori Colloquio mentionem feciſſe, ſed quid contra ipſos Ariani machinati fuerint, quoque pacto ipſi Arianis reſtiterint, & Catholicam Religionem propugnaverint? nunc breviter explices velim.

M. Dum de Oſio Cordubenſi Epiſcopo dicere me compellis, infandum profecto jubes renovare dolorem. Oſius quippe meritis inſignis, quem ad pacanda infauſta Arianæ Hæreſis exordia Conſtantinus Magnus Alexandriam miſerat, ejuſque opera, & ſanctiſſimis conſiliis uſus fuerat; ille, inquam, Oſius tempore Diocletianeæ perſecutionis acceptis plagis, & vibicibus pro fidei confeſſione toti Orbi ſpectabilis; ille, qui Legatus Apoſtolicus duobus Oecumenicis Conciliis Nicæno primo, & Sardicenſi, pluribuſque aliis Nationalibus Synodis contra Arianos celebratis præfuerat, ille, qui tot illuſtres legationes ſub Conſtantino Magno ſumma cum laude obiverat, nonagenarius tandem ſenectutem ſuam turpiſſimo lapſu fœdavit, & vi compulſus ſecundæ Sirmienſi Fidei Formulæ, quæ purum, putumque Arianiſmum exprimebat, ſubſcripſit. Sed eum facti poſtea pœnituit, teſte S. Athanaſio in Epiſt. ad Solitarios pag. 846. & paulo antequam moreretur, Arianam Hæreſim diris devovit, vetuitque a quoquam probari, & recipi.

Eidem ſecundæ Sirmienſi Formulæ Fidei plane Arianæ cum Oſio ſubſcripſiſſe Liberium Papam, qui Julio in Pontificatu ſucceſſit anno 352. aſſerunt nonnulli. Sed præ aliis nobis probatur ſententia illorum, qui docent, Liberium Papam ob invictam in fide conſtantiam ab Imperatore Conſtantio miſſum fuiſſe in exilium, eumque exilii tædio fractum, & impotenti recuperandæ ſuæ Sedis deſiderio æſtuantem ſubſcripſiſſe damnationi Athanaſii, ſicut, & primæ Sirmienſi Formulæ Fidei editæ contra Photinum, quæ nihil Catholicæ Fidei adverſum aperte complectebatur. Liberius, poſt Athanaſii damnationem, Romanæ Sedi reſtitutus, *Felicem*, qui in Sedem Romanam auctoritate Conſtantii Imperatoris intruſus fuerat, Roma expulit, & ut lapſum ſuum repararet, Fidem Nicænam palam profeſſus eſt, cum Sancto Athanaſio ſocietatem iniit, Semi-Arianos ad Catholicam Fidem adducere pro virili ſtuduit, ſicque ſancte vixit, ut ejus nomen in multis Martyrologiis, in Sinaxariis, & Menæis Græcorum die XXVII. Auguſti, velut S. Pontificis, fuerit inſertum. Immo non deſunt viri eruditi, quos inter cenſentur Cardinalis Perronius in ſua ad Magnæ Britanniæ Regem Reſponſione, Bellarminus in defenſione *Felicis* Papæ, & Henſchenius in Appendice tomo tertio menſis Aprilis ſubjecta, qui aſſerunt, *Felicem*, qui anno 355. exulante Liberio, Pontifex Romanus ab Arianis ordinatus eſt, verum fuiſſe Pontificem Romanum, eumque ſancte obiiſſe probant ex inſcriptione Sarcophagi ejuſdem Felicis ab aliquot annis reperta, in qua legitur: *Hic jacet Corpus Sancti Felicis Papæ, & Martyris, qui Conſtantium Hæreticum damnavit*. Verum, cum in contrariam opinionem abeant alii perdocti Scriptores, exiſtimo nihil certi de hac controverſia dici poſſe.

De Marcello Ancyrano, qui Arianos acerrime infectatus eſt, ſat ſuperque diximus in Colloquio de Hæreſibus quarti Eccleſiæ ſæculi agendo de errore Photini, qui fuit Marcelli diſcipulus. Anno 336. Marcellus Sabelliani erroris inſimulatus, Sede Ancyrana ab Arianis depoſitus eſt, & in ejus locum Baſilius ſubrogatus. Sed Marcellus, oblata fidei profeſſione, a Julio Papa, & poſtea a Concilio Sardicenſi abſolutus communioni Athanaſii indivulſe ſemper adhæſit. Multa contra Arianos ſcripſit volumina, quæ temporum injuria interciderunt. Superſunt nunc quædam fragmenta libri, quem edidit contra *Aſterum*, quem Marcelli librum confutavit Euſebius Cæſarienſis. Nonnulli antiqui & recentiores Scriptores affirmant, Marcellum nimio ardore in oppugnando Arianorum errore abreptum, in oppoſitum Sabellii errorem deflexiſſe. Sed quamvis negari haud poſſit, Marcellum his quandoque verbis uſum eſſe, quæ Sabelliano errori in ſpeciem favere videntur, eum tamen ab hoc errore abhorruiſſe patet ex profeſſione fidei, in qua Marcellus, & poſt ejus obitum illius diſcipuli Sabellianam Hæreſim conceptis verbis deteſtati ſunt. Obiit Marcellus anno 374. anno videlicet poſt mortem S. Athanaſii.

D. Fuerunt ne in quarto Eccleſiæ ſæculo alii viri illuſtres, qui Arianam Hæreſim ſcriptis impugnarunt, & perſecutionem Catholicæ fidei cauſa paſſi ſunt?

M. Sicut S. Athanaſius fuit in Oriente Arianæ Hæreſeos infenſiſſimus hoſtis, & fidei Nicænæ intrepidus aſſertor, ſic Sanctus Hilarius in Occidente perpetuum Arianæ impietati bellum indixit, ac merito Arianorum in Occidente domitor paſſim audit. E Galliis oriundus erat S. Hilarius, & jugi ſacræ Scripturæ lectione ab Idololatria ad fidem Chriſtianam converſus, patriæ ſuæ Pictavienſis Epiſcopus factus eſt. Contra Arianos fidem Catholicam in Concilio Mediolanenſi anno 355. celebrato ſtrenue defendit. A communione Epiſcoporum Saturnini Arelatenſis, Urſacii & Valentis, qui in Occidente Arianæ Hæreſeos Primipili erant, & Anteſignani, ſe omnino ſeparavit. E Synodo Biterrenſi, in qua fidem Nicænam, & Athanaſium conſtanter tuitus eſt factione Saturnini Arelatenſis Præſulis Ariani in Phrygiam exul a Conſtantio Imperatore miſſus eſt. Interfuit Concilio Seleucienſi, in quo magno animi ardore, & mirabili ingenii vi adverſus Arianos pro Nicæna fide diſputavit. Quin etiam eoſdem ab hac Synodo revertentes

ad

Digitized by Google

ad conſpectum uſque Conſtantii proſecutus eſt, ut coram Imperatore fidei cauſam, quam tum in Oriente, tum in Occidente periclitari ægre videbat, omnibus ingenii, & eloquentiæ ſuæ nervis ſuſtineret. Sed illius acumen pertimeſcentes Ariani perſuaſerunt Conſtantio, ut eum ad priſtinam Eccleſiam poſtliminio liberum remitteret. Victor itaque, & ab exilio redux Hilarius anno 360. frequentes, teſte Severo Sulpicio, Synodos in Galliis habuit, ut ruinas ab impio Saturnino, & ab aliis Arianæ Factionis aſſeclis illatas repararet, fidem Nicænam firmaret, & Conciliorum Ariminenſis, & Seleucienſis decreta penitus reſcinderet. *Saturninus* Arelatenſis Epiſcopus, & *Paternus* Petricorienſis Præſul proſcripti ſunt. Alii vero Epiſcopi, quos rerum in Concilio Ariminenſi vere geſtarum pœnituit, ad communionem fuere admiſſi. Contra Auxentium Mediolanenſem Epiſcopum Arianum coram Imperatore Valentiniano, qui tum temporis, ideſt anno 365. Mediolani aderat, diſputavit, eumque Arianiſmi convicit. Tandem poſt tot labores glorioſe pro fide Catholica tam in Oriente, quam in Occidente exhauſtos, obiit S. Hilarius anno 367. ſive ut ait Severus Sulpicius, ſexto anno, poſtquam redierat in Gallias. Vita S. Hilarii legenda eſt apud Bollandum tom. 1. die XV. menſis Januarii. Eruditi Patres Benedictini Congregationis S. Mauri novam, & emendatiſſimam ejus Operum, quæ accurate cum variis MSS. Codicibus contulerunt, Editionem adornarunt.

Opera genuina S. Hilarii ſunt: *De Trinitate libri* 12. *Adverſus Conſtantium Imperatorem liber unus. Ad eumdem Imperatorem libri duo. Adverſus Arianos, & Auxentium liber unus. Liber de Synodis adverſus Arianos. Fragmenta ex Opere Hiſtorico de Synodis libri duo. Commentarii in Evangelium S. Matthæi. Commentarii in Pſalmos.* Sancti Hilarii ſcripta legi poſſe inoffenſo pede ſcribit S. Hieronymus.

Opera S. Hilarii ſuppoſititia ſunt: *Epiſtola ad Auguſtinum. Alia ad eumdem. Carmen in Geneſim. Liber de Patris, & Filii unitate. Liber de Eſſentia Patris, & Filii.*

Epiſtola S. Hilarii ad *Abram* filiam ſuam nonnulli viri eruditi inter illius Patris Opera ſuppoſititia reponunt; ſed quia alii periti Critici hanc Epiſtolam Sancti Hilarii genuinam eſſe affirmant, conſultius eſſe putamus, propter hanc Criticorum altercationem, Epiſtolam iſtam inter dubia S. Hilarii Opera collocare.

Opera S. Hilarii quæ non amplius extant, ſunt iſta: *Tractatus in Job. Commentarii in Cantica Canticorum. Hiſtoria Ariminenſis, & Seleucienſis Synodi adverſus Valentem, & Urſacium. Liber adverſus Saluſtium, ſeu Dioſcorum Medicum. Liber Hymnorum. Liber Myſteriorum. Epiſtolæ plures.* (*a*)

„ (*a*) Ante decem ab hinc annis prodiit epi-
„ ſtola quædam parænetica ab anonymo ad ano-
„ nymum ſcripta, quam S. Hilarii Pictavienſis
„ fœtum eſſe arbitrantur Reverendiſs. P. D. Jo:
„ Chryſoſtomus Trombelli Congr. Rhenanæ S.
„ Salvatoris Abbas Generalis vir plane doctiſ-
„ ſimus, & ſcriptis libris clariſſimus, qui e MS.
„ Bononienſi illam evulgavit. Verum ejus opinio
„ (pace amiciſſimi viri dixerim) mihi non ſatis
„ probatur. Etenim nomen Hilarii nec præfert
„ Codex, unde ſcriptum hoc petitum eſt, nec ab
„ alio quocunque veteri authore unquam Hilario
„ tributum legimus. Quin nec ſtylus cum ceteris
„ ſinceris Hilarii operibus cohæret; quamquam
„ enim vocibus minus latinis uſum interdum Hi-
„ larium fatear, nemo tamen mihi perſuaſerit
„ voces iſtas ex eloquentiſſimi viri eloquio pro-
„ ceſſiſſe: *Viro convenit ſacerdotare Deo*; *ſplen-*
„ *dificare*; *myſterium ſumant*, pro argumentum
„ ſumant. Ineptit etiam aliquando, ut cum
„ uxorem legitime ductam deſignat his verbis:
„ *nullam fœminam licere contingere excepta uxo-*
„ *re, & ipſam Deifice comparatam.* Obſcurus eſt
„ etiam, nec mentem ſuam ſatis perſpicue ex-
„ ponit. Quid enim eſt cum viros monet:
„ *& ita debet tam in Catechiſmo, quam etiam*
„ *in laica vita converſationem ſuam mundiſſi-*
„ *mam exhibere?* Quidnam hoc quoque? *In-*
„ *ſinuandum eſt & expingi totum hominem ne-*
„ *ceſſe eſt, quoniam omnes aut in virtute in-*
„ *venientur eſſe, aut in crimine.* Quis hæc cre-
„ dat de viro judicio S. Hieronymi ad miracu-
„ lum eloquentiſſimo? Adde teſtimonia Sacræ
„ Scripturæ ex verſione nonnihil diverſa ab ea,
„ qua S. Hilarius in ſinceris ſuis operibus u-
„ ſus eſt.
„ At enim eadem interdum offenduntur in S.
„ Hilario, quæ cohærent doctrinæ hujus Epiſto
„ læ. Fateor quidem ſi de doctrina agatur; ne-
„ que enim nihil niſi ſanum in hac Epiſtola
„ traditur, ſicut & ſana eſt doctrina S. Hila-
„ rii. Nunquid ergo ex his recte inferas hu-
„ jus authorem eſſe S. Hilarium? & non potius
„ utrumque recta ſenſiſſe, ac utriuſque rectum
„ judicium extitiſſe? Igitur Epiſtolam hanc, ſive
„ malueris opuſculum utrum ad S. Hilarium
„ pertineat, jure meritoque ambigi poſſe cenſeo.

Sancti Hilarii zelum in profliganda Ariana Hæreſi æmulatus eſt *Lucifer* Calaritanus Epiſcopus, qui plures libros ad veritatis, & Eccleſiæ defenſionem edidit, duos videlicet *ad Conſtantium Imperatorem*. Alterum, *de non parcendo delinquentibus in Deum*. Unum, qui inſcribitur: *quod moriendum ſit pro Filio Dei*. Alium denique *de non conveniendo cum Hæreticis*. Sed in his libris Lucifer Calaritanus longe abeſt a prudentia, & moderatione S. Hilarii. Suos quippe adverſarios Lucifer nullo delectu tractat, nemini parcit, neque Potentibus, quos intempeſtiva libertate carpit, mordet & exagitat. Unde non mirum, quod rigidus ille morum Cenſor nimia ſua ſeveritate initium dederit Schiſmati, quo diu vexata eſt Eccleſia Antiochena, & Schiſmati *Luciferianorum*. Mortuus eſt Lucifer Calaritanus anno 370.

D. Hactenus, ut video, ſeriem Scriptorum, qui in Arianos calamum acuerunt, texere voluiſti. Nec dubito, quin multo plures ante & poſt ortum Arianæ Hæreſeos floruerint in quarto Eccleſiæ ſæculo Scriptores, quorum nullam adhuc mentionem feciſti. Age ergo, tot Illuſtres viros

produc

produc in medium, ut eorum Opera perſpecta habere poſſim.

M. Quarto Eccleſiæ ſæculo, præter Sanctiſſimos Monachos, Antonium, Pachomium, Marcum, & alios, qui de Eccleſia bene meriti ſunt, rem Chriſtianam ſuis ſcriptis illuſtrarunt bene multi, quos tibi breviter indicabo. In primis, *S. Petrus* Alexandrinus Epiſcopus Canonicam ſcripſit Epiſtolam, in qua tempus pœnitentiæ præfigit his, qui in Idololatriæ ſcelus erant prolapſi. *Rheticius* Epiſcopus Auguſtodunenſis interfuit Concilio Romæ celebrato anno 313. ediditque Commentarium in Cantica Canticorum, cujus meminit S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſ. *S. Methodius* Epiſcopus Patarenſis, & Martyr ſub Diocletiano Imperatore ſcripſit *Sympoſium*, ſeu *Convivium decem Virginum*, quod doctiſſimus noſter *Combefiſius* in Auctario poſtremo Bibliothecæ Patrum Græcorum inſeruit (*a*). Compoſuit etiam S. Methodius *Orationem de Simeone, & Anna in die occurſus, deque Sancta Deipara*, & alterum *Orationem in Ramos Palmarum*, quam mox laudatus Combefiſius ex Codice Regio Græce & Latine edidit. *S. Victorinus*, non Pictavienſis, ut vulgo dicitur, in Aquitania, ſed Petabionenſis in ſuperiore Pannonia Epiſcopus, ut ſingulari libello evincit *Joannes Launojus* Doctor Theologus facultatis Pariſienſis, Martyr occubuit in perſecutione Diocletiani & Maximiani, & ſcripſit Commentaria in Geneſim, in Exodum, in Eccleſiaſten, in Cantica Canticorum, in Iſaiam, in Ezechielem, in Matthæum, & in Apocalypſim. Gelaſius Papa Victorini Opera ad Apocryphorum Claſſem rejecit, quod millenariorum fabulas in iis obtruderet, ſed præſertim in Commentario in Apocalypſim. *Arnobius*, qui ſub Diocletiano Imperatore floruit, ſeptem libros adverſus Gentes erudite, & ſtylo tumido, elatoque orationis genere conſcripſit, in quibus tamen quædam eſſe cavenda monet S. Hieronymus in Epiſt. 76. ad Tranquillum. *Lactantius Firmianus* Arnobii diſcipulus, & ob politum ſcribendi genus *Cicero Chriſtianus* appellatus, floruit etiam ſub Diocletiano. Inter ejus Opera potiſſima ſunt: *Divinarum Inſtitutionum* libri ſeptem, & eorumdem Epitome, *de Ira Dei*, *& de Opificio Dei*. *Liber de perſecutione, ſive de mortibus perſecutorum*. Opus valde inſigne, quod hucuſque latuerat, & tenebris eruit V. C. *Stephanus Baluzius*. Libros Lactantii ob nonnullos errores, qui in his offenduntur, in Apocryphorum Claſſe repoſuit Gelaſius Papa in Concilio Romæ habito anno 494. (*b*). *Juvencus* inſignis Poeta, cujus meminit S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, quatuor Evangelia Heroicis verſibus ad verbum pene tranſtulit, quod Opus nuncupavit Conſtantino Magno Imp. Juvenco adjungi poteſt *Auſonius* Poeta Chriſtianus Patria Burdigalenſis, qui elegantiſſimas Poeſes ſcripſit, & Faſtorum libros abſolvit, quos a principio Urbis conditæ ad ſuum uſque Conſulatum, hoc eſt, uſque ad annum Chriſti 379. perduxit. *Julius Firmicus Maternus*, qui antequam Chriſto nomen daret, octo de Aſtronomia libros ad Lollianum ſcripſerat, factus poſtea Chriſtianus librum edidit *de errore Prophanarum Religionum*, quem nuncupavit filiis Conſtantini Magni, ſub quibus floruit. *Euſebius Emiſſenus* in Syria Epiſcopus Arianus tempore Conſtantii Imperatoris vixit, multaſque, & breves ſcripſit Homilias in Evangelia, quæ omnino perierunt. Unde Homiliæ, quæ modo ſub Euſebii Emiſſeni nomine vulgatæ circumferuntur, non ſunt Euſebii Emiſſeni, qui Græce ſcripſit, ſed cujuſdam Latini Scriptoris. Perierunt etiam libri, quos edidit *Jacobus*, *Niſibis* Urbis in Perſide celeberrimæ Epiſcopus, & in Maximiani Imperatoris perſecutione confeſſionis gloria inſignis, & unus e Nicænis Patribus, qui Arium damnaverunt, cujus vitam ſcripſit Theodoretus in Hiſtoria Religioſa cap. 1. *Marius Victorinus* natione Afer Rhetoricam per plures annos Romæ docuit, ac multa edidit Opera, inter quæ eminent libri quatuor *de Sanctiſſima Trinitate* adverſus Arianos. *S. Pacianus* Barcinonenſis Epiſcopus tres Epiſtolas contra Novatianos; *Paræneſim ad Pœnitentiam*, *& ſermonem de Baptiſmo ad Catechumenos*. *Phœbadius* Agennenſis in Aquitania Epiſcopus edidit librum contra Arianos, in quo damnat ſecundam Sirmienſem fidei Formulam. *Optatus* Milevi in Numidia Epiſcopus ſub Valentiniano, & Valente Imperatoribus floruit, & ſex *de ſchiſmate Donatiſtarum* libros adverſus *Parmenianum* Donatiſtam perdocte compoſuit. Septimus liber tanquam aſſutus, & additititius a peritis Criticis rejicitur. *Titus* Boſtrorum in Arabia Petræa Epiſcopus ſub Juliano, & Joviano Imperatoribus floruit, & ſcripſit tres adverſus Manichæos libros, qui tom. 5. antiquæ lectionis Henrici Caniſii, & in Bibliothecis Patrum inſerti ſunt. Commentarius vero in Evangelium S. Lucæ Tito Boſtrorum Epiſcopo perperam tribuitur, cum in illo multi citentur Auctores, qui Tito ſunt poſteriores. *Didymus* Alexandrinus captus a prima ætate oculis multa Opera ſcripſit, quæ S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum recenſet, & e quibus ipſe librum *de Spiritu Sancto* latine interpretatus eſt. His eruditis viris lubens adjungerem duos Apollinarios, Patrem ſcilicet & Filium, quorum Prinius Patria Laodicenus, profeſſione Grammaticus, & dignitate Presbyter, Græcis diſciplinis erudititiſſimus, atque ſuæ ætatis eloquentiſſimus multos utiles dedit Eccleſiæ libros, quos inter numerantur triginta volumina, quibus reſpondit Porphyrio in Chriſtianos ſumma cum petulantia debacchanti, totamque Hebræorum Hiſtoriam carmine Heroico conſcripſit. Alter vero Apollinarius ſenioris Apollinarii filius, vir pariter doctus fuit, Græcis diſciplinis apptime excultus, & Eccleſiæ Laodicenæ Epiſcopus. Verum hi duo Apollinarii albo virorum illuſtrium, qui Eccleſiam quarto nominis Chriſtiani ſæculo nobilitarunt, accenſeri minime debent, quia ingenii, & eloquentiæ fiducia plus æquo freti in perniciosum errorem proruperunt, dictitantes, *Chriſtum ſumpſiſſe quidem Corpus ex B. Virgine, ſed ſine Anima*. Poſtea, ſuum quaſi revocantes errorem, faſſi ſunt, *Chriſtum ſumpſiſſe Animam, ſed quæ men-*

mente careret, *Verbumque Divinum fuiſſe mentis loco*. His ergo prætermiſſis, venio nunc ad celebriores Scriptores, qui ab anno 350. uſque ad finem ſæculi quarti in Eccleſia floruerunt.

„ (*a*) Quamquam Combefiſius in altero tomo
„ Auctarii Bibliothecæ Patrum Græcorum inſeruit
„ *Convivium decem Virginum* S. Methodii, non
„ tamen primus extitit, qui opuſculum iſtud in
„ lucem protulerit; nam ante illum Leo Alla-
„ tius Romæ evulgaverat, ac luculenta diſſertatio-
„ ne, notiſque illuſtraverat. Alias etiam notas
„ ad illud dedit Henricus Valéſius, quas una cum
„ notis Allatii recudendas curavit Fabricius in
„ ſecundo volumine operum S. Hippolyti.

„ (*b*) Commemoratione hic dignum cenſeo E-
„ pitomen Lactantii (quæ ab ipſa S. Hierony-
„ mi ætate acephala habebatur) nunc integram
„ legi ſuppletam ex Codice vetuſtiſſimo Biblio-
„ thecæ Regiæ Univerſitatis Taurinenſis, quo in
„ Codice Chriſtophorus Matthæus Phaffius eam
„ nactus evulgavit, Pariſiis an. 1712. Quamquam
„ vero ſint qui de ejus ſinceritate dubitant, uti
„ Walchius in ſua editione operum Lactantii;
„ nullas tamen profert ſingularis ſententiæ ſuæ
„ validas conjecturas, ideoque vix ullus ſupereſt
„ Criticus, qui dubitationem hanc Walchii ado-
„ ptet. Vide noviſſimam editionem operum Lactan-
„ tii a Nicolao Lenglet evulgatam Pariſiis an. 1748.

D. Quinam ſunt celebriores iſti Scriptores, qui ab anno 350. uſque ad finem quarti ſæculi Eccleſiam illuſtrarunt?

M. Laudabo in primis quatuor Patres Græcos, quorum doctrinam & pietatem ſuſpicit univerſus Orbis Chriſtianus, S. Cyrillum Hieroſolymitanum, & S. Baſilium, S. Gregorium Nazianzenum, & S. Gregorium Nyſſenum.

D. Veneranda iſthæc Patrum Græcorum nomina jam pridem mihi nota ſunt, ſed illorum Vitæ & Operum, quæ ediderunt, aliquam notitiam mox a te habere deſidero.

M. Cyrillus Hieroſolymitanus anno 350. ab Acacio Cæſareæ Epiſcopo Ariano ſubrogatus eſt in locum *Maximi* Hieroſolymorum Epiſcopi adhuc viventis, & Sede ſua ab Arianis depoſiti. At idem Acacius etiam Cyrillum Sede dejecit, quod de Jure Metropolitano adverſus ſe controverſiam moviſſet, ut teſtatur Sozomenus lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 5. nec Sedi ſuæ reſtitutus eſt Cyrillus quamdiu vixit Imperator Conſtantius. Sed mortuo hoc Imperatore, ad eam rediit & quiete, atque pacifice vixit uſque ad Imperium *Valentis*, ſub quo Sede ſua iterum expulſus, eam dumtaxat poſt mortem illius Imperatoris recuperavit, ejuſque electionem Patres Concilii Generalis Conſtantinopolitani primi anno 381. celebrati confirmarunt. Obſervant viri periti, S. Hieronymum juvenem adhuc fuiſſe, quando ſuum Chronicon ſcripſit, in quo Cyrillum inter Epiſcopos Arianos reponit, eo quod fortaſſe S. Cyrillus ab Acacio Epiſcopo Ariano fuiſſet Hieroſolymorum Epiſcopus conſtitutus. At Henſchenius die XVIII. Menſis Martii in vita S. Cyrilli Hieroſolymitani, & Papebrochius in Hiſtoria Chronologica Patriarcharum Hieroſolymitanorum, Cyrillum a ſuſpicione Arianæ Hæreſeos jure merito liberant. Denique, Cyrillus meritis plenus poſt varios pro Chriſto toleratos labores migravit ad Dominum anno 386. ut recte ait Baronius. Vixit in Epiſcopatu, juxta tabulas Theophani inſertas, annos triginta quinque. Catecheſes decem & octo ad *illuminatos*, quæ *extemporaneæ* dicuntur, hoc eſt Inſtructiones, ſive Inſtitutiones pias & doctas ad erudiendos, & bene informandos accedentes ad Lavacrum, vel Baptiſmo recenter generatos adhuc adoleſcens compoſuit, & ex tempore Hieroſolymis habuit S. Cyrillus, quas omnes, ut legitimas Sancti Cyrilli proles, agnoſcit S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, fruſtra licet & temere reclamante *Riveto* ex Calviniſtarum grege Pſeudo-critico lib. 3. Crit. Sac. cap. 8. Scripſit etiam S. Cyrillus Catecheſes quinque Myſtagogicas, & Epiſtolam ad Conſtantium Imperatorem *de Signo Crucis in Cælo*, quam Epiſtolam idem *Rivetus* vanis & ficulneis conjecturis, ut aſſolet, indulgens, falſo abjudicat S. Cyrillo. Fatentur tamen omnes ad unum periti Critici Catholici, Epiſtolam nomine Cyrilli Hieroſolymitani ad S. Auguſtinum: *De miraculis S. Hieronymi* ſcriptam, quæ inter Opera S. Hieronymi legitur, eſſe plane ſuppoſititiam, tum ob illius inſulſitatem, tum quia etiam S. Cyrillus multis annis ante S. Hieronymum obiit.

S. Cyrillo Hieroſolymitano adjungam Sanctum Ephremum Syrum & Eccleſiæ Edeſſenæ Diaconum, quem non ſolum vitæ ſanctimonia, ſed eruditionis fama ubique celebrem multi Sancti Patres, præſertim Baſilius Magnus, Gregorius Nyſſenus & Hieronymus ſummis laudibus extulerunt. Scripſit Syro ſermone variis de argumentis Opuſcula, quæ e Syro in Græcum, & e Græco in Latinum tranſlata variis editionibus fuerunt evulgata, inter quæ ſunt *Parænefes*, ſive *exhortationes ad Monachos*. *Sermones Aſcetici*. *Encomia in Sanctos*, *& Teſtamentum ejus mirabile*, ſive *Oratio ultima*, *in qua S. Ephremus propediem moriturus ſingulis pro teſtamento reliquit varia vitæ ſanctæ præcepta*. Vitam Sancti Ephremi legeſis apud Bollandum die 1. menſis Februarii ei ſacra (*a*).

„ (*a*) Locum hunc præterire non patiar quin
„ prius ſub oculis curioſi rerum Eccleſiaſtica-
„ rum Lectoris aperiam ſcenam ſane jucundam,
„ quam offert ſplendidiſſima editio Scriptorum o-
„ mnium S. Ephrem nuper curata ſub auſpiciis
„ & favore Angeli Mariæ Quirini S. R. E.
„ Cardinalis & Vaticanæ Bibliothecæ præfecti
„ longe meritiſſimi (cujus viri ſcientia par eſt
„ ampliſſimæ illi Bibliothecæ cui præficitur,
„ nec inferior utriſque in Literatos & Literas
„ amor) operam & ſtudium conferentibus trium-
„ viris illis illuſtribus, Joſepho Aſſemani, P.
„ Petro Benedicto, e Societ. Jeſu, & Stephano Evo-
„ dio Aſſemani. Romanis exquiſitiſſimis typis
„ excuſum eſt egregium opus, anno 1737. 1743.
„ cujus tria priora volumina præter ampliſſima
„ prolegomena totum continent quidquid ſupereſt

„ Græco-

„ Græcorum ſcriptorum S. Ephrem, vel ſi ma-
„ lueris eas viri Sancti Lucubrationes olim ab
„ antiquo interprete Græce verſas. Parum hic
„ legitur quod non prius occurrerit ſive in Voſſia-
„ na Latina editione, ſive in Græca Oxonienſi;
„ quamquam & ſunt aſcetici ſermones nonnulli
„ plane novi e Bibliotheca Vaticana deprompti.
„ Poſteriora volumina tria pretioſum dant the-
„ ſaurum e fodinis Syriacis nunc recens effoſſum,
„ nempe pleroſque in libros V. T. Sancti Do-
„ ctoris commentarios. Cum vero inter ceteras
„ nec ſua in utrumque Machabæorum commen-
„ tatio deſit, novum ex his conficitur argumen-
„ tum ad vindicandam ſacri canonis Eccleſiæ Ca-
„ tholicæ veritatem. Quin & in ea lucubratione
„ Catholicum dogma de precibus pro mortuis ad
„ juvandas ſolutas e corpore animas exponitur &
„ admittitur. Commentarios excipiunt dictæ in
„ Hæreticos orationes validis argumentis confi-
„ cientes impii Marcionis, Manichæorum, Va-
„ lentinianorum, Novatianorum, Bardeſanis com
„ menta: ſunt autem ſermones num. 56. Sequitur
„ volumen tertium, in quo tractatus recenſentur
„ octo *adverſus de fide ſcrutatores* ſcripti, in qui-
„ bus Ariani, Eunomiani, ac potiſſimum
„ Aetiani conficiuntur; demonſtraturque Dei na-
„ turam immenſam ſuperiorem eſſe quam ut hu-
„ mano ingenio comprehendi poſſit; vana ergo
„ tentare illos qui Dei naturam aſſequi ſe poſſe
„ jactitant; quod inane erat Aetianorum moli-
„ men. Poſt hæc ſuccedit adverſus Judæos ſermo;
„ tum necroſima ſeu funebres canones 85. quibus
„ hominum funera lugentur; quamquam de ſin-
„ gulorum geſtis nihil peculiare tangitur. Secun-
„ dum hæc *de libero arbitrio* ſermones quatuor. *Pa-*
„ *rænetici* ſermones 76. *de Paradiſo Edem* ſermo-
„ nes 12. *de diverſis* ſermones 18. atque his præ-
„ clariſſima illa editio abſolvitur. Authoritate
„ Syri hujus Doctoris in Sermone *de Cœna Do-*
„ *mini* abuſus eſt Joannes Kohlius Lutheranus, ut
„ tranſubſtantiationis Catholicum dogma convel-
„ leret; ſed P. Petrus de Benedictis Maronita,
„ Societatis Jeſu presbyter, vir plane doctiſſimus,
„ qui in adornanda hac editione operis plurimum
„ & potiſſimum impendit, ſcripto Antirrhetico
„ heterodoxum egregie confutavit, demonſtrans,
„ pluribus aggeſtis ex omnibus Operibus S. Ephrem
„ teſtimoniis non aliam fuiſſe Doctori ſancto men-
„ tem, quam quæ eſt Eccleſiæ Catholicæ. Ce-
„ terum Sermones illos alterum habere authorem
„ a Sancto Ephrem Syro contendit. Lucubratio
„ iſta P. Benedicti annexa eſt ſecundo volumini
„ Græcorum operum S. Ephrem hujus editionis.

Inter Patres Græcos, qui in quarto Eccleſiæ ſæculo floruerunt, eminet S. Baſilius dictus *Magnus*, ſed *Maximi* cognomento dignior. Parentibus antiqua nobilitate claris, *Baſilio* ſcilicet patre & *Emmelia* matre genitus, humanioribus litteris poſtquam Cæſareæ in Palæſtina operam dediſſet, Conſtantinopolim venit, ut *Libanium* gentilem inſignem id temporis Oratorem audiret. Athenas deinde ſtudiorum cauſa petrexit, ubi plures annos S. Gregorii Nazianzeni comes individuus fuit, & amicus chariſſimus. Circa annum 355. ad natale ſolum reverſus, Ægypti, & Lybiæ Monaſteria perluſtravit, ac vitæ Religioſæ incenſus deſiderio, una cum ſuis duobus fratribus, *Petro*, & *Naucratio*, & aliquot amicis ſeceſſit in Ponticæ Regionis Eremum, primuſque fuit in Ponto & Cappadocia Parens, & Inſtitutor Monachorum, quibus vitæ Monaſticæ Regulam præſcripſit. Arianorum hoſtis adeo fuit, ut a *Dianii* Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopi ſui communione receſſerit, quod Formulæ fidei Concilii Ariminenſis ſubſcripſiſſet, & in gratiam cum ipſo tantum redierit, quando hic Epiſcopus in lecto morti decumbens declaravit, Nicænæ fidei ſe ſincero ſemper animo adhæſiſſe, quamvis fidei Formulæ Ariminenſi imprudenter ſubſcripſiſſet. Aliquas etiam ſimultates habuit Baſilius cum Euſebio Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopo *Dianii* ſucceſſore, ſed poſtea cum ipſo reconciliatus eſt, eoque mortuo, Baſilius in ejus locum ſuffectus eſt, & Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus ordinatus anno 371. ut ſolide probat Cl. Pagius ad annum 370. ubi etiam obſervat, Baſilium bis a Valente Imperatore impetitum fuiſſe. Primo, dum adhuc tantum Presbyter eſſet, quando videlicet anno 370. *Modeſtus* Prætorio Præfectus eum nomine Valentis Imperatoris, qui fidem Catholicam, & Eccleſiam opprimere volebat, minis, & promiſſis flectere, atque ad Arianorum partes trahere conatus eſt. Alteram impreſſionem *Valens* Imperator in Baſilium jam Epiſcopum fecit anno circiter trecenteſimo ſeptuageſimo quinto. Sed *Valens* videns conſtantiam S. Baſilii, qui nec potentia frangi, neque labefactari minis, neque blanditiis, & promiſſis exorari poterat, mutavit conſilium, nec quidquam amplius in ipſum molitus eſt. Demum, poſtquam S. Baſilius diu, multumque adlaboraſſet ad ſtabiliendam pacem Eccleſiæ, & ad procurandam unionem Meletianorum cum S. Athanaſio, & cum aliis Epiſcopis Occidentalibus, obiit Kalendis Januariis anni 380. ſicut invicte probat doctiſſimus Pagius ad annum Chriſti 378. Præclara poſt ſe Baſilius reliquit ingenii ſui monumenta, in quibus, ut ait *Ellias Dupin* tom. 2. Biblioth. Scriptorum Eccleſ. pag. 586. & 587. omnia tam ad vivum deſcribit, tanta vi rationes ſuas explicat, tam horrendas vitii picturas delineat, ejus ad virtutem hortamenta tam efficaciter perſuadent, ejus documenta uſque adeo ampla, & utilia ſunt, ut ejus ſcripta legere nemo poſſit, quin ſe erudiri, & perſuaderi de veritate perſentiſcat, & quin amorem erga virtutem, & odium adverſus vitia concipiat. In ejus Sermonibus eloquentia doctrinam comitatur, pariter erudiunt, delectant, & movent. Dictio ejus terſa eſt, emphatica, ſublimiter ſenſa ſua enunciat. Stylus purus eſt, elegans, & ad perſuadendum efficax. Ejus oratio nativa, lenis, & inaffectata ſemper deprehenditur. Jucunde perſuadet, tam perſpicue res explanat, eaſque adeo veriſimiliter enuntiat, ut eruditi Photii judicio, eum nobis proponere poſſimus in Exemplar *Demoſthene*, ac diſertiſſimis Oratoribus antiquitatis haud longe inferius, immo, ſi Eraſmo fides adhibeatur, veteres Græciæ Oratores antecellit, eorumque vitiis caret. S. Baſilii laudes celebrant S. Gregorius Nazianzenus *in Oratione de ejus*

Digitized by Google

laudibus, & Theodoretus lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 19. ubi ejus cum Valente Imperatore Ariano congreſſum deſcribit.

Opera genuina S. Baſilii ſunt: *Homiliæ novem in Hexameron*. *Homiliæ 22. in Pſalmos*. *Homiliæ 31. de variis argumentis*. *Libri duo de Baptiſmo*. *Adverſus Eunomium libri quinque*. *Ad Amphilochium de Spiritu Sancto*. *Sermo de abdicatione rerum*. *De vera ac pia fide*. *Ethica, ſeu Moralia*. *Aſcetica, ſeu de Inſtitutionibus Monachorum Sermones duo*. *Regulæ fuſius diſputatæ*. *Regulæ breviores*. *Conſtitutiones Monaſticæ*. *Epiſtola ad Chilonem Anachoretam*. *Ad Amphilochium Epiſtolæ Canonicæ tres de Pœnitentia*. *Epiſtolæ aliæ 428*. *Liturgia, ſed interpolata*. *Conciones Morales 24*. *Commentarius in ſexdecim Capita Iſaiæ*.

Opera ſuppoſititia S. Baſilii ſunt: *Homiliæ decima, & undecima in Hexameron*. *De Grammatica exercitatione libellus* (qui a Moſchopulo editus eſt). *De Conſolatione in adverſis*. *De laudibus Eremi, ſeu vitæ ſolitariæ* (Fragmentum excerptum ex opere S. Damiani). *Admonitio ad filium Spiritualem*. *De vera Virginitate ad Letojum Melitenſem*. *Precatio cum Sacris operaretur*. *Fragmentum Epiſtolæ ad Julianum Imperatorem*. (*a*)

„ (*a*) De S. Baſilio ejuſque Scriptis arbitror
„ diligentius perveſtigaſſe neminem ſupra D.
„ Julianum Garnerium Benedictinum, S. Mauri
„ Monachum, editorem noviſſimum Opp. S. Ba-
„ ſilii, cujus opus prodiit Pariſiis an. 1722. tri-
„ bus in fol. voluminibus. Vir iſte longe doctiſ-
„ ſimus in duplici erudita Præfatione agendum ſi-
„ bi proponit de ſinceris S. Baſilii Scriptis, deque
„ iis, quæ ejus nomen mentiuntur. Ex hoc au-
„ tem diſcimus, *Commentarium in Iſaiam* reji-
„ ciendum ab illo eſſe, ſicut & de libris quinque
„ *in Eunomium* tres tantummodo priores S. Do-
„ ctori adjudicandos, alienos vero eſſe reliquos
„ duos. Ita pariter a Baſilio rejicit *Commenta-*
„ *rium de Spiritu Sancto*, Homiliam *in S. Bar-*
„ *laam*, quam Chryſoſtomo melius convenire ju-
„ dicat; Homiliam *in S. Baptiſma*, alteram *in*
„ *Lacizis* habitam, alteram pariter *in humanam*
„ *Chriſti generationem*, ſicut & quæ inſcribitur
„ *In pœnitentiam*, ut & ſequentes haſce: Homi-
„ liam *in eos qui calumniantur nos &c.* Homiliam
„ *de libero arbitrio*; Homiliam *ne dederis ſomnum*
„ *oculis meis*, Homiliam III. *in Jejunium*. Idem fert
„ judicium *de Sermonibus Aſceticis* duobus. Æquior
„ eſt in *regulas fuſiores & breviores*. Viciſſim
„ autem rejicit in Euſtathium Sebaſtenum *Con-*
„ *ſtitutiones Monaſticas*. Argumenta, quæ illum
„ ſuadent, ducuntur potiſſimum ex diſformitate
„ ſtyli cum Baſilianis; ſicut plures voces Baſilio
„ indignas, vel inſuetas in illis reperit adductis
„ in rei evidentiam exemplis. Adeat Lector has
„ Præfationes, & plura deprehendet nova penitus
„ & ſelectiſſima, quæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam
„ diligenter emendant, & mirifice illuſtrant.

A S. Baſilio ſejungi non debet S. Gregorius Nazianzenus cognomento *Theologus*, qui, ut mox dixi, ſumma cum eo neceſſitudine devinctus fuit. E patre *Gregorio*, & matre *Nonna* genitus *Gregorius* circa annum trecenteſimum primum prodiit in lucem: cumque jam adoleviſſet, Athenas anno 326. ſeſe contulit, ubi cum S. Baſilio per triginta annos ſtudiis operam navavit. Poſtea, Sazimorum factus eſt Epiſcopus, ſed paulo poſt relicto illo Epiſcopatu, Nazianzenæ Eccleſiæ, vivo adhuc patre ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo, curam ſuſcepit, ea tamen lege ut, demortuo patre, a regendæ illius Eccleſiæ debito ſolveretur. Quapropter, patre jam centenario vita functo, a Nazianzena receſſit Eccleſia, & Conſtantinopolim venit, ubi cum Arianis, diu, multumque ſudavit, & Epiſcopalia per aliquod tempus munia obivit. Sed occaſione tumultuum, quos in Oecumenico Concilio Conſtantinopolitano primo excitarunt Timotheus Patriarcha Alexandrinus, & alii Præſules, dignitate Epiſcopali ſeſe ſponte abdicavit Gregorius, & Nazianzum ſeceſſit. Sed antequam Conſtantinopoli diſcederet, Orationem habuit ad populum, quæ eſt trigeſima ſecunda, in qua de faſtu, ambitione, & contentionibus Epiſcoporum ſui temporis multa eleganter præfatus, ſic poſtea de ſe ipſo loquitur Sanctus Pater: *Hæc quoque fortaſſe nobis exprobraverint, jam enim exprobraverunt, quod nec menſa lauta & opipara, nec magnifica veſte utimur, nec ſplendide in publicum prodimus, nec ad eos, a quibus convenimur, gravitatem & faſtum adhibemus. Neſciebam, ſcilicet, nobis cum Conſulibus & Præfectis æmulationem, & certamen eſſe, illudque oportere, ut & nobis Pauperum bonis ad luxum, & delicias abutentibus venter undique comprimatur, & neceſſaria in res ſuperfluas effundantur. Neſciebam, nos equis inſignibus ferri, ſelliſque & curribus magnifice attolli, ac cum faſtu, & pompa deduci oportere, atque omnes nobis proinde ac belluis de via decedere, & in utramque viæ partem ſcindi, ac diſtrahi...... Hanc injuriam condonate mihi, Antiſtitem alium, qui multitudini placeat, create*. Hac Oratione ultimum vale Populo Conſtantinopolitano dixit S. Gregorius, & Nazianzum ſeceſſit, ubi ab omni procul ſtrepitu ruri plerumque vixit uſque ad annum decimum tertium Imperii Theodoſii Magni, quo migravit ad Dominum nonagenario major, ſicut oſtendit Cl. Pagius ad annum Chriſti 389. Multa Opera edidit S. Gregorius Nazianzenus, in quibus, teſte *Ellia Dupin* tom. 2. Biblioth. Script. Eccleſ. pag. 655. palmam dubio procul omnibus ſibi coævis præripuit vocabulorum puritate, elocutionis nobilitate, ſermonum ornamentis, ſimilitudinum concinnitate, ratiociniorum præſtantia, & ſententiarum ſublimitate.

Opera dubia Sancti Gregorii Nazianzeni ſunt: *Epiſtola ad Evagrium Monachum de Divinitate*. *Oratio quadrageſima octava in Sanctos Martyres, & contra Arianos*. *Significatio in Ezechielem*.

Opera ſuppoſititia S. Gregorii Nazianzeni ſunt: *Metaphraſis, ſeu Translatio in Eccleſiaſtem* quam Gregorii Thaumaturgi Opus eſſe conſtat. *Chriſtus patiens Tragœdia*, quæ Apollinari Laodiceno, ceu legitimo Auctori tribuenda eſt. *Queſnellus* tom. 2. Operum S. Leonis Diſſert. 14. *de libellis in Codice veteri Romanæ Eccleſiæ contentis*,

Digitized by Google

is, existimat *Tractatum de Fide*, qui latine tantum extat ex verſione Rufini, quippe Gregorio Nazianzeno adſcribitur, legitimum fœtum eſſe *Gregorii Bætici*, cum appareat Auctorem illius Operis latinum fuiſſe, & Græco idiomate donatum Gregorio Nazianzeno adſcribi potuiſſe. Quare, perperam Tractatus iſte Orationis 49. locum inter Opera Gregorii Nazianzeni obtinet. Ejuſdem Gregorii Bætici eſt *Tractatus de Fide Nicæna*, qui Orationi 50. locum habet inter Opera S. Gregorii Nazianzeni, ſi jam citati Queſnelli conjecturæ, apud ipſum legendæ, ſint admittendæ.

Poſtremo, S. Gregorius Nyſſenus, S. Baſilii frater natu minor, & Nyſſæ in Cappadocia Epiſcopus, Eccleſiæ Græcæ in quarto Eccleſiæ ſæculo fuit itidem ſplendidiſſimum lumen, & ornamentum. Antequam ad Nyſſenam Sedem eveheretur Gregorius, fuit conjugio mancipatus & *Theoſebiæ* fœminæ ſanctiſſimæ ſponſus, & celeberrimus Rhetorices Profeſſor. Sed Theoſebia ſponte Deo dicata ad Sacerdotium promotus eſt, & deinde anno 372. Epiſcopus Nyſſenus ordinatus. Porro, cum Nyſſenam Eccleſiam S. Gregorius ſanctiſſime regeret, Orthodoxamque fidem, & Ovile Chriſti contra graſſantes Arianæ Sectæ lupos ſtrenue propugnaret, a *Valente* Imperatore in exilium abire juſſus eſt. Sed hoc Imperatore e vivis rapto, ad Sedem ſuam rediit. Interfuit Concilio Conſtantinopolitano primo, in quo ob ſingularem, qua pollebat, eruditionem, & ob eximias ſuas dotes, vitæque puritatem, ſibi apud omnes magnam famam comparavit. Ejus ſuffragium in maximi momenti negotiis plurimi fecerunt illius Concilii Patres, & cum ab eis neceſſaria putaretur expoſitoriæ confeſſionis fidei præſcriptio, præſertim in Articulo *de Spiritu Sancto*, ejus adornandæ cura illi demandata eſt. Hoc autem eſt *Conſtantinopolitanum Symbolum*. Ultra annum 394. vitam produxit S. Gregorius, & incerto anno mortalitatem explevit. Multa edidit Opera, quæ extant in Editione Pariſienſi anno 1605. a *Frontone Duceo* publicata. Quædam tamen illius Sancti Doctoris Opera deperdita ſunt, videlicet: *Expoſitiones in Proverbia*. *Contra Ablavium de Patris, Filii, & Spiritus Sancti divinitate*, niſi forſan ob argumenti affinitatem dicatur, idem eſſe opus cum libello ad Ablavium, qui nunc extat. *Commentarii in Epiſtolam D. Pauli ad Philippenſes*.

Opera ſpuria Gregorii Nyſſeni ſunt: *De Natura humana, ſeu de Philoſophia* libri octo, qui *Nemeſii* eſſe putantur. *Oratio in Mulierem Peccatricem*. *Oratio in principium Jejuniorum*. Hæ quippe duæ Orationes, ut videre eſt apud Photium Cod. 271. editæ ſunt ab *Aſterio* Amaſeæ in Ponto Epiſcopo, cujus aliqua Opuſcula publicavit, & in linguam Latinam convertit doctiſſimus *Coteleriu*s in tertio Tomo Monumentorum Eccleſiæ Græcæ. De Operibus etiam iſtius Aſterii Amaſenſis Epiſcopi legendus eſt *Labbæus* in Diſſertatione de Scriptoribus Eccleſiaſticis. (*a*)

„ (*a*) Conſultius egiſſet P. Graveſonius ſi in recenſendis operibus S. Gregorii Nyſſeni excurſet editionem Græco-Latinam anni 1615. potius quam editionem latinam anni 1605. plura enim in poſtrema hac adjecta ſunt, quæ in priori non extant. Inſuper adeunda erat collectio monumentorum veterum Laurentii Zaccagnii, in qua nonnulla extant Gregorii Nyſſeni nondum evulgata, quædam etiam ſuppleta ſeu dempta ſunt ob eodem Zaccagnio ex fide Græci codicis Vaticani, quæ ſane Nyſſeniana non ſunt, uti e. g. lacunam, quæ in Homilia contra fornicarios idem Scriptor ſupplevit. Ita pariter in libello: *Teſtimonia SS. Trinitatis &c.* poſtrema illa pars continens explicationem illius: Joannis 19. 34. *ſtatim exivit ſanguis & aqua*, deeſt in Græco codice ab eodem Zaccagnio vulgato, eademque ſane merito abeſt, cum ab eo ſcripto ſit aliena. Inſuper addendum, nonnulla Nyſſeni adjecta eſſe editioni anni 1615. quæ prodierunt Pariſiis anno 1618. in modum appendicis. Demum hæc appendix transfuſa eſt in novam editionem Pariſienſem anni 1638. Conſule de his omnibus Fabricium Bibliothecæ Græcæ tom. VIII. pag. 161. &c.

D. Quæ hactenus de nobilioribus Græcis Scriptoribus dixiſti, lubenti animo auſcultavi, perge nunc, ſi placet, de illuſtrioribus Latinis Scriptoribus, qui in quarto Eccleſiæ ſæculo floruerunt, eadem brevitate cum claritate conjuncta diſſerere.

M. Præcipui Scriptores Latini, qui quarto nominis Chriſtiani ſæculo floruerunt, ſunt S. Ambroſius, S. Hieronymus, & S. Auguſtinus. Verum quia duo poſtremi Patres exeunte dumtaxat quarto ſeculo, & ineunte quinto ad ſcribendum animum appulerunt, opportunius de illis in Hiſtoria Scriptorum quinti Eccleſiæ ſæculi ſermonem inſtituemus.

D. Deſcribe igitur vitam Sancti Ambroſii, qui, ut ſæpius audivi, doctrina, & pietate Eccleſiam mirum in modum illuſtravit, & unus eſt e quatuor Eccleſiæ latinæ Doctoribus.

M. Annus, quo Ambroſius, poſtea Mediolanenſis Epiſcopus, prodiit in lucem, incertus eſt. Præferenda tamen eſt opinio doctiſſimi *Hermantii*, qui in vita Sancti Ambroſii lib. 1. cap. 3. arbitratur, Sanctum Ambroſium anno circiter trecenteſimo quadrageſimo eſſe natum. Pater ipſius fuit Ambroſius Civis Romanus, & Galliarum Præfectus. Unde *Theophilus Raynaudus* Societ. Jeſu evincit, Sanctum Ambroſium in Urbe Arelatenſi natum eſſe, quia ex Conſtitutione Honoriana anno quadringenteſimo decimo octavo data, & ex libello precum Epiſcoporum Gallicanorum ad Sanctum Leonem Papam conſtat, Civitatem Arelatenſem fuiſſe Sedem Præfecti Prætorio Galliarum. Mortuo patre, juvenis adhuc Ambroſius una cum ſua ſorore *Marcellina*, & *Satyro* fratre natu majore Romam a pia matre perductus eſt, ubi probis moribus inſtitutus, & litteris optime excultus, ita *Anicio Probo* Prætorio Præfecto gratus fuit, ut ad Inſubriam, Liguriam, & Æmiliam cum Inſignibus Conſularibus regendas ab ipſo miſſus fuerit, cum hac prævia admonitione, ut has

Provincias, non ut Judex, ſed ut Epiſcopus, adminiſtraret. Quæ vox non tantum admooitio, ſed & Vaticinium fuit: Nam paulo poſt mortuo Auxentio Mediolanenſi Epiſcopo Ariano, convenerunt Epiſcopi, ut alium in ejus locum ſufficerent. Sed cum Electores eſſent partim Catholici, partim Ariani, ac ſubinde ſeditionis periculum immineret, ſui officii eſſe duxit Ambroſius venire ad Eccleſiam, ut omnes ad concordiam, depoſitis hinc inde diſſidiis, hortaretur. Dum autem peroraret Ambroſius in Eccleſia, ſic omnium in ſe oculos, animos, cordaque convertit, ut de repente omnes in ejus electionem conſenſeriot. Fruſtra Ambroſius, ut hoc onus excuteret, omnem lapidem movit. Probante ſiquidem cum gaudio ejus electionem, immo jubente Imperatore Valentiniano, primum baptizatus eſt ab Epiſcopo Catholico (erat enim Ambroſius tantum Catechumenus) dein, octavo poſt die, qui fuit ſeptimus Idus Decembris, & incidit in diem Domioicam, Pontificales induit veſtes, & Epiſcopus Mediolanenſis conſecratus eſt anno 374. Hac nova dignitate auctus Ambroſius, dimiſſis negotiis, boniſque temporaneis, omnes ſuas curas, & cognitiones ad exercenda omnia boni Paſtoris officia convertit, & quamvis ante Ordinationem ſuam ſacra Religionis Chriſtianæ Myſteria plene edoctus non eſſet, ſic tamen graviter ſtudio incubuit, ut ad ea populo dilucide explananda, & contra Heterodoxos acerrime propugnanda perfectus, abſolutuſque Doctor evaſerit. Arianis implacabile bellum indixit, auctorque fuit, ut duo Epiſcopi *Palladius*, & *Secundianus*, qui hac Hæreſi erant infecti, in Concilio Aquilejenſi anno 381. celebrato fuerint damnati. Conſtantia Sacerdotali reſtitit *Juſtinæ* Arianæ fœminæ, & matri Valeotini junioris, quæ cum Sancto illo Antiſtite egit, ut Baſilicam Arianis concederet, ubi ſuos & ipſi conventus celebrarent; ſed Ambroſius ſancti propoſiti tenax nullis promiſſis, aut minis ad id inflecti ullatenus potuit. Quin, & ipſius patrocinium implorare coacta fuit eadem *Juſtina*. Nam cum eodem tempore *Maximus* Tyrannus Gallias invaſiſſet, & ad Italiam properaret, *Juſtina*, & Imperator *Valentinianus* junior miſerunt Sanctum Ambroſium ad *Maximum*, ut ſua eloquentia, ac prudentia imminentem Italiæ cladem averteret. Tanta erat illius Præſulis æſtimatio, ut Tyranno exarmando par eſſe videretur. Devicto poſtea *Maximo* Tyranno à Theodoſio Magno, Ambroſius pari conſtantia eidem Theodoſio Imperatori reſtitit, qua Juſtinæ obſtiterat. Impedivit quippe, ne Synagoga, quam Judæis Theodoſius concedere volebat, reſtitueretur, & ne Ara Victoriæ, quam Symmachus inſtauraverat, erigeretur. Infracto itidem animo Ambroſius Theodoſium ob cædem Theſſalonicenſem redarguit, & Eccleſiæ aditu prohibuit: quam pœnam religioſus ille Imperator non ſolum æquo animo tulit, ſed ex præſcripto Ambroſii publicam pœnitentiam agens, legem edidit, ut latæ in reos ſententiæ executio in dies 30. procraſtinaretur. Commotus etiam Imperator tot Sancti hujus Præſulis virtutum præſtantia, publice exclamavit: *Ambroſium novi unum, qui ſolus digne vocetur Epiſcopus*. Anno 392. Valentiniano juniore Imperatore, qui Sanctum Ambroſium impenſe colebat, a Comite *Arbogaſte* Viennæ interfecto, tyrannidem arripuit *Eugenius*, ſub quo multa paſſus Ambroſius, relicto Mediolano, Florentiam ſeceſſit anno 393. Sed anno ſequenti Mediolanum rediit, poſtquam Eugenius Tyrannus ex hac Urbe egreſſus eſt contra Theodoſium Imperatorem pugnaturus. Prælium duabus diebus ancipiti Marte duravit, ſed tandem victor Theodoſius proſtravit Exercitum Eugenii, & inter fugitivos captus ipſemet Eugenius, & ad Theodoſium perductus, capite plexus eſt. Mortuo Eugenio, Ambroſius tranquille Eccleſiam Mediolanenſem rexit: obiit die 4. menſis Aprilis anni 397. ætatis ſuæ 57. Epiſcopatus 23.

D. Compendioſe vitam Sancti Ambroſii deſcripſiſti; ſupereſt, ut breviter ea indices, quæ ſcripſit, Opera.

M. Sanctus Ambroſius multa edidit Opera, quorum genuina extant in duobus Tomis prioribus poſtremæ, & accuratæ editionis ejus Operum, quam in lucem dedere eruditi Congregationis S. Mauri Monachi Benedictini. Opera Saocti Ambroſii, vel dubia, vel ſuppoſititia, inſerta ſunt in tertio Tomo ejuſdem Editionis, qua ſi utaris, nullo negotio ſecernere poteris genuina Sancti Ambroſii Opera ab his, quæ huic Sancto Doctori perperam adjudicantur.

D. Poteſt ne certo affirmari, Canticum *Te Deum laudamus &c.* fuiſſe editum a Sancto Ambroſio? hoc quippe in dubium revocari non poſſe oupertime mihi affirmabant pii quidam homines, quibus tamen, utpote in Critices diſciplina non multum verſatis, necdum integram fidem adhibeo.

M. Auctorem Cantici *Te Deum laudamus &c.* ipſe incertum eſſe exiſtimo. Legitur quidem in Chronico, quod Sancto *Dacio* Mediolanenſi Epiſcopo vulgo attribuitur, Canticum iſtud a Sanctis Ambroſio, & Auguſtino poſt hujus Baptiſmum alternis vocibus fuiſſe decantatum, ſed apud peritos Criticos argumentum ex iſto Chronico petitum non eſt magni ponderis. Eruditus quippe Pater *Menardus* Benedictinus in notis ad Sacramentarium Gregorii Magni aſſerit, iſtud Chronicon, ex quo hæc deſumitur narratio, non eſſe Sancti Dacii Mediolanenſis Epiſcopi, quia non redolet ſtylum illorum temporum, atque etiam quædam falſa contineat. Poſt Menardum idem de hoc Chronico judicium tulit doctiſſimus *Mabillonius* Tom. 1. Analectorum veterum Patrum pag. 3. Ad hæc, ſunt quidam Sciptores, qui antiquiſſima proferunt Breviaria, in quibus hoc *Canticum* tribuitur vel *Sancto Abundio*, vel *Siſebuto* Monacho, vel *Sancto Nicetio*. Sunt etiam alii, qui iſtud Canticum tribuunt *Sancto Hilario*. Quapropter, in tanta ſententiarum diſcrepantia, quamvis lubens ipſe in eorum ſententiam propendeam, quæ,

juxta

juxta antiquam, pervulgatam, & communiter receptam traditionem, hoc Canticum SS. Ambroſio, & Auguſtino vindicat, hæc tamen Auctorum, quibus hoc Canticum attribuitur, diverſitas in cauſa eſt, cur nec poſſim, nec debeam certo affirmare, Sanctum Ambroſium eſſe Auctorem illius Cantici *Te Deum laudamus &c.* Immo, pius, & doctus Cardinalis *Bona* negat in libro de *Pſalmodia*, hoc Canticum fuiſſe editum a Sancto Ambroſio. Eruditi quoque Aſcetæ Benedictini Congregationis S. Mauri, qui poſtremam Ambroſianorum Operum Editionem Pariſiis curarunt, in admonitione, quam Hymnis Sancti Ambroſii præfixerunt, hæc habent: *De Cantico Euchariſtico* Te Deum laudamus, *piget hic anxie dicere. Nemo quippe eſt hac noſtra ætate non plane rudis, qui fabulam eſſe inficietur, quod eumdem Hymnum poſt baptizatum ab Ambroſio Magnum Auguſtinum ab utroque alternis vocibus decantatum olim jactabant.* (*a*)

„ (*a*) Chronicon, quod vulgo dicitur, Dacii Mediolanenſis Epiſcopi, nihil eſſe aliud, niſi Chronicon Landulphi Senioris a Cl. Muratorio vulgatum communis eruditorum ſententia modo tenet, & agnoſcit. Vivebat autem Landulphus ſæculo XI. declinante. Quamquam vero Landulphus Hymnum *Te Deum* tribuit S. Ambroſio, non tamen id a Dacio accepiſſe ſe profitetur; & ſiquidem affirmaſſet, nihil eſt quod ejus authoritati plurimum deferatur; multa enim ex impuris fontibus credulus iſte ſcriptor ebibit. Notat inſuper Muratorius, atque validis argumentis demonſtrat nullum extitiſſe olim Dacii chronicon, & ſiquidem aliquod fuiſſet ſub ejus nomine vulgatum ſcriptum hiſtoricum, alium profecto extitiſſe operis illius auctorem oportet, quam Dacium Archiepiſcopum Mediolanenſem, qui ſub Imperatore Juſtiniano vixit, cum ex Dacio quædam a Mediolanenſibus ſcriptoribus memorentur, quæ ad octavum, & forte nonum ſæculum pertinent, quo uſque Dacius ille Archiepiſcopus vitam produxiſſe non potuit. Quibus vero argumentis Muratorius evincat nullum a Dacio, neque etiam ab alio quodam Dacio recentiori prodiiſſe Chronicon, legas in ejus præfatione ad Chronicon Landulphi ſenioris inſertum rer. Italic. tom. IV.

D. Floruerunt ne in quarto ſæculo alii Scriptores Eccleſiaſtici?

M. Inter Scriptores quarti ſæculi enumerant nonnulli *Sanctum Cæſarium* Gregorii Nazianzeni fratrem, eique attribuunt Dialogos quatuor de divinis rebus. Sed nullum Sanctus Cæſarius inter Scriptores quarti Eccleſiæ ſæculi locum habere debet; tum quia nec Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri Fratris ſui Cæſarii, quæ eſt ordine decima inter editas, nec Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſ. ulla a Cæſario edita Opera memorant; tum quia etiam veriſimile non eſt, Cæſarium, qui ad finem vitæ fuit Catechumenus, eamque, teſte Sancto Gregorio Nazianzeno in ejus funebri Oratione, tranſegit in Aula, quatuor de divinis rebus conſcripſiſſe Dialogos. Hinc jure optimo eruditi viri abjudicant Cæſario quatuor illos Dialogos, qui ſub ipſius nomine extant in Bibliothecis Patrum. (*b*) Ad eamdem Apocryphorum Claſſem ablegant viri eruditi *Synopſim de vita, & morte Apoſtolorum, Prophetarum, & Diſcipulorum Chriſti*, quæ ſub Sancti Dorothei Tyrii Preſbyteri, & Martyris nomine excuſa eſt in Bibliothecis Patrum, quia fabulis, & mendaciis ſcatet, & eſt Sancto ille Martyre prorſus indigna. Omiſſis itaque Cæſario, & Dorotheo, cæteros in medium proferam Eccleſiaſticos Authores, qui quarto ſæculo Chriſtianam Religionem ſuis ſcriptionibus illuſtrarunt. In primis, occurrit *Sanctus Amphilochius* Iconii in Lycaonia Epiſcopus, qui Hæreticos *Meſſalianos* a ſua Provincia abegit, Fidem Catholicam contra *Valentem* Imperatorem Arianum conſtanter defendit, librumque edidit *de Spiritu Sancto*, quo ipſum verum Deum eſſe contra Macedonianos omni argumentorum genere probat. Varias ejus Homilias græce, & latine publici Juris fecit doctiſſimus noſter *Combefiſius*, necnon vitam Sancti Baſilii, quam idem *Combefiſius*, & poſt ipſum Cl. *Pagius* ad annum 362. Amphilochio, ut legitimo Authori, attribuunt, quamvis Baronius, Bellarminus, Godefridus Hermantius, aliique viri eruditi negent, hanc vitam Sancti Baſilii fuiſſe ab Amphilochio deſcriptam, eo quod plura continere videatur, quæ veritati Hiſtoriæ repugnant. *Cotelerius* tom. 2. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ exhibet Sancti Amphilochii Epiſtolam Synodicam ad Epiſcopum, cujus nomen periit, & Synodi nomen tacetur. Obiit Amphilochius anno 394. ejuſque nomen inſcriptum eſt Martyrologio Romano ad diem XXIII. Novembris. *Maximus* Cynicus, qui de Epiſcopatu Conſtantinopolitano cum Sancto Gregorio Nazianzeno contentionem habuit, librum *de Fide* contra Arianos ſcripſit, qui ad nos non pervenit. *Diodorus* Sylvani Tarſenſis Diſcipulus, & Præceptor S. Chryſoſtomi, & Theodori Mopſueſteni anno 376. Tarſenſis Epiſcopus conſecratus, eruditos in Scripturam Sacram Commentarios adornavit, in quibus, prætermiſſis Allegoricis ſenſibus, quibus ante ipſum alii Scripturæ Sacræ Interpretes plus æquo indulgebant, ſenſui litterali unice inhæret, unde maximam apud eruditos ſui ſæculi viros famam, & eruditionis gloriam ſibi comparavit, ſed poſt ejus mortem, & in ſequentibus ſæculis doctrina Diodori multis ſuſpecta viſa eſt, ipſeque male audiit, quod prælusiſſet errori, quem poſtea de duabus in Chriſto Perſonis exerte docuit Neſtorius Conſtantinopolitanus Epiſcopus. Fragmenta quædam Commentariorum Diodori adhuc extant in Catenis Græcis. *Timotheus* in Sede Alexandrina *Petri* ſucceſſor, ſcripſit, teſte Sozomeno lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 29. vitam *Apollo*, & aliorum Monachorum, qui in Ægypto, imperante Theodoſio, floruerunt, quod Opus modo non extat. Epiſtolam ejuſdem Timothei ad Diodorum refert Facundus lib. 4. cap. 2. in qua ſe Athanaſii diſcipulum Timotheus profitetur. *Euſebius* Vercellenſis Epiſcopus multas ſcripſit Epiſtolas

Digitized by Google

& Commentarium Euſebii Cæſarienſis in Pſalmos latine vertit, teſte S. Hieronymo. *Hilarius* Romanæ Eccleſiæ Diaconus, qui Luciſerianorum Schiſmati adhæſit, Auctor eſt Commentariorum in Epiſtolas S. Pauli, qui jam olim S. Ambroſio erant falſo adſcripti. Auctor eſt etiam idem Hilarius Operis *Quæſtionum Veteris, & novi Teſtamenti*, quod perperam ſub nomine S. Auguſtini alias circumferebatur. In his duobus Operibus, ut recte obſervat *Poſſevinus* in Apparatu, multa permiſcet Hilarius, quæ Pelagianos redolent errores, & quæ benigna aliqua interpretatione molliri non poſſe videntur. *Philaſtrius* Brixienſis in Italia Epiſcopus ſcripſit librum *de Hæreſibus*, qui etiamnum perſtat. Philaſtrio in Brixienſi Epiſcopatu ſucceſſit *Gaudentius*, qui plures Tractatus, ſeu Sermones habuit, variis de argumentis, qui extant in Bibliothecis Patrum. *S. Paulinus* in Campania Italiæ Provincia Nolenſis Epiſcopus, plures, eaſque elegantes ſcripſit Epiſtolas, & varia Poemata. Denique, miſſis aliis Scriptoribus, qui in quarto Eccleſiæ ſæculo aliquas lucubrationes ediderunt, unum dumtaxat celebriorem proferam *S. Epiphanium*, qui in Palæſtina prope Eleutheropolim circa annum 320. natus, diu poſtea cum Monachis Ægypti, & Palæſtinæ verſatus eſt, & *Conſtantiæ*, ſeu *Salaminis* in Cypro Inſula factus Epiſcopus, floruit ſub Juliano, Joviano, Valente, Gratiano, Theodoſio & Arcadio Imperatoribus. Gravem contentionem, occaſione Origeniſtarum, habuit S. Epiphanius cum Joanne Hieroſolymitano Epiſcopo, quem tanquam fautorem errorum Origenis accuſavit; eaque contentio acrius deinde recruduit S. Epiphanium inter & S. Chryſoſtomum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, poſtquam videlicet Theophilus Patriarcha Alexandrinus collecta Synodo anno 401. Origenem damnavit, ac plures Monachos, quos doctrinæ Origenis adſtipulari exiſtimabat, e Monaſteriis expulit. Hi ſiquidem Monachi ſuis e Sedibus extorres Conſtantinopolim commigrarunt, eoſque S. Chryſoſtomus benigne exceptos fovit obſequio, victuque quotidiano. Quod ægre admodum ferens S. Epiphanius, Synodum, eodem anno 401. in Cypro celebravit, in qua Origenem damnavit, & Epiſtolam ad S. Joannem Chryſoſtomum ſcripſit, ut eum induceret ad proſcribendos Origenis errores. Quin, & ipſe Epiphanius anno 402. Conſtantinopolim acceſſit, ubi cum S. Joanne Chryſoſtomo, qui tamen illum ad pacem omni officio invitavit, omnem perrupit communionem. Sed perſpecta invicta S. Joannis Chryſoſtomi moderatione, tacitus abſceſſit, dumque ad ſuam reverteretur Eccleſiam, eodem anno, die incerto S. ille Antiſtes ſenio jam confectus mortalitatem explevit, quem ob quinque linguarum peritiam πενταγλωττον appellarunt, multiſque Encomiis ſæpius Sancti Patres commendarunt.

„ (*a*) De Dialogis quatuor Cæſarii, fratris S.
„ Gregorii Nazianzeni, æquius hodie judicant vi-
„ ri docti contendentes fœtum eſſe ſincerum hu-
„ jus Cæſarii, cum præſertim illi a Photio Cod.
„ 210. tribuantur, & argumenta in oppoſitum a
„ Billio allata Lambecius tom. IV. prolixe re-
„ futet. Ex quo fit, ut inter Eccleſiaſticos ſcri-
„ ptores merito referatur. Quin & Suidas in Le-
„ xico affirmat Cæſarium contra Græcos ſcri-
„ pſiſſe; quod ſæpe in huſce dialogis factum con-
„ ſtat. Num totum opus Cæſarii typis evulga-
„ tum ſit, dubitari poteſt, cum Photius capita
„ ejus Eccleſiaſtica 220. enumeret.

Opera genuina S. Epiphanii ſunt: *Panarium adverſus Hæreſes* 80. *Ancoratus, ſeu de Fide ſermo. Anacephalæoſis, ſeu Panarii Epitome. Liber de Ponderibus, & Menſuris. Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum. Ad Hieronymum Epiſtola.*

Opera S. Epiphanii ſuppoſititia ſunt: *Phyſiologus. De Vita, & Interitu Prophetarum. De duodecim gemmis in veſte Aaronis* (*a*). *Ejuſdem libri Epitome. Orationes octo, videlicet in Feſtum Palmarum; in Chriſti Sepulturam; in Chriſti Reſurrectionem; in Chriſti Aſſumptionem; de Laudibus B. Mariæ Virginis; in Feſto Palmarum; de Numerorum Myſteriis; de Chriſti Reſurrectione.*

Opera S. Epiphanii, quæ amplius non extant, ſunt: *De lapidibus. S. Hilarionis Encomium. Epiſtolæ plures.*

„ (*a*) S. Epiphanii liber *de duodecim* gemmis in
„ veſte Aaronis, cur inter Epiphanii ſpuria hic
„ rejiciatur ignoro, cum ab eruditis vulgo omni-
„ bus admittatur, certoque conſtet de hoc argu-
„ mento S. Epiphanium opuſculum dediſſe, te-
„ ſte S. Hieronymo in Epiſt. *de veſtitu Sacerdo-*
„ *tum ad Fabiolam*; nihilque in eo occurrat,
„ quod ab ætate & more S. Epiphanii abhorreat.

„ Inter ſcripta deperdita S. Epihanii merito
„ recenſendus eſt brevis Commentarius in *Canti-*
„ *cum Canticorum*, quem Caſſiodorus Divin. Lect.
„ cap. 5. curaſſe ſe ait, ut in latinum verteretur.

D. Cum de Viris Illuſtribus, qui in quarto Eccleſiæ ſæculo floruerunt, nihil aliud tibi dicendum ſuppetat, amplum, ac perutile tibi proponam diſſerendi argumentum, de ſucceſſione videlicet, & ſerie Epiſcoporum, qui præcipuas Eccleſiæ Sedes, Romanam, nimirum, Alexandrinam, Antiochenam & Hieroſolymitanam in quarto Eccleſiæ ſæculo occuparunt. Quamvis enim de multis Sedium illarum Epiſcopis ſæpius mentionem hactenus feceris, nihilo ſecius ad meam juvandam memoriam, cui multum placent res ſcite diſpoſitæ, & in bono ordine collocatæ, vehementer optarem, ut accuratam iſtarum Sedium Epiſcoporum ſeriem mihi in præſentia exhiberes.

M. Ne longius noſtrum protrahatur Colloquium, plura non addam; ſed de argumento, quod propoſuiſti, in proximo noſtro Colloquio, auxiliante Deo, copioſe diſſeremus.

COLLOQUIUM V.

De continua ſucceſſione, ſeu ſerie Epiſcoporum, qui in quarto Eccleſiæ ſæculo præcipuas Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam & Hieroſolymitanam tenuerunt.

D. PLurimi noſtra intereſt, continuam exhibere ſucceſſionem Epiſcoporum, qui præcipuas Ec-

Eccleſiæ Sedes tenuerunt, ut inde contra Hæreticos palmare ducamus argumentum, quo palam fiat, doctrinam ab ipſis Apoſtolis profectam, per continuam Epiſcoporum ſucceſſionem ad nos uſque, quaſi de manu ad manum, de aure in aurem, ſanam & illibatam fuiſſe propagatam. Verum, Hiſtoria, quam deſcripſiſti, tot Hæreſum, Sectarum & Factionum, quibus in quarto ſæculo varias in partes diſtracta fuit Eccleſia, haud obſcure inſinuare videtur, fuiſſe aliquandiu interruptam continuam illam ſeriem Catholicorum Epiſcoporum, qui id ętatis præcipuas Eccleſiæ Sedes occuparunt. Et ſane, cum iſti diverſarum partium homines in id certatim conſpirarent, ut Epiſcopos ſuis factionibus addictos præcipuis Eccleſiæ Sedibus præficerent; cum etiam Imperatores pro ſuo nutu, & arbitrio præcipuarum Sedium Epiſcopos Catholicos expellerent, & in eas Hæreticos auctoritate ſua intruderent, cum denique non deeſſent ambitioſi homines, qui præſumptione prælationis, & amplioris honoris pruritu ad nobiliores Eccleſiæ Sedes auſu temerario involarent, qui, amabo, fieri potuit, ut tot inter tumultus, rerumque viciſſitudines interrupta perſtiterit Catholicorum in præcipuis Eccleſiæ Sedibus Epiſcoporum ſucceſſio?

M. Non abludunt quidem a vero ea quæ dicis, ſed tamen continuæ Orthodoxorum Epiſcoporum in præcipuis Eccleſiæ Sedibus ſucceſſioni officere non debet ea qualiſcumque Catholicorum Epiſcoporum interrupta ſucceſſio, quia licet maxima adhibita vi, milleque interpoſitis nocendi artibus interrupta interdum fuerit Catholicorum Epiſcoporum in præcipuis Eccleſiæ Sedibus ſucceſſio, revera tamen in cordibus Fidelium jugiter perſeveravit, & illæ præcipuæ Eccleſiæ, expulſis invaſoribus, nunquam a legitimis, & Catholicis Paſtoribus fuerunt divulſæ, ſed in eorum communione, & in doctrina ab ipſis tradita inviolabili fide ſemper perſtiterunt.

D. Diſtinctam itaque, & accuratam exhibe nunc Epiſcoporum in præcipuis Eccleſiæ Sedibus ſucceſſionem, & eadem opera recenſe mala, pericula, & incommoda, quæ pro Fide Catholica paſſi ſunt.

M. Initium ducam ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, quæ Mater eſt omnium Eccleſiarum, & cui, ceu ſacræ anchoræ, indivulſe adhærere debemus, ſi ſalvi eſſe velimus. Et in primis, memini me jam obſervaſſe in ſecundo Colloquio, quod habuimus *de ſucceſſione Epiſcoporum Sedis Romanæ in tribus primis Eccleſiæ ſæculis*, Marcellinum ſuſcepiſſe Pontificatum Romanum ſub finem tertii ſæculi, pridie Kalendas Julias, ſeu die triceſima menſis Junii anni Chriſti ducenteſimi nonageſimi ſexti; eumque ſediſſe annis octo, menſibus tribus, diebus viginti quinque, ac ſubinde obiiſſe die XXIV. Octobris anni Chriſti CCCIV. Diocletiano IX. Auguſto, & Maximiano Herculio VIII. memini inſuper, me oſtendiſſe in Colloquio tertio *de Conciliis, quæ in quarto Eccleſiæ ſæculo fuerunt celebrata*, vulgo jactatum Marcellini Papæ in idololatriam lapſum merum eſſe commentum ac male conſarcinatam fabulam, quam contra *Petilianum* Donatiſtam diſputans Sanctus Auguſtinus exploſit, & quæ locum non habet niſi in Actis Concili Sinveſſani, quorum certa ſuppoſitionis indicia exhibent Papebrochius, Pagius, aliique viri eruditi. Quare, cum hæc omnia jam comperta habeas, plura de Marcellino in præſentia dicere ſuperſedebo. Duo hic tantum velim obiter advertas. Primo, ſuppoſititias eſſe Epiſtolas Decretales, quæ Marcellino Papæ affinguntur, necnon pariter adulterinam eſſe ejuſdem Marcellini Epiſtolam ad *Salomonem* Epiſcopum, quæ incipit cum verbis Leonis I. Epiſt. 93. juxta veterem Editionem: *Quam laudabiliter pro Catholicæ Fidei veritate*. Eſt etiam hæc Epiſtola conſarcinanata ex teſtimoniis Idacii ad Warimundum c. 51. 52. 53. 56. & ex teſtimonio Hormiſdæ Papæ Ep. 24. & 25. ut jam a viris doctis fuit obſervatum. Præterea, advertere debes, nullam Marcellini Papæ fieri mentionem, ſive in Chronico Euſebiano, ſive in Martyrologio Hieronymiano. Quo fit, ut aliqui viri doctiſſimi Marcellinum, & Marcellum diſtinguendos non eſſe exiſtiment. Qua in re eos decipi certum omnino eſt. At enim, Auctor Chronici Damaſo Papæ attributi ſedente Liberio Papa vixit, & utriuſque Pontificis Marcellini, & Marcelli non ſolum meminit, ſed etiam quot quilibet annis, ac diebus ſedit, memorat. Præterquam quod S. Auguſtinus, qui exeunte quarto ſæculo floruit, utrumque Pontificem agnovit, & accurate diſtinxit, quemadmodum & Optatus Milevitanus ab Eminentiſſimo Baronio citati.

In Chronico Damaſi laudato dicitur, poſt Marcellini Papæ obitum vacaſſe Sedem annis VII. menſibus VI. diebus XXV. Sed viri Chronologiæ periti docent, hunc locum eſſe corruptum, legendumque, vacaſſe Sedem annis III. menſibus III. diebus XXV. Nam Marcellus, qui fuit ſucceſſor Marcellini, ordinatus eſt Pontifex Romanus die XXVII. Junii anni CCCVIII. in quem incidit dies Dominica. Sedit autem Marcellus annum I. menſes VI. dies XX. & migravit ad Dominum die XVII. Kalend. menſis Februarii, ſeu die XVI. menſis Januarii anni CCCX. Marcello Papæ duę Epiſtolæ Decretales attribuuntur, quæ tamen ſunt ſuppoſititiæ. Prima eſt ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ, in qua leguntur loca ex Acacio Conſtantinopolitano Epiſcopo, Hilario, Innocentio, Gregorio, Leone, & aliis Marcello poſterioribus Scriptoribus deprompta, & inſuper fictitio Conſulatu notatur: *data Kal. Aprilis Maxentio & Maximo V.C. Coſſ.* Secunda directa eſt ad Maxentium, & incipit cum verbis S. Gregorii Epiſt. 214. libri ſeptimi, ſecundum veterem Ordinem, & continet aliorum poſteriorum Scriptorum complura loca, citatque Scripturam Sacram ex verſione Sancti Hieronymi, quæ ſolum in quinto ſæculo fuit ab ipſo lucubrata. Denique, notatur *Maxentio, & Maximo V.C. Coſſ.* qui Conſulatus prorſus fictitius eſt.

Poſt mortem Marcelli Papæ, vacavit Sedes dies viginti, ut legitur in auctiori Chronico veterum Pontificum, & die V. Februarii anno CCCX. *Euſebius* Marcello ſucceſſit, ſeditque menſes quatuor & dies ſexdecim, obiitque die XXI. Menſis Junii ejuſdem anni CCCX. Tres circumferuntur Epiſtolæ Decretales Euſebii Papæ, ſed confictæ, & ſup-

Digitized by Google

poſititiæ. Prima data eſt *ad Epiſcopos Galliæ*, quæ incipit a verbis S. Gregorii Papæ l. II. epiſt. 36. juxta veterem ordinem: *Scripta Sanctitatis Veſtræ &c.* pluraque complectitur teſtimonia ex Ennodio deſumpta. Secunda Epiſtola directa eſt *ad Ægyptios*, in eaque refertur locus ſatis amplus ex quinta Synodo Romana ſub Symmacho Papa. Tertia eſt *ad Epiſcopos Thuſciæ, & Campaniæ*, incipitque a verbis Hormiſdæ Papæ Epiſt. 25. *Benedictus Dominus noſter, qui per miſericordiam ſuam Romanam Eccleſiam &c.* in qua Epiſtola mentio fit Inventionis Sanctæ Crucis, quam tamen conſtat Euſebii Papæ tempore necdum fuiſſe inventam.

Poſt Euſebii Papæ mortem vacavit Sedes dies undecim, & *Miltiades*, ſeu *Melchiades* Pontifex ordinatus eſt die II. Julii anni CCCX. ſedit annos tres, menſes ſex, dies novem, & ad Deum migravit die X. Menſis Januarii anni CCCXIV. *Voluſiano*, & *Aniano* Conſulatum gerentibus. Inter Epiſtolas Decretales Romanorum Pontificum extat una Melchiadis *ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos*, quæ dicitur data *Kalendis Martii Voluſiano, & Aniano Viris Clariſſimis Conſulibus*, quæ omnino ſuppoſititia eſt, cum jam a die decima Januarii anni CCCXIV. quo Conſules erant *Voluſianus*, & *Ananius*, Melchiades e vivis exceſſiſſet. Præterquam quod, ea in Epiſtola citatur Scriptura Sacra juxta verſionem S. Hieronymi in quinto dumtaxat ſæculo a S. illo Doctore concinnatam, refertur etiam prolixum fragmentum ex Euſebii Homilia de Pentecoſte, quæ vulgo attribuitur *Emiſſeno*, vel *Fauſto* Rejenſi Epiſcopo, qui Melchiades Scriptores ſunt poſteriores. Sub Pontifice Melchiade Donatiſtæ in Concilio Romæ habito anno CCCXIII. damnati ſunt. Quocirca, hanc Pontificis ſententiam inique ferentes illi Hæretici, Melchiadem, non ſecus ac illius Deceſſores Marcellinum, & Marcellum accuſarunt, quod, ſæviente perſecutione, ſacrificaſſent Idolis, & libros Sacros Ethnicis tradidiſſent. Sed hæc putida calumnia fuit, quam Donatiſtæ nunquam probare potuerunt, & a qua Sanctos illos Pontifices Catholici omnes ſemper vindicarunt (a).

„ (a) De ſucceſſionibus Romanorum Præſulum
„ admitto omnia lubens quæ hic ab authore tra-
„ duntur. Non ita vero facilem me præberem
„ in definiendo tempore ſedis ſingulorum Pontifi-
„ cum. Quamquam enim illud deductum ſit ex
„ chronico Damaſi jam vulgato, variaſſe tamen
„ conſtat Codices illos Damaſi inter ſeſe; quin &
„ vetuſtiſſimos longe aliam temporum adſcriptio-
„ nem quam quæſit in editis deſignaſſe ſcio. U-
„ nico exemplo rem illuſtrabo. Codex Lucenſis
„ MS. inter vetuſtiſſimos ante circiter mille an-
„ nos exaratus accenſendus eſt; ille vero tempus
„ Sedis Marcelli aſſignat annis V. menſibus VII.
„ diebus XXI. Euſebii annis VI. menſibus uno,
„ diebus III. & vacationem Epiſcopatus intra
„ dies VII. concludit. Miltiadis ſedes annis IV.
„ menſibus VII. diebus VIII. & vacationem die-
„ bus XVI. Sylveſtri annis XXIII. menſibus X. die-
„ bus XI. Hic verbo Codex noſter plerumque
„ congruit cum vetuſtiſſimo Mediolanenſi ejuſ-
„ dem fere ætatis a Muratorio collatus Rer. Ital.
„ tom. III. Utri ergo fides adhibenda eſt, vul-
„ gato ne an noſtro vetuſtiſſimo?

„ At enim Conſules in principio, & fine ſedis
„ cujuſque Pontificis notati valent ad annos de-
„ finiendos. Fateor ultro ex his tempus ſedis cer-
„ tius definiri; ſed poſt Sylveſtrum, alioſque non-
„ nullos raro Conſules adſcribuntur, ex quo con-
„ cludas tempus ſedis quorumdam ex his Ponti-
„ ficibus adſtrui rectius poſſe; ſed poſtquam de-
„ ſitum eſt adſcribere Conſules, ſedem eorum Pon-
„ tificum in incerto vagari cum non ſatis fide-
„ re poſſimus numeris annorum in chronico Da-
„ maſi adſcriptis. Et hæc dicta ſint non de iſtis
„ tantum Pontificibus hic enarratis, ſed & de a-
„ liis omnibus ſuccedentibus uſque ad illos, qui-
„ bus aliunde lux affundi poteſt.

„ Nec juvari etiam nos puto ex catalogo ve-
„ tuſtiſſimo Bucheriano, cujus eſt alioqui authori-
„ tas ſumma, cum ſcriptum cenſeatur ſub Libe-
„ rio Papa; nam luxatus eſt in multis, uti hoc
„ exemplo patet: *Marcellus an. I. Menſ. VI. D.*
„ *XX. Fuit temporibus Maxentii a Conſ. X. &*
„ *Maximiano uſque poſt Conſulatum X. & Septi-*
„ *mum*. Ita legit Eccardus in unico Codice Vin-
„ debonenſi, ex quo ſolo catalogus iſte, fruſtra
„ alibi perquirendus, peti potuit.

Mortuo Melchiade Papa, vacavit Sedes dies XXI. & pridie Kal. menſis Februarii anni CCCXIV. Silveſter Pontificatum iniit, ſeditque annis viginti uno, menſibus undecim, & obiit die XXXI. menſis Decembris anni CCCXXXV. *Conſtantino*, & *Albino* Conſulibus. Acta S. Silveſtri a multis viris eruditis rejiciuntur tanquam ſuppoſititia. Ipſemet *Baronius* fatetur, ea eſſe in multis depravata. Nec immerito. Narrant enim in primis illa Acta, coactam fuiſſe Romæ Synodum anno CCCXV. cui diverſarum Provinciarum Epiſcopi numero LXXV. interfuerunt, & *Helenam* Conſtantini Magni Imperatoris matrem tunc adhuc Gentilem, ſed a Judæis pene Judæam effectam, Conſtantinum filium ad Judæorum Religionem amplectendam invitaſſe, hacque de cauſa in unum Concilium conveniſſe Chriſtianorum Antiſtites, & Judęorum Sacerdotes ad diſputationem de Religione ineundam, atque duodecim Rabbinos ab *Iſachar* Summo Sacerdote delectos, qui contra Chriſtianam Fidem diſputarent. Quod ſane credibile non eſſe, ex eo præſertim colligunt viri eruditi, quod poſt excidium Hieroſolymitanum Judæi Summos Pontifices creare deſierint. Præterea, non probantur viris eruditis ea, quæ in iiſdem Actis referuntur de perſecutione in Chriſtianos excitata anno CCCXXXIII. de ſeceſſu Silveſtri in Montem *Soracte* ad quærendas latebras tempore illius prætenſæ perſecutionis; de lepra, quæ Conſtantinum Imperatorem coegerit revocare S. Silveſtrum in Urbem, ſanitatis ab ipſo accipiendæ cauſa, & de aliis hujuſmodi, quæ hic conſulto prætermitto. S. Silveſter miſit ſuos Legatos ad Concilium Arelatenſe celebratum anno CCCXIV. & ab Epiſcopis illius Concilii perhonorificam accepit Epiſtolam, qua eum rogant, ut definitiones in hoc Concilio factas ſua auctoritate confirmet, eaſque in Univerſa publicet Eccleſia.

Silveſtro vita functo, vacavit Sedes dies ſeptemdecim, & *Marcus* die decima octava menſis Januarii Cathedrę Sancti Petri Romę ſacra anni CCCXXXVI. *Neputiano*, & *Facundo* Conſulibus ordinatus fuit

Epiſ-

Digitized by Google

ɩpiſcopus Romanus, ſeditque menſes octo, dies iginti, & obiit eodem anno, die decima ſeptima menſis Octobris, qua ab Eccleſia colitur. Quæ *Marci* Papæ nomine inſcribitur Epiſtola *ad Athanaſium, & univerſos Ægypti Epiſcopos* ſuppoſititia ſt, non ſolum quia falſo Conſulatu notatur, ſed uia etiam conſuta eſt ex variis ſententiis Cæleini I., Attici Epiſcopi Conſtantinopolitani, S. ɪeonis Papæ, & Agathonis Romani etiam Ponficis, qui Marco ſunt poſteriores.

Poſt obitum *Marci*, vacavit Sedes menſes tres, ies viginti novem, & die ſexta menſis Febr. an. :cxxxvii. *Julius* ſucceſſit Marco, ſeditque annos uindecim, menſes duos, dies ſex, obiitque die ɔodecima menſis Aprilis an. ccclii. Contra Eubianos ad defendendam Catholicam de Trinitate idem, & S. Athanaſii cauſam ſtrenue ſe geſſit inctus ille Pontifex, multaſque Romæ Baſilicas exit. Ex omnibus Julii Papæ ſcriptis ſuperſunt iæ tantum Epiſtolæ a S. Athanaſio relatæ, quaım una ad Euſebianos, altera ad Eccleſiam Alexandrinam miſſa eſt. Duas autem Epiſtolas Decreıles, quæ Julii Papæ nomine inſcriptæ circumfeıntur, ſuppoſititias eſſe concors eſt omnium petorum Criticorum opinio.

Sublato e vivis Julio Papa, vacavit Sedes menſıbus duobus & diebus aliquot. Die autem vigeſia prima Junii an. ccclii. *Liberius* Romanus ontifex conſecratus eſt, ſedit annos quatuordem, menſes tres, & dies tres emortuali incluſo, obiit die xxiii. menſis Septemb. an. ccclxvi. aria fuit hujus Pontificis fortuna. In exordio ippe ſui Pontificatus *Liberius* conſtanti, & imıvido animo Fidem Catholicam, & Athanaſium ſendit. Scripſit an. cccliv. literas ad Conſtanım Imperatorem, in quibus conqueſtus eſt, quod *ɪmophilus, Macedonius,* & *Martyrius* e Concilio ediolanenſi celebrato anno cccxlvii. iratis aniis exiiſſent, & Arii errorem proſcribere noluiſıt. Nunquam etiam adduci potuit S. ille Ponex, ut damnaret Athanaſium, quem Epiſcopi ɔcidentales vi, & minis ab Imperatore Conſtan- inducti in Concilio Mediolanenſi anno ccclv. mnaverant. Quam ob rem, per vim Mediolam pertractus eſt Liberius, ubi, cum Imperatori titer obſiſteret, & Athanaſii innocentiam acritueretur, Beroeam in Thracia relegatus eſt, & eius locum ſubſtitutus eſt *Felix* Catholicus quin, ſed ab Arianis electus, *Epitecti* Epiſcopi ntumcellenſis Arianorum audaciſſimi molitio- & a tribus Epiſcopis Arianis ordinatus. Ven, vix biennium in exilio egerat Liberius, cum s fracta conſtantia eſt, ac tædio victus damna- Athanaſium, ſubſcripſitque Formulæ fidei Sirenſi, non quidem ſecundæ, quæ penitus Ariana ſed primæ, quæ Catholicum ſenſum pati pot- & contra Hæreſiarcham Photinum edita eſt. erius, poſtquam damnaſſet Athanaſium, Romam iit anno ccclvii. vel, ut alii probabilius cent, anno ccclviii. & quamquam Epiſcopi Aria- Sirmii congregati, datis ad *Felicem*, & ad Ronum Clerum literis mandaſſent, ut ambo, ideſt *erius*, & *Felix* Sedem Apoſtolicam pariter adıiſtrarent, communique conſenſu, & concordia rdotio illo fungerentur, Liberius tamen ſua ſemel Sede potitus *Felicem* Roma expulit, ſuumque lapſum, facti pœnitens, reparavit. Fidem ſiquidem Nicænam palam profeſſus eſt, communionem, & pacem cum S. Athanaſio redintegravit, ac conſtanter retinuit, Concilio Ariminenſi conſenſum, & ſuffragium ſuum intrepide negavit, ſcripſit an. ccclxii. Epiſtolam ad totius Orbis Epiſcopos, in qua anathemate percellit Arianos, ſed tamen præcipit, ut Epiſcopi, qui in Concilio Ariminenſi vi, & minis compulſi in errorem inducti fuerant, indulgentia concedatur, ſi errorem ex animo deteſtentur, & fidem Nicænam amplectantur. Denique, S. ille Pontifex multum adlaboravit, ut Semi-Ariani, qui ab Anomæis oppreſſi a ſuo errore reſipuerant & Catholicam de Trinitate Fidem exceperant, in gremium Catholicæ Eccleſiæ reciperentur.

Mortuo Liberio, vacavit Sedes diebus ſeptem, & *Damaſus* natione Hiſpanus ordinatus eſt Pontifex Romanus die prima menſis Octobr. an. ccclxvi. ſedit annos octodecim, menſes duos, dies decem, & migravit ad Dominum die decima menſis Decembris an. ccclxxxiv. *Urſicinus* Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus electionem Damaſi funeſto Schiſmate turbavit. Is enim contra Damaſum legitime electum ordinatus eſt Epiſcopus Romanus, & multos e Clero, Populoque Romano in ſuas partes pertraxit. Unde tanta orta eſt ſeditio, ut, teſte *Ammiano Marcellino* Scriptore id ætatis Ethnico, una die in Baſilica *Sicinini* reperta fuerint centum & triginta cadavera. *Prætextatus* ſub Valentiniano Imperatore Romæ Præfectus Urſicinum Schiſmatis auctorem Roma expulit, ſed illius exilio necdum Schiſma extinctum eſt. Nam poſt mortem Valentiniani Imperatoris, Urſicino Romanam Sedem iterum invadere moliente, contra ipſum Romæ an. ccclxxviii. congregata eſt Synodus, in qua Epiſcopi Epiſtolam ad Imperatores Gratianum, & Valentinianum juniorem ſcripſerunt, eiſque primo expoſuerunt, quod *Urſicinus*, ejuſque exemplo nonnulli Epiſcopi Eccleſiis incubarent, & contemptis cognitoribus, vel fugatis, plures ex ea factione Eccleſias ſuas retinerent. Secundo, quod *Florentius* Puteolanus Epiſcopus, qui anno ccclxxii. Epiſcopatu fuerat dejectus, ad illum tamen an. ccclxxviii. rediiſſet, multaſque in Oppido Puteolano, unde erat expulſus, turbas conciraſſet. Tertio, quod quidam *Iſaacus* Judæus a factione Urſicini ſubornatus in Damaſum Papam inſurrexiſſet, ejuſque caput petiiſſet. Quibus malis pacem Eccleſiæ perturbantibus remedium a duobus illis Imperatoribus petierunt iſtius Concilii Epiſcopi. Ad hanc Epiſcoporum Epiſtolam reſcribentes iidem Imperatores, juſſerunt, ſententias in eoſdem ſeditioſos alias latas executioni mandari, datis hac de re literis *ad Aquilinum Vicarium Urbis*. Patres etiam Concilii Aquilejenſis an. ccclxxxi. Gratiano Imperatori ſupplicarunt, ut Urſicinum, qui cum Arianis Mediolani conjunctus novas turbas recens meditatus fuerat, & denuo Romanæ Sedis invadendæ conſilia inierat, ſua auctoritate cohiberet. Quibus Orthodoxorum Antiſtitum votis ultro annuens Gratianus Auguſtus, Urſicinum perpetuo exilio mulctavit, Damaſum Sedis Romanæ pacificum poſſeſſorem reddidit. Quatuor

Syno-

Digitized by Google

Synodi ſub Damaſo Papa Romæ celebratæ ſunt. Prima fuit convocata ipſo Damaſi Pontificatus initio, ideſt exeunte anno CCCLXVI. vel ſaltem ineunte anno CCCLXVII. adverſus Valentem, & Urſacium Arianos. Secunda Synodus, indicta eſt contra Auxentium Mediolanenſem Epiſcopum Arianum anno Chriſti CCCLXXII. Tertia celebrata eſt anno CCCLXXV. adverſus Apollinarem, & Timotheum. Quarta denique Synodus habita eſt anno CCCLXXVIII. tam contra varios Hæreticos, quam adverſus Urſicinium, & ejus factionis Epiſcopos. Sub Damaſi etiam Pontificatu Concilium primum Conſtantinopolitanum, quod inter Oecumenica ſecundum locum tenet, congregatum eſt anno CCCLXXXI. Opera S. Damaſi Papæ a *Martio Mileſio Zarazino* collecta ſunt, ſed Epiſtola octava, quæ dicitur ſcripta *Stephano Archiepiſcopo Concilii Mauritaniæ, & univerſis Epiſcopis Africanæ Provinciæ*, ſuppoſititia eſt, ut palam oſtendit ſubſcriptio: *Data Flavio, & Stilicone VV. CC. Coſs.* Flavius enim Stilico unus & idem eſt, qui anno CCCC. Aureliano Collega Conſulatum geſſit. Liber etiam Pontificalis Tomi Conciliorum inſertus *Damaſo* perperam attribuitur, ſicut inter omnes eruditos convenit. *Schelſtratius* in 2. part. Antiq. Illuſtratæ probat, Hieronymi ad Damaſum, & Damaſi ad Hieronymum epiſtolam inter genuina Damaſi Opera numerari haud debere. Denique, Catalogum veterum Pontificum, qui in Liberio Papa deſinit, quique Damaſi Chronici nomine vulgo laudatur, Damaſi partum non eſſe agnovit etiam Baronius. Hujus tamen Catalogi, utpote pervetuſti, auctoritas magni eſt apud peritos Criticos ponderis, quia ad Chronologiam Pontificiam uſque ad Liberium Papam ordinandam nullum aliud ex tota antiquitate Opus ſupereſt.

Damaſo Papæ ſucceſſit *Siricius*, ſeditque annos tredecim, menſes undecim, dies quinque, ut oſtendit *Pagius* ad annum CCCXCVIII. quo anno mortuus eſt *Siricius*. Quatuor Epiſtolas Decretales ſcripſit *Siricius*. Prima, eaque celeberrima, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtauratrix, data eſt *ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum*. Altera, *ad Epiſcopos Africæ*. Tertia, *ad Univerſos Epiſcopos*. Quarta, *ad Anyſium, & Illyrici Epiſcopos*, de *Bonoſo* Hæreſiarcha, quæ Epiſtola falſo olim tribuebatur Sancto Ambroſio, ſed eam Siricio Papæ vindicavit perdoctus *Lucas Holſtenius*. Has, inquam, quatuor Siricii Papæ Decretales Epiſtolas genuinas eſſe agnoſcunt omnes viri eruditi, excepto tamen *Papebrochio*, qui in Conatu Chronologico-Hiſtorico ad Catalogum veterum Pontificum Romanorum dubitat de integritate primæ Epiſtolæ *ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum*, & de integritate ſecundæ Epiſtolæ, quæ eſt *ad Epiſcopos Africæ*, quia duæ illæ Epiſtolæ habent notam Conſulum, qua carent aliæ Siricii Epiſtolæ. Tempore autem Siricii necdum apud Pontifices obtinuiſſe uſum in ſignandis Epiſtolis apponendi nomina Conſulum, probat Papebrochius ex Epiſtolis Epiſcoporum datis ea ætate ad Romanos Pontifices, & ad ipſummet Siricium, quæ Conſulum nominibus notatæ nullatneus apparent. Verum propter hanc levem conjecturam non debuiſſet Papebrochius duas illas Siricii Epiſtolas, quas ipſi adjudicant omnes periti Critici, in dubium revocare. Nam licet verum ſit, Epiſcopos, ea ætate, ad Romanum Pontificem ſcribentes Conſulum nomine litteras ſuas ſignare ſolitos non eſſe, Pontifices tamen Romani a tempore Siricii Papæ literas ſuas Conſulum nominibus munire incœperunt, quamvis, ut advertit Cl. Pagius, in eo uſu conſtantes non fuerint, & Conſulum nomina in eorum Epiſtolis non raro prætermittantur. De Siricii Papæ ſanctitate Baronius dubius, eum in Martyrologio Romano non repoſuit, & in Annalibus negligentiæ accuſavit, quod periclitanti Eccleſiæ occaſione errorum Origenis ſtatim non occurrerit, ſed potius communicatorias literas conceſſerit Rufino acerrimo Origenis defenſori. Præterea, non probat Baronius, quod *Siricius* Papa exemplo Damaſi in conſcribendis Epiſtolis Hieronymi opera uſus non ſit, neque eum, ut par erat, foverit. Verum, hæc duo, quæ objicit Baronius, ſanctitati Siricii obeſſe minime debent. Nam primo, quod *Siricius* litteras communicatorias Rufino conceſſerit, a nemine culpari poteſt, quia tunc Rufinus apud omnes bene audiebat, & Origeniana Hæreſis necdum ſatis patefacta erat, idque tantum accidit ſub Anaſtaſio Papa, ut diſerte teſtatur Hieronymus in Epiſtola ad Demetriadem de ſervanda Virginitate. Non mirum igitur, ſi Siricius Epiſtolas communicatorias Rufino, nondum cognita ejus venenata doctrina, conceſſerit. Secundo, culpari itidem non poteſt *Siricius*, quod Hieronymi opera in conſcribendis Epiſtolis exemplo Damaſi Papæ uſus non fuerit, quia initio Pontificatus Siricii plures Romam Clerici, invidia, & odio in Sanctum Doctorem flagrantes, perſecationem in eum moverunt, ac grave aliquod crimen Sancto viro impoſuerunt, ſicut ex illius Epiſtolis colligitur. Quare *Siricius* criminoſis relationibus adverſus Hieronymum forſitan circumventus, ad ſedandos tumultus illum Romæ non retinuit, ſed Sanctorum locorum, & ſtudiorum ardore inflammatum permiſit Hieroſolymam regredi. Qua in re quid culpabile *Siricius* commiſerit, non apparet. Sed de Siricii Sanctitate legendus eſt *Florentinius* in Notis ad Martyrologium Hieronymianum ad diem XXVI. Menſis Novembris, cui S. Siricii nomen inſcribitur, ubi ex pluribus vetuſtis Martyrologiis Siricii Papæ ſanctitatem adſtruit, & ad ea, quæ Baronium moverunt, ut de illo in Martyrologio Romano ſileret, docte, ac ſolide reſpondet.

Siricio Papæ ſucceſſit in Sede Romana *Anaſtaſius* die quinta menſis Decembris anni CCCXCVIII. ſeditque annos tres, dies decem, ut liquet ex Chronico auctiori veterum Pontificum, & ex Catalogis Palatino, utroque Corbeienſi, Reginonis, ſecundo, & tertio Colbertino &c. Quapropter, obiit Anaſtaſius die decima quarta Decemb. anni CCCCI. Sub Anaſtaſii Pontificatu tumultuati ſunt Origeniſtæ, eoſque ſua auctoritate repreſſit Sanctus ille Pontifex. Extat etiamnum Epiſtola Anaſtaſii ad Joannem Hieroſolymitanum Epiſcopum, in qua teſtatur, ſe Origenis ſcripta, & errores damnaſ-

Digitized by Google

mnaſſe. Refertur hæc Anaſtaſii Epiſtola variis in locis emendata a *Garnerio* tom. 1. Operum Marii Mercatoris pag. 109. Alias Epiſtolas ſcripſit Anaſtaſius, quæ ad nos non pervenerunt. Duæ quippe Epiſtolæ Decretales, quæ ſub Anaſtaſii nomine nunc circumferuntur, ſuppoſititiæ ſunt, & falſo ei adſcriptæ. Prior ſiquidem, quæ dicitur ſcripta *Cunctis Germaniæ, & Burgundiæ Regionis Epiſcopis*, mendoſa Conſulum nota ſubſcripta eſt, & contexta inſuper ex variis Innocentii I. Leonis, & Flaviani Conſtantinopolitani Epiſcopi ſententiis, falſoque ſupponit Burgundiones omnes tum temporis Chriſtianos fuiſſe, quos tamen conſtat tenebris idololatriæ fuiſſe adhuc immerſos. Denique, Baronius ipſe de hujus prioris Epiſtolæ Decretalis ſinceritate merito dubitavit, ſed de ſecunda, quæ Anaſtaſio tribuitur, Decretali Epiſtola, quæque *Neriano Viro Nobiliſſimo* data dicitur, nullam Baronius mentionem fecit, quæ tamen eadem ſuſpicione, qua prior, laborat, non ſolum ob falſam Conſularem notam, ſed etiam ob ſtylum, qui procul abeſt a ſtylo Anaſtaſii Papæ, & ob materiam, quæ ex Epiſtolis Innocentii, Leonis, & Gregorii Romanorum Pontificum deprompta eſt. Habes nunc continuam ſucceſſionem Pontificum, qui quarto Eccleſiæ ſæculo Sedem Romanam tenuerunt.

D. Modo accurate teneo Chronologicam ſucceſſionem Pontificum, qui in quarto Eccleſiæ ſæculo Sedem Romanam tenuerunt. Deſcribe itaque nunc Seriem Patriarcharum, qui eodem ſæculo Eccleſiam Alexandrinam gubernarunt.

M. Hiſtoriam Patriarcharum Alexandrinorum doctiſſimi Patres Societatis Jeſu *Papebrockii*, & *Bollandi* continuatores tom. 5. menſis Junii præmiſerunt, novamque, & pleniorem illorum Patriarcharum Hiſtoriam a S. Marco uſque ad finem ſæculi XIII. nuperrime publicavit eruditus Dominus *Euſebius Renaudot* in Hiſtoriis, & Linguis Orientalibus exercitatiſſimus. Ipſe vero, cum jam in uno e noſtris Colloquiis texuerim ſeriem Patriarcharum Alexandrinorum a *S. Marco* uſque ad *Theonam*, hoc eſt, uſque ad annum trecenteſimum, pauca nunc ex his, quæ ſpectant Patriarchas, qui quarto Eccleſiæ ſæculo Sedem Alexandrinam occuparunt, delibabo.

Petrus in Patriarchatu Alexandrino ſucceſſit Theonæ anno Chriſti ccc. Diocletiani Imperii xvi. Maximiani xiv. Conſulibus *Conſtantio Cæſare III. & Galerio Maximiano III.* ſicut legitur in Chronico Alexandrino. Euſebius Cæſarienſis, qui in ſuo Chronico Petri electionem in annum Chriſti ccci. diſtulerat, hunc errorem poſtea correxit c. ult. lib. 7. Hiſt. Eccleſ. Petrus Patriarcha Alexandrinus Martyrium paſſus eſt ſecundum Euſebium loco mox a me laudato, anno perſecutionis nono, hoc eſt, ut accuratum Chronologiæ hujus temporis Peritorum calculum ſequar, anno Chriſti cccxi. die xxix. Ægyptiaci menſis *Athyr*, quæ dies reſpondet diei vigeſimæ quintæ menſis Novembris, ut habetur in excerptis Chronologicis a Scaligero editis, quibus aſſentiuntur Uſuardus, Ado, & vetus Martyrologium Romanum. Acta S. Petri Alexandrini, quæ exhibet mox laudatus *Cl. Renaudot*, narrant, cum Arius Hæreſiarcha in communionem reſtitui a S. Petro Patriarcha Alexandrino in carcere conſtituto, & jam Martyrio proximo vehementius flagitaret, Chriſtum huic S. Antiſtiti noctu veſte conſciſſa apparuiſſe, & cauſam rei percontanti reſpondiſſe: *Arius veſtem meam ſcidit, atque adeo cave, ne eum ſuſcipias, aut cum eo ullam communionem habeas.* Verum, hæc viſio Sancti Petri Alexandrini, ejuſdemque Martyris Acta, tam quæ apud *Surium* leguntur, quam quæ Græce, ac Latine a doctiſſimo noſtro *Combefiſio* edita ſunt, omnia falſitatis, & ſuppoſitionis præferunt indicia. Nam præterquam quod, nec *Alexander*, nec *Athanaſius* Patriarchæ Alexandrini unquam Ario, etiam in maximo diſputationis æſtu, objecerunt hanc viſionem, quæ ipſum, ejuſque Sectarios pudore ſuffundere potuiſſet, conſtat etiam *Achillam*, qui Petro in Patriarchatu Alexandrino immediate ſucceſſit, promoviſſe Arium ad Sacerdotium, quod ſane cogitare ne quidem auſus fuiſſet Sanctus ille Antiſtes, ſi S. Petrus, ut habetur in illius Actis, paulo ante mortem ſuam nomine Chriſti diſtricte ei prohibuiſſet, ne Arium unquam in Eccleſiam reciperet. Præterea, in illis Actis Sancti Petri dicitur, *Millium* quemdam fuiſſe Epiſcopum Alexandrinum, cum tamen in Patriarcharum Alexandrinorum Serie nullum iſtius nominis recenſeant Scriptores Eccleſiaſtici. Tertio refertur in illis Actis, *S. Heraclam*, poſt S. Dionyſium, & Maximum, rexiſſe Eccleſiam Alexandrinam, quod tamen oppido falſum eſt, nam S. Heraclas, S. Dionyſium, & Maximum in Patriarchatu Alexandrino anteceſſit. Denique, dicitur in illis Actis, Corpus S. Petri Alexandrini fideles condere voluiſſe in Eccleſia Sancto Theonæ ſacra, quod a veritate prorſus alienum eſt. Hæc ſiquidem Eccleſia in honorem S. Theonæ necdum erat extructa, ſed illam, ut teſtatur S. Athanaſius in Apologia prima, extrui dumtaxat curavit Alexander, qui Achillæ Patriarchæ Alexandrino ſucceſſit.

Achillas poſt mortem S. Petri Patriarchæ Alexandrini in ejus locum ſuffectus eſt, ſed quo anno, non plane conſtat. *Cl. Renaudot* fatetur, adeo confuſam eſſe Orientalium Chronologiam circa Patriarchatus Achillæ initium, ut eorum calculi cum Græcis, Latiniſve Auctoribus nullo pacto conciliari poſſint. Unde hic Auctor veroſimile exiſtimat, Achillam ordinatum fuiſſe Patriarcham Alexandrinum anno Chriſti cccxi. & obiiſſe cccxii. Verum, probabilior mihi videtur ſententia doctiſſimi Pagii, qui aſſerit Achillam S. Petro Patriarchæ Alexandrino ante annum cccxii. non ſucceſſiſſe, quia teſtatur Gelaſius Cyzicenus lib. ii. Hiſtoriæ Concilii Nicæni cap. 12. poſt Petri Epiſcopi Alexandrini Martyrium Eccleſiam Alexandrinam manſiſſe viduam *unum annum*, eoque tranſacto, in Sede hujus Martyris ordinatum eſſe Achillam, qui, cum *menſibus tantum quinque ſupervixiſſet*, Alexandrum ſucceſſorem habuit. Quocirca, cum die xxv. menſis Novemb. anni cccxi. Petrus Epiſcopus Alexandrinus pro fide occubuerit, conſequens eſt Achillam non ante finem anni cccxii. Eccleſiæ Alexandrinæ principatum ſuſcepiſſe.

Ale-

Digitized by Google

Alexander in Patriarchatu Alexandrino ſucceſſit Achillæ anno cccxiii. & obiit die xvii. menſis Aprilis anni cccxxvi. poſt menſes videlicet quinque a Concilio Nicæno primo Generali abſoluto. Feſtum tamen ejus die xxvi. Aprilis, quo Henſchenius in Actis Sanctorum vitam illius deſcribit, celebratur. De duabus Synodis ab Alexandro Patriarcha Alexandrino adverſus Arium coactis, & de illius Epiſtolis Encyclicis ad totius Orbis Epiſcopos contra illum Hæreſiarcham datis ſatis jam in præcedentibus Colloquiis diximus, nec plura addere hic neceſſum eſt.

Alexandro Patriarchæ Alexandrino an. cccxxvi. demortuo ſucceſſit *Athanaſius*, qui inter Patriarchas Alexandrinos doctrina, ſanctitate, rerum geſtarum gloria, longaque pro fidei veritate certaminum adverſus Hæreticos ſuſceptorum Serie celeberrimus habetur in univerſa Eccleſia. De hoc S. Doctore multa *Severus* Epiſcopus Aſchmoninæ aliique Scriptores Orientales memoriæ prodiderunt, literisque conſignarunt, quæ, teſte *Cl. Renaudot*, fabulam olent, & quæ ſubinde hic inſerere ſupervacaneum omnino eſſet. Conſtat apud omnes, S. Athanaſium multa ab Arianis pro Fide Catholica paſſum fuiſſe. Nam anno cccxxxvi. Treviros in exilium ab Imperatore Conſtantino Magno miſſus eſt, ubi, juxta Theodoretum, biennio, & menſibus quatuor manſit, atque inde ad ſuam Eccleſiam rediit non anno cccxxxvii. ut ait *Valeſius* lib. i. Obſervationum Eccleſ. in Socratem cap. i. ſed ſolum anno cccxxxviii. ſicut probant *Schelſtratius*, in Diſſertatione prima de Sacro Antiocheno Concilio cap. i. & *Pagius* ad Annum Chriſti cccxxviii. Athanaſius a Julio Papa per literas Romam evocatus eſt an. cccxli. & ab Euſebianis eodem anno in Concilio Antiocheno ſua Sede depoſitus fuit, & in ejus locum ſubſtitutus Gregorius Cappadox Arianus. Romam defenſurus cauſam ſuam navigavit Athanaſius an. cccxlii. & in communionem Julii Papæ, aliorumque Epiſcoporum Occidentalium, ceu legitimus Epiſcopus admiſſus eſt, atque in Concilio Sardicenſi anno cccxlvii. indicto abſolutus. Ad ſuam Eccleſiam Alexandrinam reverſus eſt Athanaſius anno cccxlix. quo, menſe circiter Januario, *Gregorius*, qui Sedem Alexandrinam invaſerat, mortuus eſt. Sed anno ccclvi. *Georgio* ab Arianis Epiſcopo Alexandrino creato, adhuc tamen non adventante, & *Syriano* Duce perſecutionem movente, Alexandria in ſolitudinem fugit Athanaſius die xxix. Februarii, ſed paulo poſt fugam e ſolitudine Alexandriam reverſus eſt, ubi delituit, uſque dum Georgio adveniente, quæſiturus ipſe ad necem, denuo egredi coactus eſt, nec Alexandriam rediit, niſi poſt obitum Conſtantii Imperatoris anno ccclxii. quo anno *Georgius* Pſeudo-Patriarcha Alexandrinus in ſeditione Populari occiſus eſt. A *Juliano* Imperatore in exilium rurſus deportatus eſt Athanaſius, ſed a *Joviano* Juliani ſucceſſore Sedi ſuæ fuit reſtitutus anno ccclxiii. & eodem anno ad *Jovianum* religioſiſſimum Imperatorem definitionem Orthodoxæ fidei, de ea ab ipſo rogatus, miſit. Demum ſub Imperatore *Valente* Ariano perſecutionem in Orthodoxos excitante, delituit Athanaſius per quatuor menſes, ſed poſtea ejuſdem Imperatoris juſſu Eccleſiam ſuam recepit, atque mortalitatem explevit anno ccclxxiii. poſtquam Eccleſiam Alexandrinam quadraginta & ſex annos adminiſtraſſet (*a*).

„ (*a*) Fragmentum Chronici Athanaſiani,
„ cujus ſupra memini, reditum S. Athanaſii e
„ Romano itinere & partibus Italiæ conſtituit
„ ſub Conſulatu Conſtantii IV. & Conſtantis III.
„ die xxiv. menſis Pharphi, ideſt anno 346. O-
„ ctobris xxi. Hæc tamen intelligenda ſunt non
„ de itinere Romano tantum, ſed de exilio Tre-
„ virenſi, & fortaſſe etiam de commoratione ali-
„ cubi in Italia uſque ad obitum Gregorii inva-
„ ſoris, quæ contigit poſt Concilium Sardicenſe.
„ Ex quo ego olim in diſſertatione, quam inſe-
„ rui in ſupplemento Conciliorum Labbei infere-
„ bam Sardicenſe Concilium celebratum fuiſſe non
„ quidem anno 347. ut Chronologi tenent, ſed
„ anno 344. exeunte, vel 345. incipiente. Eam
„ pariter ejuſdem reditus Athanaſii epocham figit
„ S. Hieronymus in Chronico, & vetus inſcriptio
„ actorum ejuſdem Concilii, quæ apud Surium
„ legitur. His conſtitutis obitus Gregorii Cap-
„ padocis incidit in annum 345. Cætera quæ S.
„ Athanaſio contigerunt, fere cohærent iis, quæ
„ hic a me curſim tanguntur.

„ Additur etiam in fragmento eodem de Pe-
„ tro, Athanaſii ſucceſſore, ordinatum fuiſſe E-
„ piſcopum *ante diem v. dormitionis ſuæ* Athana-
„ ſii, additque de eodem: *Ordinavit Petrum E-*
„ *piſcopum de antiquis presbyteris, qui in omnibus*
„ *eum ſecutus geſſit Epiſcopatum. Poſt quem*, per-
„ git, *Timotheus F. ſuus ſuſcepit Epiſcopatum*
„ *annis* iv., *poſt hunc Theophylus ex Diacono eſt*
„ *Epiſcopus ordinatus*; atque ita clauditur Opu-
„ ſculum. Antiquorum Presbyterorum nomine
„ deſignari hic cenſeo Presbyteros illos qui ex
„ veteri Alexandrinæ Eccleſiæ more Epiſcopo ad-
„ jutores dabantur, qua de re Eutychius in Ori-
„ ginibus. Ex hoc vero fragmento inferre licet
„ vana commentatum Seldenum in notis ad Eu-
„ tychium, dum ex eodem Eutychio exculpere
„ niſus eſt Presbyteros hoſce mortuo Epiſcopo
„ abſque nova ordinatione in ſucceſſores defuncti
„ tranſiiſſe; quo exemplo opinionem ſuam ſtabili-
„ iſſe ſibi viſus eſt, Epiſcopatum ſcilicet non eſ-
„ ſe novum ordinem a Presbyteratu diverſum ac
„ diſtinctum. Hic enim habemus Petrum ex nu-
„ mero antiquorum Presbyterorum nova ordina-
„ tione indiguiſſe ut Epiſcopus fieret.

Petrus II. ſucceſſit S. Athanaſio, ſed multa paſſus a *Lucio*, quem *Euzojus* Arianus Patriarcha Antiochenus Epiſcopum Alexandrinum ordinaverat, literas Synodicas ad Damaſum Papam miſit, quibus perſecutionem Arianorum, & Gentilium adverſus ſe excitatam narravit. Quibus literis reſpondens Damaſus, literas communicatorias, ſimul & conſolatione plenas ſcripſit ad Petrum, ut is teſtatur apud Theodoretum lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 22. Gliſcente tamen perſecutione Petrus Romam confugit, & a Summo Pontifice benigne exceptus eſt. Denique, Sedem ſuam Alexan-

Digitized by Google

xandrinam Petrus, expulſo Lucio invaſore, recuperavit anno ccclxxviii. & anno ſequenti miſit tres Epiſcopos ex Ægypto, ut *Maximum* Cynicum Conſtantinopoleos Epiſcopum ordinarent, quemadmodum affirmat Epiſtola Epiſcoporum Italiæ ad Theodoſium Imperatorem, quam *Sirmondus* poſt Baronii mortem publicavit, quæque tom. 2. Conciliorum Generalium pag. 1007. legitur. Doctiſſimus *Valeſius* in Notis ad lib. 5. Theodoreti cap. 8. obſervata, Baronium fuiſſe deceptum, dum ex Oratione S. Gregorii Nazianzeni in *Ægyptiorum adventum* probat Petrum Alexandrinum ſeptem miſiſſe Epiſcopos ad perficiendam Ordinationem *Maximi* Cynici. Quod falſum eſt. Nam hi, qui in hac Oratione S. Gregorii Nazianzeni nominantur, non Epiſcopi erant, ut ſibi perſuaſit Baronius, ſed Nautæ erant, ſeu potius Gubernatores Claſſis Alexandrinæ, qui frumentum ex Ægypto Conſtantinopolim advexerant. Quo certe argumento evincitur, eos Epiſcopos non fuiſſe: neque enim Epiſcopalem dignitatem decet frumenti advectio. Præterquam quod, in tota illa Oratione S. Gregorius Nazianzenus eos nunquam Epiſcopos appellat, ſed ſolum Laicos. Obitum Petri II. Patriarchæ Alexandrini recte Baronius cum pleriſque aliis aſſignat anno Chriſti ccclxxx. atque ita ſediſſe reperitur annis octo ab ejus electione computatis.

Mortuo Petro II. Patriarcha Alexandrino, Epiſcopi cum Orthodoxa plebe congregati elegerunt in ejus locum Sacerdotem nomine *Timotheum*. Hujus Patriarchæ tempore habita eſt Conſtantinopoli ſecunda Oecumenica Synodus adverſus *Macedonium* hujus Urbis Epiſcopum, qui Spiritum Sanctum Creaturam eſſe blaſphemabat. Timotheus ſedit annos quinque, & obiit anno Chriſti ccclxxxv. Conſulibus *Arcadio Auguſto* Orientis, & *Bautone* Occidentis, ſicut optime obſervat Baronius.

Timotheo Patriarchæ Alexandrino ſucceſſit *Theophilus*, qui cum S. Chryſoſtomo Epiſcopo Conſtantinopolitano graves, ac diuturnas ſimultates habuit, de quibus in Colloquiis noſtris quinti Eccleſiæ ſæculi opportunius diſſeremus. Sedit *Theophilus*, ſecundum Baronii & pervulgatam aliorum ſententiam, annos xxvii. & obiit anno Chriſti ccccxii. Hæc eſt Series Patriarcharum Alexandrinorum, qui in quarto Eccleſiæ ſæculo Sedi Alexandrinæ præfuerunt, quorum Hiſtoriam, ut jam inſinuavi, multis tamen fabulis adſperſam legere poteris apud *Euſebium Renaudot*, qui eam ſummo ſtudio collegit ex Auctoribus Arabicis, *Severo* Epiſcopo Aſchmoninæ, *Michaele* Epiſcopo Taneos, *Ephræm* filio Zaraa, *Abulbicari*, & aliis Anonimis, tum etiam ex editis *Eutychio*, *Elmacino*, *Abulfaragio*, *Chronico Orientali* &c.

D. Seriem Epiſcoporum, qui tribus primis ſæculis ad *Cyrillum* uſque Sedem Antiochenam tenuerunt, jam in uno e noſtris Colloquiis fuiſſe a te accurate deſcriptam probe memini. Perge nunc illos recenſere Epiſcopos, qui quarto Eccleſiæ ſæculo Eccleſiam Antiochenam rexerunt.

M. Variis in quarto Eccleſiæ ſæculo Sedes Antiochena ab Arianis, qui in eam intruſi ſunt, fuit jactata procellis, &, quod gravius eſt, funeſto, diroque Schiſmate Catholicos inter Epiſcopos exorto, diu, multumque exagitata. Cyrillo Epiſcopo Antiocheno anno ccci. mortuo ſucceſſit *Tyrannius*, qui Eccleſiam Antiochenam gubernavit uſque ad annum cccxiii. Tyrannio ſucceſſit *Vitalis*, qui præfuit Conciliis Antiocheno, & Neocæſarienſi, obiitque anno cccxviii. vel cccxix. Vitalem excepit *S. Philogonius*, qui in Martyrologio Romano, & in Menæis Græcorum die xx. Decembris colitur, & mortuus eſt anno circiter cccxxi. Theodoretus enim lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 3. ait, eum *pro veritatis defenſione ſingulare ſtudium Licinii* temporibus declaraſſe. Porro Liciniana perſecutio anno tantum cccxxi. cœpta eſt. *Theophanes*, *Nicephorus*, *Zonaras*, & *S. Hieronymus* in Chronico, *Paulinum* S. Philogoni in Eccleſia Antiochena ſucceſſorem faciunt. Sed advertere debes cum doctiſſimo *Pagio*, hunc Paulinum, qui in Sede Antiochena fuit S. Philogoni ſucceſſor, diverſum plane eſſe ab altero Paulino, qui poſt Euſtathium Antiochenum Epiſcopum, e Sede Tyria ad Antiochenam translatus eſt. Prior ſiquidem Paulinus, qui, ut jam laudati Auctores teſtantur, Philogonio ſucceſſit, ob pravos mores dignitate motus eſt, ut docet Epiſtola Synodica Concilii Sardicenſis anno cccxlvii. celebrati, in qua dicitur: *uſque in hodiernum diem in Apoſtaſia permanens, cum Concubinis publice, & Meretricibus fornicatur*. Alter vero *Paulinus*, qui Euſtathio Patriarchæ Antiocheno ſucceſſit, Ariana labe fuit infectus, ut mox dicemus. *Sozomenus*, & *Nicetas* quemdam dictum *Romanum* S. Philogonio in Sede Antiochena ſucceſſiſſe ſcribunt, quia, ut conjicere licet, poſt Paulini, qui fuit S. Philogonii ſucceſſor, abdicationem, *Romanus* Eccleſiam Antiochenam Paſtore viduatam aliquandiu rexit. Paulino in Sede Antiochena ſucceſſit *Euſtathius* anno cccxxv. Ait enim Theophanes de Synodo Nicæna loquens: *Vidua Pontifice Antiochenſium Eccleſia*, *Synodus*, ideſt Nicæna, *Euſtathium confirmavit Berœæ in Syria Epiſcopum*. Idem ſcribit Sozomenus lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 2. Sed poſt triennium Ariani Euſtathium Antiochenum egregium Catholicæ Fidei defenſorem, falſis impoſitis criminibus, ſede depoſuerunt in Concilio Antiocheno indicto anno cccxxvii. ſicut teſtantur Socrates, Sozomenus, & Theodoretus a Baronio laudati. Quin & Conſtantinus Imperator Euſtathium ab Arianis depoſitum miſit in exilium, ubi ſancte obiit. Mortuo Euſtathio Antiocheno Epiſcopo, & Euſebio Cæſarienſi Epiſcopatum Antiochenum recuſante, Ariani *Paulinum* ejuſdem Sectæ virum ex Epiſcopatu Tyri ad Sedem Antiochenam tranſtulerunt. Sed illo poſt ſextum Antiocheni Epiſcopatus menſem e vivis ſublato anno cccxxviii. Ariani in Throno Antiocheno collocarunt *Eulalium*, qui exiguo admodum tempore ſupervixit. Unde Paulini, & Eulalii Sedis brevitas in cauſa eſt, cur nec Socrates l. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 24. nec Sozomenus l. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 19. utriuſque mentionem fecerint. Eulalium in Sede Antiochena excepit *Euphronius*, qui, ſicut teſtatur Theodo-

retus

Digitized by Google

retus lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 21. *anno, & menſibus paucis poſt ordinationem ſuperſtes vixit*. Euphronio ſuffectus eſt *Placillus*, ſeu, ut alii, vocant, *Flacillus* Arianus, qui, teſte Nicephoro in Chronico, interfuit Concilio Antiocheno ad Encænia, & ſedit Antiochiæ annis XII. S. Athanaſius in Apologia ſecunda ſcribit hunc Placillum fuiſſe unum ex Epiſcopis Conciliabuli Tyri anno CCCXXXV. coacti. Obiit autem Placillus circa annum CCCXLII. & in ejus locum ſubrogatus eſt *Stephanus* itidem Arianus, qui anno CCCXLVII. præfuit Pſeudo-Synodo Philippopolitanæ ab Arianis convocatæ, & auctor fuit portentoſæ calumniæ, Legatis Concilii Sardicenſis factæ, quam his verbis deſcribit S. Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios: *Miſſis*, inquit, *a Sancto Concilio*, Sardicenſi videlicet, *in legationem Epiſcopis Vincentio Capuæ, quæ Metropolis eſt Campaniæ, & Euphrate Agrippinæ, quæ eſt Metropolis Superioris Galliæ, ut pro Synodi decretis Imperator Conſtantius Epiſcopos, quos ipſe ejecerat, in ſuas Sedes reverti pateretur, & in eam ſententiam a Conſtante pientiſſimo ad fratrem ſuum literis datis, quibus Epiſcopos illi commendabat: viri iſti mirifici ad quodvis facinus prompti, cum Legatos iſtos Antiochiæ vidiſſent, in communi quidem conſilium ineunt, ſed ita tamen ut Stephanus* (Antiochenus Epiſcopus) *fabulam initi conſilii peragendam ſuſciperet. Suſcepto negotio conducit ille publicam Meretricem in ipſis feriis Sanctiſſimi Paſchatis, eamque nudam per tenebras immittunt in ædes Euphratæ Epiſcopi*. Narrat ſubinde S. Athanaſius quo pacto facinus illud detectum fuerit, pœnaſque dederit *Stephanus* Antiochenus Epiſcopus illius ſceleris auctor. *Stephanus igitur*, inquit Athanaſius, *Epiſcopali dignitate exuitur, & in locum ejus ſufficitur Leontius ille caſtratus*, ſeu Eunuchus, *non ob aliud quam ut non deeſſet Hæreſeos propugnator*. Leontius itaque circa annum CCCXLIX. ſubſtitutus eſt ab Arianis in locum Stephani Antiocheni Epiſcopi, & ſedit annos novem, obiitque anno CCCLVIII. quo *Eudoxius* Germaniciæ, quæ Urbs eſt Syriæ, Epiſcopus Arianus, Sedem Antiochenam invaſit. Verum, cum Anomæis aperte faveret Eudoxius, & hac de cauſa in Synodis Ancyrana & Seleuciana fuiſſet damnatus, a Sede Antiochena ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum, exauctorato Macedonio illius Urbis Epiſcopo, ab Arianis translatus fuit die XXVIII. menſis Jan. anni CCCLX. ſicut ex Chronico Alexandrino evincit *Cl. Pagius* ad annum Chriſti CCCLIX. Translato a Sede Antiochena ad Conſtantinopolitanam Eudoxio, communi Catholicorum, & Arianorum conſenſu Meletius Epiſcopus Antiochenus creatus eſt anno CCCLX. Sed Ariani, præterquam opinati fuerant, cum viderent Meletium poſt ſuam ordinationem Catholicæ de Trinitate Fidei aperte patrocinari, eum in exilium ejecerunt. Interim, Catholici Antiocheni in duas partes fuerunt diſtracti. Quidam Catholici dicti *Euſtathiani*, eo quod Euſtathio Epiſcopo Antiocheno, de quo paulo ante mentionem fecimus, ſemper adhæſerant, & ab Epiſcoporum, qui poſt ipſius obitum ab Arianis in Sedem Antiochenam intruſi fuerant, communione ſeſe omnino ſeparaverant, ordinationem Meletii ideo reprehendebant, quod ab Arianis renunciatus eſſet Epiſcopus, & hac de cauſa ejus communionem refugiebant. Alii vero Catholici Antiocheni ſtabant a partibus Meletii, eo quod fidei cauſa illum ab Arianis in exilium ablegatum conſtaret, & Ordinationi ejus aſſenſum a Catholicis præſtitum nemo ignoraret. Ariani, expulſo, ut dixi, Meletio, *Euzojum* a capite ad talos Arianum ordinarunt Epiſcopum Antiochenum. Inter hæc Catholicorum diſſidia Lucifer Calaritanus Epiſcopus Antiochiam venit anno CCCLXII. & videns Catholicos dictos *Euſtathianos* nolle cum Meletio communicare, imprudenter ordinavit Epiſcopum Antiochenum *Paulinum* diſcipulum Euſtathii. Quo factum eſt, ut longo, & peracerbo Schiſmate inter ſe diviſi fuerint Catholici Antiocheni, aliis nimirum Meletio, aliis Paulino adhærentibus. Hoc tamen Eccleſiæ Antiochenæ duos inter Epiſcopos diſtractæ Schiſma, de quo jam in præcedentibus noſtris Colloquiis egimus, utcumque ſopitum eſt anno CCCLXXIX. quo ex mutuo Meletii, & Paulini conſenſu ſtatutum eſt, ut alterutro vita functo nullus ſuſficeretur, ſed Epiſcopus ſuperſtes Eccleſiam Antiochenam ſolus gubernaret. Aſt, mortuo Meletio anno CCCLXXXI. Flavianus in ejus locum ſubrogatus eſt, ſicque recruduit Schiſma, quod nec extinctum eſt in morte Paulini, quæ contigit An. CCCLXXXIX. quia Paulinus, antequam moreretur, ſibi ſucceſſorem delegit Evagrium. Sed mortuo Evagrio anno CCCXCII. Flavianus, qui ſolus remanſerat Epiſcopus Antiochenus, impedivit ne alius in locum Evagrii ſubſtitueretur Epiſcopus. Nihilo ſecius duravit Schiſma uſque ad annum CCCXCVIII. quo Flavianus in communionem Pontificis Romani, & aliorum Epiſcoporum Occidentalium receptus eſt. Obiit Flavianus anno CCCCIV. & juxta Nicephorum in Chronico, & Tabulas Theophanis, Epiſcopatum Antiochenum geſſit annis XXII.

D. Quamvis de origine, & exitu Schiſmatis Antiocheni plura in præcedentibus Colloquiis dixeris, non intempeſtive tamen ea, quæ ad illud ſpectant, ſummatim hic delibaſti, ut accuratam exhiberes ſucceſſionem Epiſcoporum, qui quarto ſæculo Eccleſiæ Antiochenæ præfuerunt. Eodem nunc ordine paucis deſcribe ſeriem Epiſcoporum, qui Eccleſiam Hieroſolymitanam eodem ſæculo rexerunt.

M. Deſcribam in primis ſeriem Epiſcoporum, qui in quarto ſæculo Eccleſiam Hieroſolymitanam gubernarunt, dein, attexam ſeriem Epiſcoporum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quæ quarto ſæculo Primatum honoris poſt Sedem Romanam obtinuit, ſibique deinceps vindicavit. Quod ad Hieroſolymitanam attinet Eccleſiam, nullus inficias ire poteſt, eam origine eſſe omnium Eccleſiarum Matrem, quippe quæ Domini Salvatoris prædicatione, miraculis, morte, Reſurrectione fuit decorata, Sipiritus Sancti in Diſcipulos illapſu commendata, & Jacobi Apoſtoli, qui in ea Sedem Epiſcopalem fixit, proprio martyrio conſecrata, atque illuſtrata. Sed quamvis Eccleſia Hieroſolymitana multis nominibus, & titulis inclyta

Digitized by Google

clyta omnium Eccleſiarum Mater origine eſſet, illis tamen dignitate non ante ſtabat, ſed Metropoli Cæſareæ Palæſtinæ ſubjecta, ſuffraganeaque erat. Quam ob rem in Synodis Provincialibus Palæſtinæ Metropolites Cæſarienſis ſupra Hieroſolymitanum Epiſcopum præſidere, primuſque ſubſcribere ſolitus erat; quamvis Epiſcopi Hieroſolymitani, ex Privilegio ipſis a Concilio Nicæno conceſſo, in Conciliis Generalibus præcederent omnes Metropolitas. A tempore autem Concilii Chalcedonenſis (quod actione octava univerſam Palæſtinam in tres Provincias diſtributam Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ſubdidit) cœperunt Epiſcopi Hieroſolymitani pleno jure Patriarchatus potiri. *Juvenalis* quippe Hieroſolymorum Epiſcopus, qui Concilio Oecumenico Chalcedonenſi interfuerat, paulo poſt illius Concilii celebrationem univerſæ Palæſtinæ Synodum ipſe indixit, cui ipſe auctoritate Patriarchæ præfuit: cum tamen in anterioribus Provincialibus Palæſtinæ Synodis præeſſet, primuſque ſubſcriberet Metropolitanus Cæſarienſis, ut jam obſervavi. Hæc Patriarchica jura Hieroſolymorum Eccleſiæ Synodus quinta Oecumenica poſtea confirmavit, aſſeruit, ac vindicavit.

Veniamus nunc ad ſucceſſionem Epiſcoporum, qui quarto ſæculo Eccleſiam Hieroſolymitanam rexerunt. Anno ccc. *Hermon* ſublectus fuit Epiſcopus Hieroſolymitanus, & annis circiter decem hanc Eccleſiam gubernavit. Ei ſucceſſit *Macarius*, qui interfuit Concilio Nicæno primo Generali, obiitque anno cccxxxv. Macarium eodem anno excepit *Sanctus Maximus* inſignis fidei Confeſſor, cui tempore perſecutionis Maximini dexter oculus avulſus eſt, & poplites exuſti ſunt, ipſeque ad metalla damnatus. Concilio Antiocheno, in quo depoſitus fuit S. Athanaſius, intereſſe noluit S. Maximus, & a Pſeudo-Synodo Tyria indignatus receſſit, quod Euſebiani in perniciem Athanaſii conjurati leges omnes æquitatis in dijudicanda illius cauſa temere violarent. Concilium Palæſtinæ anno cccxlix convocavit, in quo ſe communioni S. Athanaſii adhærere conſtanter profeſſus eſt. Quod ægre ferens *Acacius* Cæſareæ Epiſcopus Arianus, & totius Palæſtinæ Metropolitanus eum anno cccl. Sede depoſuit eo prætextu, quod *Maximus*, cum Metropolita non eſſet, nulla ab ipſo obtenta licentia, vicinos Palæſtinæ Epiſcopos in Concilium evocaſſet. S. Hieronymus in Chronico anno Abrahami 2566. juxta Editionem Pontaci, qui cum menſe Septembri anni cccl. abſolvitur, hæc habet: *Maximus quadrageſimus poſt Macarium Hieroſolymorum Epiſcopus moritur, poſt quem Eccleſiam Ariani invadunt. Primum Cyrillus, Eutychius &c.* Theodoretus etiam lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 26. ſic ſcribit: *Maximo ad immortalem vitam tranſlato, Cyrillum Epiſcopalem gratiam promeruiſſe*. Verum, ut docte obſervat Clar. *Pagius* ad annum Chriſti cccli. certum eſt, *Maximum* Epiſcopum Hieroſolymitanum non eſſe mortuum anno cccl. ſed ſolum fuiſſe hoc anno Sede ſua Hieroſolymitana ab Arianis depoſitum. Libelli ſiquidem Synodici Auctor ſcribit, Athanaſio, & Paulo ad ſua Ovilia proficiſcentibus, impietatis Anteſignanos, ſeu Arianos, Synodum Hieroſolymis Hæreticam coegiſſe, & *Maximum* Hieroſolymorum Sede abjeciſſe. Huic libelli Synodici Auctori ſuffragantur *Sozomenus* lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 20. *Theophanes* in Chronico. Viventi ergo adhuc S. Maximo, ſed Sede ſua anno cccl. ab Arianis depoſito ſubrogatus eſt *S. Cyrillus*, non vero anno ccclv. ut viſum eſt *Henſchenio* die xviii. Martii in vita S. Cyrilli Hieroſolymitani, & *Papebrochio* in Hiſtoria Chronologica Patriarcharum Hieroſolymitanorum. *Acacius* Cæſarienſis Epiſcopus in Concilio a ſe convocato anno ccclvii. S. Cyrillum Hieroſolymorum Sede depoſuit, quod de jure Metropolitano adverſus ipſum controverſiam moviſſet, & in ejus locum ſubſtituit *Eutychium*, ſed Eutychio Epiſcopatum renuente, Acaciani Hieroſolymorum Epiſcopum conſtituerunt *Herennium*, cui ſucceſſit *Heraclius*. Sed mortuo Conſtantio Imperatore Arianorum fautore, Sedi ſuæ reſtitutus eſt *S. Cyrillus* Hieroſolymitanus, & ſuam Eccleſiam pacifice rexit uſque ad Imperium *Valentis*, ſub quo Principe Ariano iterum in exilium amandatus eſt; rediit tamen ad ſuam Eccleſiam anno ccclxxix. Ex tot malis, & perſecutionibus, quibus ab Arianis exagitatus eſt S. Cyrillus Hieroſolymitanus, facile colligi poteſt, deceptum fuiſſe S. Hieronymum, dum in ſuo Chronico S. Cyrillum inter Arianos reponit. Obiit S. Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus anno ccclxxxvi. & ſucceſſorem habuit *Joannem*, qui ad finem uſque quarti ſæculi Hieroſolymitanam gubernavit Eccleſiam.

D. Promiſiſti, te ad ſucceſſionem Epiſcoporum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ adjecturum ſeriem Epiſcoporum Eccleſiæ Conſtantipolitanæ, quæ quarto ſæculo, ob primatum honoris, quo poſt Sedem Romanam donata eſt, celebrior evaſit. Exhibe itaque nunc ſeriem Epiſcoporum, qui quarto Eccleſiæ ſæculo Sedem Conſtantinopolitanam obtinuerunt.

M. Conſtantinopolitana Civitas, olim *Byzantium* dicta, a Conſtantino Magno Imp. quam plurimis ornamentis nobilitata, atque amplificata ſuum ab ipſo nomen accepit, & Solium, Sedeſque Imperii fuit conſtituta. Illius Urbis Epiſcopi, qui antehac erant dumtaxat Suffraganei Metropolitani Heracleæ Thraciæ Antiſtitis, Orientalium Imperatorum, qui Conſtantinopoli ſuam Sedem fixerunt, auctoritate freti obtinuerunt a Patribus Concilii Conſtantinopolitani primi Generalis anni ccclxxxi. celebrati, ut deinceps *Epiſcopus Conſtantinopolitanus haberet prioris honoris partes poſt Romanum Epiſcopum, eo quod Conſtantinopolis ſit nova Roma*. Sic enim habet Canon tertius illius Concilii. Eumdem Canonem, contra quam Nicæno decreto fuerat conſtitutum, renovarunt, novumque ei robur addiderunt ambitioſi Græci in Concilio Chalcedonenſi nec ſolum honoris Primatum, ſed etiam Juriſdictionem, ſeu Jura Patriarchica in Provincias Aſiæ, Ponti, & Thraciæ Epiſcopo Conſtantinopolitano adjudicarunt. Huic tamen novæ Epiſcopi Conſtantinopolitani auctoritati interceſſerunt Romani Pontifices Leo M. Gregorius M. Nicolaus

Digitized by Google

-laus I. & Leo IX. Sed Innocentius III. Papa in Concilio Generali Lateranenſi Sedi Conſtantinopolitanæ indulſit ſecundum in Eccleſia dignitatis gradum. Hoc obiter annotato, texenda eſt modo ſeries Epiſcoporum, qui quarto ſæculo ad Thronum Conſtantinopolitanum fuerunt evecti. In primis *Metrophanes* creatus fuit Epiſcopus Conſtantinopolitanus anno cccxvii. & ſedit annos decem, ſicut teſtantur *Theophanes*, & *Nicephorus* in Chronico. Quapropter, ſtare haud poteſt ſententia Baronii, qui abſque ulla vetuſti Codicis auctoritate, & contra veterum Scriptorum fidem, tempora Sedis *Metrophanis* Epiſcopi Conſtantinopolitani intra triennium coarctavit. Illuſtriſſimus quippe D. *de Marca lib. 5. de Concordia Sacerdotii, & Imperii cap. 3.* & ibidem *Baluzius* in doctiſſima quam edidit, obſervatione, erudite oſtendunt, Metrophanem Epiſcopum Conſtantinopolitanum tempore Synodi Nicænæ, hoc eſt anno cccxxv. adhuc in vivis fuiſſe, idque aperte evincunt ex Gelaſio Cyziceno, qui circa annum cccclxxx. Acta Concilii Nicæni collegit, ſeque ex tertio libro Euſebii de vita Conſtantini hæc ad verbum tranſcripiſſe profitetur: *Ipſe ex Hiſpaniis valde celebratus Oſius, obtinens locum magnæ Romæ Epiſcopi Silveſtri, cum Presbyteris Romæ Vitone, & Vincentio, cum plurimis aliis conſidebat. Urbis autem illius, quæ nunc imperat Epiſcopus, Metrophanes nomine, propter ſenectutem non adfuit, ipſius vero Presbyteri, qui aderant, locum ejus ſupplevere; quorum unus erat Alexander, qui Urbis Epiſcopatum poſt Metrophanem adeptus eſt.* Ex quibus verbis liquido patet, Metrophanem Urbis, quæ tunc imperabat, ſeu Conſtantinopolitanæ, Epiſcopum tempore Synodi Nicænæ adhuc in vivis fuiſſe, ejuſque loco interfuiſſe huic Generali Synodo illius Presbyteros. Metrophanes morbo, & ætate feſſus, ſtatim poſt Synodum Nicænam vita functus eſt, & in ejus locum ſubſtitutus eſt *Alexander*, ad quem directa dicitur Alexandri Patriarchæ Alexandriæ contra Hæreſiarcham Arium Epiſtola, quæ extat apud Theodoretum lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 3. cum hoc titulo: *Alexandri Epiſcopi Alexandrini Epiſtola ad Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum.* Verum, etſi ex Theodoreto certum ſit, Alexandrum Patriarcham Alexandrinum direxiſſe Epiſtolam ad cognominem ſuum, ideſt, ad *Alexandrum*, non convenit tamen inter peritos Criticos, hunc Alexandrum, ad quem directa eſt illa Epiſtola, fuiſſe Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum. At enim, merito obſervat *Baluzius*, titulum illius Epiſtolæ mox a me relatum, & qui nunc legitur in editionibus Græcis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Theodoreti, non extare in duobus vetuſtiſſimis Codicibus MSS. Bibliothecæ Regiæ, in quibus eadem continetur Hiſtoria, neque in Editione Græca Roberti Stephani; Editionem vero Latinam Baſileæ editam anno MDCXI. hæc tantum in titulo habere: *Epiſtola miſſa ab Alexandro Alexandrino ad ſuum cognominem.* Ex quo concludi poteſt, illius Epiſtolæ titulum, qui nunc legitur in Editionibus Græcis Theodoreti, non eſſe a Theodoreto appoſitum, ſed adjectum a Librario, vel ab Interprete. Alexander Epiſcopus Conſtantinopolitanus obiit anno cccxl. eique ſucceſſit eodem anno *Paulus*, cujus electionis occaſione orta eſt Conſtantinopoli ſeditio, *& Plebs in duas partes diviſa palam ad opinionum contentiones, & ad pugnam uſque prorupit, & Arianis quidem ſtudium fuit, ut Macedonius ordinaretur, Homouſiani* (ideſt Catholici) *contra operam dabant, ut Paulus crearetur Epiſcopus, idque tandem prævaluit.* Exiſtimavit Baronius, *Paulum*, poſtquam anno cccxl. ordinatus fuiſſet Epiſcopus Conſtantinopolitanus, in exilium ab Imperatore Conſtantio, agentibus Euſebianis, in Pontum fuiſſe relegatum. Sed Cl. Pagius, ad annum cccxl. luculenter oſtendit, primum illud exilium non a Conſtantio, ſed a Conſtantino Magno fuiſſe circa annum cccxxviii. *Paulo* irrogatum poſt Concilium Antiochenum, in quo depoſitus fuit Euſtathius Epiſcopus Antiochenus, quo tempore Paulus necdum Epiſcopus erat, ſed dumtaxat Presbyter. Paulus igitur electus Epiſcopus Conſtantinopolitanus anno, ut dixi, cccxl. ab Imperatore Conſtantio Epiſcopatu fuit ſtatim dejectus, ſed non in exilium miſſus, ſicut his verbis diſerte teſtatur Socrates lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 7. *Imperator*, ſeu Conſtantius, *non multo poſt Conſtantinopolim ingreſſus, ob illius*, ſeu Pauli, *ordinationem, graviſſima exarſit ira: collectoque Arianorum Antiſtitum Concilio, Paulo quidem Epiſcopatum ademit, Euſebium vero ab Urbe Nicomedia tranſlatum Conſtantinopoleos Epiſcopum deſignavit.* Ubi aperte Socrates Paulum Conſtantinopolitano Epiſcopatu ejectum, non exilio multatum dicit. Depoſito itaque Paulo legitimo Epiſcopo Conſtantinopolitano, Euſebius Nicomedienſis Sedem Conſtantinopolitanam eodem anno invaſit, & mortuus eſt anno cccxlii. Poſt illius obitum *Paulus* a Conſtantinopolitanis in Sedem reſtitutus fuit, ſed ab Euſebianis *Macedonius* in Euſebii locum ſubrogatus eſt. Quæ res ingentem tumultum Conſtantinopoli excitavit. *Hermegenis* ſiquidem Magiſtri Militum a Conſtantio Imp. miſſi, ut Paulum Conſtantinopoli expelleret, domus a Plebe incenſa eſt, ipſeque miſerum in modum pedibus tractus, ac truncatus, a Populo in Mare præcipitatus eſt. Quo audito Nuntio, Imperator Conſtantius, abjecta omni cunctatione, magniſque itineribus Conſtantinopolim venit, & Paulum Sede dejectum catenis ferreis vinctum *Singaram* relegavit, & aliquanto poſt inde Emeſam tranſtulit. Sunt qui dicunt, Paulum miſſum fuiſſe poſtea Cucuſum Armeniæ Oppidum, ubi fuerunt eliſæ laqueo fauces (*a*). At Cl. *Pagius* exiſtimat, Paulum, antequam celebraretur Concilium Sardicenſe, hoc eſt, ante annum cccxlvii. a Singarienſi, & Emeſeno exilio ſolutum, Epiſcopatus ſui Conſtantinopolitani locum recepiſſe a Conſtantio Imperatore, vel in gratiam Conſtantinopolitanorum, qui eum præcipuo quodam amore proſequebantur, vel ob metum fratris ſui Conſtantis Auguſti, qui frequentibus literis ad Conſtantium miſſis, ut Paulus, Athanaſius, & reliqui Orientis Epiſcopi Orthodoxi ſuas in Sedes reſtitue-

ten-

Digitized by Google

rentur, obnixe poſtulaverat. Quamvis autem Paulus ſuæ Sedi Conſtantinopolitanæ fuerit reſtitutus ante celebrationem Concilii Sardicenſis, non interfuit tamen huic Concilio, quia cum ad illud proficiſcendum ſeſe accingeret, detentus eſt a Civibus Conſtantinopolitanis, eo quod pertimeſcerent, ne ab Arianis per inſidias interficeretur. Migravit ex hac vita Paulus anno cccli. & colitur a Græcis die vi. Septembris, a Latinis vero die vii. Junii. *Macedonius*, quem Euſebiani anno cccxlii. odinaverant Epiſcopum Conſtantinopolitanum, exauctoratus eſt anno ccclx. in ejus locum ab Arianis ſuffectus eſt *Eudoxius* Arianus, qui deceſſit anno ccclxx. Eudoxio ſucceſſit *Demophilus* pariter Arianus. Sed Catholici Conſtantinopolitani Evagrium ſibi Epiſcopum præfecerunt. Poſt cujus mortem *S. Gregorius* Nazianzenus anno ccclxxix. Conſtantinopolim ſeſe contulit, ubi per triennium Epiſcopale munus obivit. Sed cum in Concilio Generali Conſtantinopolitano primo nonnulli Epiſcopi contra ipſum tumultus excitaſſent, S. ille Antiſtes pacis, & quietis amans Sedi Conſtantinopolitanæ nuncium remiſit, & in ejus locum ſubſtitutus eſt *Nectarius*, qui Conſtantinopolitanam rexit Eccleſiam uſque ad annum cccxcvii. eique ſucceſſit *Sanctus Chryſoſtomus*, de quo in noſtris quinti Eccleſiæ ſæculi Colloquiis plura, auxiliante Deo, dicemus. Habes nunc compendioſe contextam ſeriem, ac ſucceſſionem Epiſcoporum, qui præcipuas Eccleſiæ Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, & Conſtantinopolitanam quarto Eccleſiæ ſæculo tenuerunt, & graviora Eccleſiæ negotia eodem ſæculo tractarunt. Supereſt modo, ad habendam plenam, & integram Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ quarti ſæculi notitiam, ut exponam qualis fuerit Doctrina, Diſciplina, & Moralis hujus ſæculi. Sed ne longius noſtrum protrahatur Colloquium, hoc de argumento opportunius in proximo noſtro Colloquio diſſeremus.

„ (a) Socrates quidem nihil habet de priori „ exilio Pauli Conſtantinopolitani, ſed ejus ſilen- „ tio prævalet auctoritas fragmenti Athanaſiani, „ de quo in ſuperiori mea adnotatione, cujus „ verba hic integra referre libet: *Conſ. Hypatio*, „ *& Catuline* (hi Conſules non apparent in fa- „ ſtis, poterant tamen eſſe ſuffecti) *Theodorus*, „ *Narciſſus*, *Georgius cum ceteris* (Arrianis) *ve-* „ *nerunt Conſtantinopolim, volentes perſuadere* „ *Paulo communicare ſibi; qui nec verbo eos ſuſce-* „ *pit, etiam eorum ſalutationem anathematizavit.* „ *Aſſumentes itaque ſecum Euſebium Nicomedien-* „ *ſem, inſidiati ſunt beatiſſimo Paulo; & interpo-* „ *nentes calumniam illi de Conſtante & Magnen-* „ *tio expulerunt Conſtantinopoli, quo poſſent locum* „ *habere, & Arrianam hæreſim ſeminare: populus au-* „ *tem Conſtantinopolitanus, deſiderans beatiſſimum* „ *Paulum, perſeveravit ſeditionibus, ne duceretur ex* „ *urbe, amantes ſanam doctrinam ejus. Impera-* „ *tor ſane iratus comitem Hermogenem tranſmiſit,* „ *ut eum ejiciat. Quo audito populus per mediam* „ *civitatem extraxit Hermogenem; ex qua re* „ *occaſione nacti adverſus Epiſcopum exiliave-* „ *runt eum in Armenia*. En hic expulſiones „ geminas.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Diſciplina, & Morali quarti Eccleſiæ ſæculi.

D. Licet ex ea, quam in præcedentibus noſtris Colloquiis exhibuiſti, ſucceſſione Epiſcoporum, qui in quatuor prioribus Eccleſiæ ſæculis præcipuas Sedes tenuerunt, & a quibus inviolabili temporum ſerie ad nos uſque propagata eſt Catholicæ Fidei doctrina, facili negotio confutari poſſint Hæretici, quibus ſolemne eſt calumniari Eccleſiam Romanam, quod a doctrina priorum Eccleſiæ ſæculorum deflexerit. Nihilo ſecius rem longe mihi gratiſſimam faceres, ſi doctrinam Fidei, quam Catholici quarti Eccleſiæ ſæculi conſtanter ubique profeſſi ſunt, paucis in præſentia exponere velles.

M. Fidei Catholicæ doctrinam nulli mutationi, aut viciſſitudini temporum obnoxiam eſſe, etſi tam certum ſit, quam quod maxime, aliquando tamen neceſſum eſt, ut, dum ab Hæreticis oppugnatur, variiſque infuſcatur erroribus, clarius, ac diſtinctius proponatur, explanetur, atque in evidentiori luce, quantum fieri poteſt, conſtituatur. Hinc ſæpius Eccleſia ad compeſcendas erumpentes Hæreſes ſolita eſt novas quidem, ſed appoſitas excogitare, ac conſecrare voces, quibus avita Fidei Catholicæ doctrina illibata conſervetur, eamque Fideles ab erroribus, quos Hæretici quaquaverſus temere ſpargunt, diſcernere poſſit, & ab his penitus abſtineant loquendi formulis, quæ ob ancipitem, dubiamque ſignificationem in parvum, & peregrinum ſenſum detoqueri queunt. Sic ſe geſſit Eccleſia in quarto ſæculo circa doctrinam Fidei de Sanctiſſima Trinitate, & de Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, quam id temporis Hæretici totis ſuis viribus aggreſſi ſunt. Patres ſiquidem Concilii Nicæni primi Oecumenici notam non invexerunt doctrinam circa Fidem, quam de Sanctiſſima Trinitate fideles ab ipſis Eccleſiæ primordiis jugiter tenuerunt, ſed, cum probe noſſent fraudes, & artes Arianorum, qui voces ad ineffabile Myſterium Trinitatis explicandum hactenus in Eccleſia uſitatas ſiniſtris interpretationibus ſuum ſenſum hæreticum præpoſtere deflectebant, conſultiſſimum ad omnem tergiverſandi Hæreticorum cohibendam licentiam eſſe judicarunt hanc vocem ὁμοούσιος, ſeu *Conſubſtantialis*, uſurpare, & communi adoptare ſuffragio, ut Catholici fidem ſuam, qua credunt, Verbum Divinum eſſe ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, per hanc unicam vocem aſtutum exprimere poſſent, ſibique caverent ab illis hominibus, qui hanc vocem aut repudiabant, aut ea uti pertinaciter detrectabant. Eodem motivo ducti Sancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, qui quarto ſæculo in Arianos calamum acuerunt ad propugnandam Catholicæ Eccleſiæ Fidem, coacti ſunt Sanctiſſimæ Triadis Myſterium uberius dilucidare, va-

ria videlicet adducendo locupletiſſima Scripturæ Sacræ teſtimonia, Hæreticorum objecta diluendo, difficultates explanando, nativam, & propriam præfigendo ſignificationem, quam præ ſe ferunt iſtæ voces, *Subſtantia*, *Natura*, *Perſona*, *& Hypoſtaſis*. Sed tamen doctiſſimi illi Scriptores ſedulo in ſuis lucubrationibus Fideles præmonebant, iſtud de Sancta Trinitate Myſterium rationi, ſenſibuſque omnino impervium eſſe, nec curioſius inveſtigandum, ſed firma dumtaxat fide credendum, pronoque capite adorandum. Porro quemadmodum Sancti Patres contra Arianos diſputantes, Conſubſtantialitatem trium Divinarum Perſonarum, quam præfracte negabant iſti Hæretici, omni argumentorum genere ſtabilierunt, ſic ex adverſo Sancti Patres refellentes errorem Sabellianorum, & Photinianorum, qui tres Sacræ Triadis Perſonas promiſcue confundebant, trium Divinarum Perſonarum diſtinctionem neceſſario juxta Fidem Catholicam eſſe admittendam docuerunt.

Hic tamen obiter advertere debes, inter Catholicos quarti Eccleſiæ ſeculi necdum conveniſſe de propria, & genuina ſignificatione iſtius vocis *Hypoſtaſis*. Nonnulli quippe autumantes hac voce *Hypoſtaſis* deſignari *Perſonam*, affirmabant, tres *Hypoſtaſes* in Trinitate eſſe admittendas. Verſa vice, alii nomine *Hypoſtaſis* intelligentes *Naturam*, ſeu *Eſſentiam*, vel *Subſtantiam*, aſſerebant, unicam in Trinitate eſſe *Hypoſtaſim*. Sed hoc Catholicorum quarti Eccleſiæ Sæculi de una, vel tribus in Sancta Trinitate Hypoſtaſibus diſſidium fuit tantum de nomine, nec de veritate Myſterii, ſed de verbis dumtaxat, quibus in eo explicando, ad enatos præcavendos errores, utendum eſſet, inter eos quæſtio verſabatur. Unde S. Athanaſius, teſte S. Gregorio Nazianzeno in Oratione *de laudibus S. Athanaſii*, utraque parte leniter, & humaniter accerſita, verborumque ſententia diligenter, & accurate perpenſa, poſteaquam concordes reperit, & neque quoad doctrinam quidquam inter ſe diſſidentes, ita negotium tranſegit, ut nominum uſum ipſis concedens, rebus eos conſtringeret. Hunc tamen S. Athanaſii concordiæ modum non placuiſſe Patribus Latinis facile colligitur ex Epiſtola LVII. S. Hieronymi ad Damaſum Papam, ubi hæc habet; *Taceantur tres Hypoſtaſes, ſi placet, & una teneatur*. Verum, poſtquam ex uſu, & praxi Eccleſiæ determinata eſt hæc vox *Hypoſtaſis* ad exprimendam non *Subſtantiam*, ſed *Perſonam*, tota lis finita eſt, ac tres Hypoſtaſes in Trinitate omnes Latini ultro admiſerunt.

Sub initium quarti Eccleſiæ ſæculi nulla de Divinitate Spiritus Sancti mota eſt diſceptatio, ſed ſolum de Divinitate Verbi, ejuſque cum Patre Conſubſtantialitate, quam inficiabantur Ariani, magno animorum æſtu hinc inde, diu multumque diſputatum eſt, ac tandem pluribus in Conciliis ſtabilita fuit Catholicæ Fidei doctrina (*a*). Aſt, quarto jam ſeneſcente ſæculo *Macedonius* eo audaciæ, & temeritatis prorupit, ut divinitatem Spiritus Sancti negarit, eumque in creaturarum ordinem redegerit. Quam Hæreſim multi Doctores Catholici eruditis Operibus confutarunt, & Generale Concilium Conſtantinopolitanum primum anno CCCLXXXI. convocatum de Divinitate Spiritus Sancti Articulum Symbolo Eccleſiæ, uberioris explicationis ergo, inſeruit his verbis: *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas*. Hæc fuit conſtans omnium Catholicorum in quarto Eccleſiæ ſæculo de Sanctiſſima Trinitate doctrina.

Circa vero Incarnationis Verbi Divini Myſterium, Eccleſia adverſus ejuſdem quarti ſæculi Hæreticos ſtatuit aperte diſtinctionem geminæ in Chriſto naturæ, divinæ nimirum, & humanæ in unione Perſonæ Divinæ. Quamobrem, damnavit Arium, qui Verbum Divinum in Chriſto loco Animæ fuiſſe effutiebat, & Anathema dixit Apollinario, qui nobiliorem Animæ partem, ſeu *mentem* Chriſto abjudicabat, utramque illius naturam confundere videbantur. Quod igitur Eccleſia, & Scriptores quarti ſæculi in ſtabiliendis, & eliquandis duobus iſtis fidei de Trinitate, & Incarnatione Verbi Divini Dogmatibus tantopere inſudarint, omnemque ſuam poſuerint operam, in cauſa fuit petulans, & effrænis audacia Hæreticorum, qui hæc præcipua Fidei noſtræ Dogmata quarto ſæculo oppugnarunt, ac funditus ſubvertere moliti ſunt. Unde, data opera ejuſdem ſæculi Scriptores Eccleſiaſtici nullos ediderunt libros ad vindicanda, vel explicanda alia Religionis Chriſtianæ Dogmata, quæ ea ætate ab Hæreticis non impetebantur, ſed illa dumtaxat in ſuis Catecheſibus & Homiliis ſimplici eloquio Fideles edocuerunt, & a vanis iſtis, atque inutilibus quæſtionibus, quas circa Myſteria Fidei noſtræ *de poſſibili*, ut ajunt, & *de quomodo* poſtea in Theologiam intempeſtive intulerunt ſubtiliorum quorumdam hominum ingenia, penitus abſtinuerunt.

„ (*a*) Quarto jam inclinante ſeculo diſſidia
„ de divinitate Spiritus Sancti palam agitari
„ ceperunt, ut optime P. Graveſonius admo-
„ net; verum dogma iſtud hæreticum jam te-
„ nuiſſe Arrium, atque cum ipſa ejus hære-
„ ſi initium habuiſſe, penes me certum eſt.
„ Neque enim Divina Filii natura negari pot-
„ erat, quin ſimul & a Divinitate Spiritus
„ Sanctus excluderetur; alias in unica divini-
„ tate hypoſtaſes duas admitti opus fuiſſet, quod
„ nec Arrius unquam, nec Arriani dixerunt.
„ Id de Arriano dogmate agnovit S. Baſi-
„ lius Epiſt. 78. ex editione nova P. Garne-
„ rii ſcribens Nicænos PP. nihil de divinita-
„ te Spiritus Sancti attigiſſe, quod tunc nul-
„ la de divinitate Spiritus Sancti lis agitari
„ cepta eſſet, *paulatim vero progreſſum ha-*
„ *buiſſe mala impietatis ſemina, quæ antea ab*
„ *auctore illius hæreſis Arrio jacta, ab iis*
„ *deinde, qui ipſius propugnanda dogmata ma-*
„ *le ſuſceperant, ad Eccleſiæ perniciem nutri-*
„ *ta ſunt*. Philoſophi etiam illi gentiles, quos
„ Arrius in Concilium Nicenum diſputantes pro
„ ſe induxit, ut in collectaneis Gelaſii Cyziceni
„ legimus, non ambigue aſſeruerunt Spiritum
„ Sanctum creaturam eſſe, quod colligitur ex

„ verbis

Digitized by Google

„ verbis illis Leontii Cappadocis ad unum ex
„ his philoſophis: *Sufficit quæ dicta ſunt de ope-*
„ *ribus Sancti Spiritus, o philoſophe, ut ipſum*
„ *credas ſimul cum Patre & Filio omnium facta-*
„ *rum creaturarum eſſe creatorem & ejuſdem Di-*
„ *vinitatis atque ſubſtantiæ, cujus eſt Pater & Fi-*
„ *lius*. Ex his colligimus recte ac vere ſcripſiſſe
„ Petavium Theolog. Dogmat. de Trinit. lib. 1.
„ cap. 14., *quocirca ſuſpicor Arrium principio de*
„ *ſolius Filii Divinitate contendiſſe; poſtea vero pri-*
„ *vatis in colloquiis ac diſputationibus, cum a*
„ *Catholicis urgeretur, & de Spiritu Sancto identi-*
„ *dem injecta eſſet mentio, etiam de hoc mentem*
„ *aperuiſſe ſuam. Etenim quibus ille moveri argu-*
„ *mentis aſſerebat, ut creatum eſſe Filium dice-*
„ *ret, ea multo de Spiritu Sancto concludebant*
„ *magis, cum nemo adhuc deſipuerit hæreticus, ut*
„ *Filio anteponeret Spiritum Sanctum. Verum*
„ *Catholici Patres in prius illud & ab auctore ipſo*
„ *vehementius ac manifeſtius explicatum nefariæ*
„ *dogma hæreſis intenti de ſolo Filio publicum &*
„ *apertum certamen inſtituerunt*. Placuit integrum
„ hoc Petavii teſtimonium recitare ad confirman-
„ dam opinionem meam, impium dogma contra
„ Spiritum Sanctum idem habuiſſe cum Arriana
„ hæreſi initium.

D. Si Sancti Patres, & quarti ſæculi Scriptores Eccleſiaſtici libros dumtaxat ediderint ad propugnanda, & explicanda Catholicæ Fidei de Sancta Trinitate, & de Incarnatione Verbi Divini Dogmata, certe non video, ut candide fatear, quo pacto nunc Catholici Doctores ex libris Sanctorum Patrum, & quarti Eccleſiæ ſæculi Scriptorum probare poterunt adverſus noſtri temporis Hæreticos alia Fidei noſtræ Dogmata, quæ ab ipſis in controverſiam vocantur, & quæ Sancti Patres, & Scriptores quarti Eccleſiæ ſæculi nec ſtabilienda, nec exponenda unquam ſuſceperunt. Quis autem non videt, hinc inutile plane reddi traditionis argumentum, quo Doctores noſtri Polemici adverſus Heterodoxos probare ſolent antiquitatem, conſenſionem, & univerſitatem omnium Fidei noſtræ Dogmatum, quæ ubique, quæ ſemper, & ab omnibus credita ſunt?

M. Quamvis Sancti Patres, & Scriptores quarti Eccleſiæ ſæculi libros dumtaxat ediderint ad explicanda, & aſſerenda hæc duo Fidei Catholicæ Dogmata de Sancta Trinitate, & Incarnatione Verbi Divini, alia tamen Religionis Catholicæ dogmata in ſuis Homiliis, & Catecheſibus, ut jam inſinuavi, ſine ullo diſputationis ſtrepitu fidelibus ita diſerte tradiderunt, ut in Sole cæcutire videantur illi, qui id inficias ire præſumunt. At enim Sancti Patres quarti Eccleſiæ ſæculi diſerte docent realem præſentiam Corporis Chriſti in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Peccati originalis ad omnes omnino homines propagationem, omneſque illius peccati appendices exponunt. Baptiſmum ſingulis hominibus, etiam parvulis, abſolute ad ſalutem conſequendam neceſſarium eſſe ſtatuunt. [Neceſſitatem pœnitentiæ inculcant, & Eccleſiæ vindicant poteſtatem remittendi peccata. Cultum, qui defertur Cruci Chriſti Domini, Beatæ Virgini, Apoſtolis, & Martyribus approbant. Eccleſiam non ex ſolis electis, & prædeſtinatis, ſed etiam ex reprobis, & peccatoribus conſtare evincunt contra Donatiſtas. Scripturæ Sacræ revelationem, inſpirationem, antiquitatem adſtruunt, illiuſque, & Apoſtolicæ traditionis auctoritate ad profligandos Hæreticorum errores,! paſſim utuntur. Liberum hominis arbitrium per primigeniam Protoparentis labem fuiſſe quidem ſauciatum, & elevatum, ſed non extinctum, demonſtrant contra Manichæos, quorum alios itidem craſſos errores invictis argumentis proterunt. Falſas quaſdam opiniones, in quas nonnulli priorum Scriptores abierant, videlicet de terreno Chriſti millenario Regno, de carnali Angelorum cum mulieribus commercio explodunt. Uno verbo, legentibus Opera Sanctorum Patrum, & quarti ſæculi Scriptorum Eccleſiaſticorum, Sole clarius patebit, omnia Catholicæ Eccleſiæ Dogmata fuiſſe hoc ſæculo uberius explicata, & cum majori, diligenti, accuratiorique conſideratione ponderata, & illuſtrata, quam in aliis præcedentibus ſæculis.

D. Poſſumne inoffenſo pede omnes decurrere libros tamquam puros, & ab omni errore immunes, quos ediderunt Sancti Patres, & Scriptores quarti Eccleſiæ ſæculi?

M. Auctor tibi ſum, ut indefeſſo ſtudio incumbas lectioni Operum Sanctorum Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui quarto ſæculo floruerunt, ex quibus hauries puram Catholicæ Fidei doctrinam. Licet enim Catholici diſciplinæ Critices periti nonnullos obſervaverint nævos in libris Sanctorum Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui quartum Eccleſiæ ſæculum doctrina, & pietate illuſtrarunt, fatentur attamen illos nævos leviſſimos eſſe, nec ſpectare doctrinam, ſed Hiſtoriam dumtaxat, vel Chronologiam, vel quorumdam nominum Hebraicorum interpretationem. Unde Sanctos Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos quarti ſæculi optimo jure vindicant ab his erroribus, quos *Dallæus* Pſeudo Miniſter Calviniſta eis temerario auſu inuſſit, ut labefactaret illorum auctoritatem, quæ in Eccleſia Catholica maximi ponderis eſt. Caute tamen, ut obiter dicam, legere debes libros *Divinarum Inſtitutionum* editos a Lactantio ob aliquot errores, qui in illis offenduntur. Docet quippe lib. 2. cap. 15. Angelos mulierum congreſſibus ſeſe inquinaſſe, & ex his procreatos fuiſſe terrenos Dæmones. Lib. 4. cap. 18. ait, *Pilatum* ſententiam mortis in Chriſtum non protuliſſe, quod ſane Hiſtoriæ Evangelicæ aperte repugnat. Lib. 7. cap. 12. concludit Mundi durationem ſex mille annorum ſpatio, & cap. 24. ac ſequentibus, totus eſt ut probet terrenum Chriſti mille annorum Regnum. Sunt etiam in operibus *Methodii* duo errores minime diſſimulandi. Primus eſt Methodio cum aliis veteribus communis, quod Angelos mulierum amatores putavit, eoque amore lapſos eſſe. Alter error legitur in libro, quem edidit Methodius, *de Reſurrectione*, cujus fragmentum deſcribit S. Epiphanius, ubi aſſerit Methodius, homines quoſdam poſt Reſurrectionem, & ultimum Judicium in terra æternum

habitaturos Angelorum more, ſine ulla mutatione, in immortalitatis ſtatu optima quæque facturos. Si plura de Sanctorum Patrum lectione deſideres, legeſis doctiſſimi Patris *Mabillonii* librum *de Monaſticis ſtudiis*, & alterius Auctoris Tractatum Gallice ſcriptum, qui præclara hac de re habet, atque utiliſſima documenta, docetque prudenter quam ſibi partem ex ampla Patrum lectione pro ſua virili quiſque ſumat præcipue tractandam, ut, juxta illud Sapientis monitum, *videat quiſque prius quid poſſit, deinde, totum faciat quod poſſit: nam ſi quo in genere plurimum poteſt, & in eo magnopere adlaborat, egregium ſibi opus relinquit*.

D. De doctrina, qua Catholici fuerunt imbuti quarto Eccleſiæ ſæculo ſatis hactenus dixiſti. Oſtende nunc, qualis fuerit in Eccleſia eodem ſæculo obſervata diſciplina?

M. Rem profecto immenſam aggrederer, ſi quarti ſæculi diſciplinam Eccleſiaſticam minutatim, ac pro rerum ſingularum dignitate in præſentia commemorare vellem. Hanc nobilem Provinciam ſuſcepit, eaque egregie defunctus eſt doctiſſimus Pater *Thomaſſinus* Congregationis Oratorii Presbyter in his, quos edidit, libris *de Nova & antiqua Eccleſiæ circa Beneficiarios diſciplina*. Quapropter pro inſtituti noſtri ratione ſufficiet ſumma Capita diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ quarto nominis Chriſtani ſæculo obtinuit, decerpere, ac prælibare, ex quibus veram effigiem purioris diſciplinæ hujus ſæculi in mentem tuam facile inducere poteris. In primis, cum ceſſaſſent quarto Eccleſiæ ſæculo Ethnicorum Imperatorum perſecutiones, & potentiſſimo Imperatorum Chriſtianorum munita patrocinio pacis in ſinu quieſceret Eccleſia, plenoque omnia Religionis officia libere exercendi jure potiretur, maximum ſplendoris incrementum ſuſcepit Eccleſiæ diſciplina, auctæque cæremoniæ, quæ ad conciliandam cultui Divino majeſtatem adhiberi ſolent. Imperatores erecta magnificentiſſima Templa cum incredibili pompa, & ſolemnitate in ſuis Quinquennalibus, Decennalibus, Quincennalibus, & Vicennalibus, vero Deo dedicari, ac conſecrari curarunt, eorumque exemplis permoti Chriſtiani, Sacras Ædes per totum Imperium Romanum excitarunt. Diebus Dominicis, & Feſtivis Chriſtiani non ſolum ex Religionis præſcripto, ſed etiam auctoritate legum obſtringebantur abſtinere omnino a quocumque ſervili opere. Apud Ægyptios invaluerat conſuetudo, ut non niſi die Dominica adirentur Sacra, qui uſus *Synaxis* Græce vocabatur. Non erat licitum Catechumenis, multoque minus Gentilibus, & Judæis oblationi, aut ſacris rebus intereſſe. Præter Feſtivitates Natalis Chriſti Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes, mos erat celebrandi dies feſtos in honorem Martyrum, præſertim in locis, in quibus, vel Martyrium pro Chriſto paſſi fuerant, vel eorum reperiebantur ſepulchra. Baptiſmus cum maxima ſolemnitate in pervigiliis Paſchæ, & Pentecoſtes, juxta antiquiſſimum morem in trina immerſione adminiſtrabatur. Baptiſterium in Eccleſia erat muro, aut ſepto ligno incluſum. Qui Baptiſmo initiabantur, Sacramenta Confirmationis, & Euchariſtiæ ſimul percipiebant, ſed in os Infantium, qui baptizabantur, loco Panis Euchariſtici, aliquantulum Sanguinis de Calice inſtillabatur. In extremo vitæ periculo Baptiſmum quamplurimi recipiebant, in quem abuſum Sancti Patres acerrime invecti ſunt. Confirmatio per manuum impoſitionem, & Chriſmatis unctionem ab Epiſcopis conferebatur. Pœnitentiæ publicæ, quæ quarto Eccleſiæ ſæculo vigebat, Clerici non addicebantur, ſed, ſi aliquod capitale crimen admiſiſſent, ab officio Clericali dejecti ad Communionem laicalem redigebantur. Semel dumtaxat in vita peragi poterat pœnitentia publica, nec ad illam dabatur regreſſus. Liturgiæ, ſeu Ordini celebrandi Miſſæ Sacrificium multæ additæ ſunt preces, & cæremoniæ, quo illud adorandum Sacrificium majori cultu, ac veneratione perageretur. Calicem Populo Epiſcopi propinabant, miniſtrantibus, ut veroſimile eſt, Diaconis, quem uſum, utpote jure divino non præceptum, ob multa emergentia incommoda ſuſtulit Eccleſia. Sacra vaſa erant aurea, vel argentea. Euchariſtia etiam in manus laicorum dabatur, quibus liberum erat eamdem in proprios lares deferre, & privatim aſſervare. Templa mundis ſupellectilibus erant ornata, & omnes populares, excepto Clericorum cœtu, Sacrarii aditu erant excluſi.

D. Sine, quæſo, ut te paululum interpellem. Necdum enim ſatis intelligo, quid ſibi velit iſta laicalis Communio, ad quam Clerici capitalium criminum rei quarto Eccleſiæ ſæculo redigebantur.

M. Laica Communio, quæ Clericis ſacris, ſeu Clericis majoribus Ordinibus initiatis in pœnam capitalis alicujus delicti ab Eccleſia decernebatur, in hoc ſita erat, quod intra Sanctuarium Euchariſtiam non ſumerent. Solis quippe Sacro Miniſterio dedicatis, ſeu Presbyteris, & Diaconis ingredi Sanctuarium, inibique communicare licebat. Hoc itaque Privilegio Clerici majoribus Ordinibus initiati, Presbyteri, & Diaconi, in pœnam alicujus gravis, & capitalis criminis, excidebant, nec niſi cum promiſcua laicorum turba fas eis erat divina refici communione. Excludebantur etiam iidem Clerici, qui ad laicam Communionem erant redacti, a Decimis, Oblationibus, & Prædiorum Eccleſiæ fructibus percipiendis. Unde ex bonis patrimonialibus, vel aliorum liberalitate, vel ex proprio labore, ac induſtria victum ſibi quærere compellebantur. Quando tamen illi Clerici ad Communionem laicalem redacti, penuria rerum laborabant, hiſque nihil ad victum ſuppetebat, Eccleſia, ut pia Mater, victum illis ex commiſeratione ſuppeditabat, eoſque admittebat ad menſam, quæ ad quotidianum victum apparari ſolebat Fidelibus Peregrinis, quos proprius Epiſcopus per literas formatas Eccleſiis, ad quas peregre ibant, commendabat.

D. Perge nunc referre quidquid attinet ad, ſtatum politiæ Eccleſiaſticæ quarti ſæculi, præcipue ea, quæ ſpectant Patriarchas, Exarchos, Primates, Metropolitanos, Epiſcopos, Clericos, & Monachos.

M. Quam-

Digitized by Google

M. Quamvis quarto Eccleſiæ ſæculo ignotum adhuc eſſet Patriarchæ nomen, quod non niſi ſub Chalcedonenſis Concilii tempora uſurpari cœpit, ſpectatiſſimæ tamen erant, ſicut ſæpius obſervavi, tres Sedes Primariæ, quæ dignitate, & ampliori Juriſdictione cæteris omnibus eminebant, *Romana* ſcilicet, *Alexandrina*, & *Antiochena*. Harum trium Sedium Epiſcopi poſtea *Patriarchæ* fuerunt appellati. His tribus Patriarchis proximus erat honore Hieroſolymitanus Epiſcopus, cui Concilium Nicænum primum Generale *Conſequentiam honoris* detulit, ſalva Metropoli Cæſarienſi propria dignitate, & Juriſdictione. Acceſſit ad Patriarcharum numerum Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cui, ut in præcedentibus Colloquiis diximus, ſecundus loco a Romano Pontifice, & honoris Primatus, dignitaſque Patriarchica Canone tertio Synodi Conſtantinopolitanæ primæ Generalis anno CCCLXXXI. celebratæ conceſſa eſt. Patriarcharum privilegia ſunt, Ordinationes Metropolitanorum in ſuis Diœceſibus, Conciliorum Patriarchalium convocatio, legum Eccleſiaſticarum conditio, majorum cauſarum judicium, procuratio executionis Canonum in omnibus Provinciis ſuæ ditioni ſubjectis.

Patriarchis dignitate inferiores erant Exarchi, ſed Metropolitanis Superiores. In Orientali Eccleſia tres erant Exarchi maxima dignitate, Juriſdictione conſpicui, ſcilicet *Epheſinus*, *Heracleenſis*, & *Cæſarienſis* Epiſcopi. Epheſino Aſiana Diœceſis, Heracleenſi Thracia, Cæſarienſi Pontica parebant. Sed horum Exarchorum auctoritas, inſtituto Patriarchatu Conſtantinopolitano, deſiit. Qui in Oriente dicebantur Exarchi, fuerunt in Occidente appellati *Primates*, qui ſuam Juriſdictionem exercebant in Provincias Eccleſiaſticas, ſeu ab Eccleſia inſtitutas juxta diviſionem Provinciarum civilium Imperii Romani, excepta tamen Eccleſia Africana, in qua, nulla habita ratione diviſionis Provinciarum civilium, Epiſcopus, qui erat conſecratione antiquior, Primatis nomen, & dignitatem ſibi adſciſcebat. Legendus eſt ea de re *Petrus de Marca* in Diſſertatione *de Primatibus*.

Metropolitani in qualibet Provincia Epiſcopis præſidebant. Dicebantur autem Metropolitani, quia Apoſtoli primas Eccleſias in civilibus Provinciarum Metropolibus fundarunt. Hæc erant Metropolitanorum quarti Eccleſiæ ſæculi Jura: Suffraganeos Epiſcopos ordinare, convocare Concilia Provincialia, & eis præeſſe, viſitare omnes ſuarum Provinciarum Eccleſias, Epiſcopos ſibi ſubditos judicare cum Provinciæ Synodo, literas formatas concedere Suffraganeis ſuis extra Provinciam pergentibus, invigilare executioni Canonum, & judicare cauſas Clericorum inferiorum, qui ab Epiſcoporum ſuorum judiciis ad illorum Tribunal provocabant (*a*).

„ (*a*) Ab Apoſtolis inſtitutos Metropolitanos „ in ſingulis civilibus Provinciarum Metropolibus aſſerit hic Graveſonius; id tamen uſquequaque de omnibus orbis Chriſtiani Provinciis „ verum non eſſe conſtat. In Africa plures extitiſſe provincias certum eſt; Metropolitanarum vero Eccleſiaſticarum jura ita incerta „ erant, ut per omnes Provinciæ illius urbes decurrerent; nam ſenior in eadem provincia Epiſcopus, cujuſcunque tandem urbis Antiſtes eſſet, ille in tota provincia Metropolitæ jura „ obtinebat. Eo defuncto jus Metropoliticum „ devolvebatur ad alium Epiſcopum alterius Civitatis, modo comprovincialibus ſuis ſenior in „ dignitate Epiſcopali eſſet. Probat hæc allatis „ in medium exemplis Schelſtratius in ſingulari libro de Africa. Inſuper in Oriente Metropolitas non ſemper conſueviſſe inſtitui in urbibus „ inſignioribus haud ſpernendis argumentis evincit „ P. Blanchinus in erudita Diſſertatione de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ originibus.

Mos erat in quarto Eccleſiæ ſæculo, ut Epiſcopus deligeretur a Populo, & a Clero, & quidem ex cœtu Cleri ejuſdem Civitatis, in eaque baptizatus, educatus, populis notus, ipſiſque acclamantibus. Tres Epiſcopi, recepto, & vulgato more, eum, qui a populo, & Clero electus erat Epiſcopus, ordinabant, inſtante tamen Hæreticorum formidine, unus Epiſcopus poterat tali defungi officio. Nefas erat, Epiſcopum, niſi ſuprema urgeret neceſſitas Epiſcopatum deſerere, aut ad aliam tranſire Eccleſiam. Epiſcopus, comitante Clero, ſuæ ditionis loca, veræ fidei ſervandæ cauſa, frequens luſtrabat. Non licebat Epiſcopis, citra ſententiam Metropolitani, Decretum ullum edere, quod vel Epiſcopos, vel rem communem ſpectaret. Epiſcopi gaudebant immunitate a publicis officiis. Frequentibus decretis vetitum fuit ab Eccleſia in quarto ſæculo, ne in Agris, Villulis, aut modicis Civitatibus præficerentur Epiſcopi. Unde, Pagorum Eccleſias regebant *Chorepiſcopi*, qui licet ordinatione ſua Epiſcopi non eſſent, Clericos tamen minores ordinare poterant, non tamen Chriſma conficere, nec Confirmationis Sacramentum adminiſtrare. Chorepiſcoporum Officium erat, viſitare Eccleſias Pagorum, quod modo præſtant Archidiaconi, pauperum per agros diſperſorum curam gerere, nullum tamen alicujus momenti negotium inconſulto Epiſcopo aggrediebantur. Epiſcopi Synodos ſingulis annis cogebant ad ſanciendam diſciplinam Eccleſiæ, ejuſque integritatem conſervandam. Epiſcopotum defunctorum, qui ſancte vitam tranſegerant, nomina in album reponebantur.

Presbyteri, quarto Eccleſiæ ſæculo ſub Epiſcopis curam Animarum gerebant, & Parochias, quæ Romæ *Tituli* appellabantur, adminiſtrabant. Magnus erat Presbyterorum, Diaconorum, Acolythorum, aliorumque Eccleſiæ Miniſtrorum numerus, quorum officia hæc erant, ægros inviſere, eos, qui in extremis poſiti necdum baptizati eſſent, ſacro lavacro tingere, egenis, & viduis intra Eccleſiæ ſeptum ſedentibus victum erogare. Clericos etiam minores ab oneribus publicis, ſeu a pendendis vectigalibus, immunes eſſe voluerunt Imperatores *Conſtantinus*, & *Conſtantius*, eamdemque Imperatorum legem, quam impius Imperator Julianus Apoſtata abrogaverat, renovarunt alii Imperatores *Valentinianus*, *Gratianus*, & *Theodoſius*. Forenſes Judices arcebantur a

Digitized by Google

cauſis Eccleſiaſticis. Patrimonia Eccleſiæ multum quarto ſæculo auxere & regia Conſtantini Imperatoris liberalitas, & fervens Fidelium bona ſua, vel eorum partem Eccleſiis offerentium charitas. Horum bonorum adminiſtratio penes erat Epiſcopum, qui ad Miniſtrorum Eccleſiæ, virginum, viduarum, pauperumque ſuſtentationem ea diſtribuebat. Tunc enim bonorum Eccleſiaſticorum necdum facta erat diviſio, nihilque adhuc Clerici ſibi proprium titulo Beneficii poſſidebant. Qui in Clericum, vel Presbyterum erat ordinatus, addictus perpetuo manebat peculiari alicui Eccleſiæ, in qua Miniſterio ſuo defungi tenebatur. Presbyteris, & Epiſcopis vetitum erat uxores ducere, & hæc ipſis cœlibatus impoſita lex præcipue in Occidente viguit.

Monachorum Inſtitutum quarto Eccleſiæ ſæculo maxime inclaruit. Quamvis enim in præcedentibus ſæculis multi extiterint, qui ob auſterum, quod profitebantur, vitæ genus, dicti ſunt *Aſcetæ*: Quamvis etiam plures ex utroque ſexu perpetuam virginitatem ſervaverint, & ob rerum caducarum contemptum, vel ob metum perſecutionis in ſolitudinem ſeceſſerint, nullibi tamen legitur, fuiſſe ante quartum Eccleſiæ ſæculum extructa Cœnobia, in quibus Monachi ſub Abbatis regimine communem vitam degerent. Quare, primus vitæ Monaſticæ Parens optimo jure apud omnes audit *S. Antonius*, qui innumeros homines exemplo ſuo ad eam vitæ rationem deduxit. Sanctus itidem *Pachomius*, & *S. Hilarion* in extremis Palæſtinæ, & Thebaidis partibus Cœnobia excitarunt plurima, & numeroſis Religioſis agminibus, atque Sodalitiis ſolitudinem impleverunt. Ex Ægypto, & Thebaide Romam demigrare cœpit Inſtitutum Monaſticum anno videlicet CCCXLI. cum S. Athanaſius eo profectus *Ammonium*, & *Iſidorum*, eximiæ virtutis Monachos ſibi viæ comites adſcivit. Tunc cœpit Monaſticus Ordo in Occidente frequentari, & longe lateque propagari. Divinæ Pſalmodiæ ſingulis diebus pluries vacabant Monachi, & divinum Officium diu, noctuque perſolvebant, teſte Sozomeno lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 14. manibuſque operabantur, quæ diſciplina ad Monachos quinti ſæculi traducta eſt, ut conſtat ex S. Auguſtino, qui librum *de Opere Monachorum* ſcripſit. De Monachis ſanctitate celebribus, qui quarto ſæculo floruerunt, lege Socratem lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 28. & ſequentibus, Theodoretum in Hiſtoria Religioſa, & Rufinum in Vitis Patrum, tuncque intelliges, quam auſterum, quamve purum fuerit antiquorum Monachorum vivendi genus, quod etiamnum cum ſingulari Fidelium ædificatione æmulantur Religioſiſſimi Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri, Carthuſienſes, & Monachi Ciſtercienſes ſtrictiſſimæ diſciplinæ Regularis obſervantiæ, vulgo dicti *de la Trappe*, qui vitam Angelicam in terris degentes, ſuaviſſimum Chriſtianarum virtutum odorem latiſſime diffundunt, nobiſque invictum præbent argumentum ad probandam adverſus Heterodoxos ſanctitatem, quæ veræ Eccleſiæ teſſera eſt ac ſenſibilis nota, ſoli competere Eccleſiæ Romanæ.

Denique, quarto Eccleſiæ ſæculo multa fuerunt Monaſteria, & examina Virginum, quæ uni parebant Matri, ſeu Præpoſitæ, & in corporis integritate conſeneſcebant. Sancti Antonii ſoror inter illas ſacras Virgines verſabatur, & in Præfecturam Cœnobii adlecta fuit, teſte S. Athanaſio in vita S. Antonii: Sanctum quoque Pachomium ſorori ſuæ Monaſterium non longe a ſuo diſſitum conſtruxiſſe legimus in ejus vita. Plura de his Virginibus, & de earum Monaſteriis habet S. Hieronymus in Epiſtola ad *Euſtochium* de Epitaphio Paulæ matris, in Epiſtola ad *Sabinianum* de Ægypti, & Syriæ Parthenonibus, & in Epiſtola ad *Lætam* de Inſtitutione filiæ. Præter illas Virgines, quæ ab omni hominum contubernio ſemotæ in Monaſteriis rebus divinis vacabant, aliæ erant Virgines in Urbibus, & Pagis, quæ a tenera ætate virginitatem ſuam voto obſtrictam Deo offerebant. Virgines velo operiebantur, & grandis injuriæ loco habebatur, ſiquis Virginum capita nudaret.

D. Monaſticum Inſtitutum ante quartum ſæculum cœpiſſe hactenus credideram. Sunt enim plures Monachi, & Canonici Regulares, qui ſuam Inſtitutionem *Apoſtolicam* appellant, ſuumque vivendi genus ab Apoſtolis initium ſumere, & in prioribus Eccleſiæ ſæculis viguiſſe mordicus pertendunt; immo ſunt nonnulli, qui altius accerſunt Monachorum originem, eoſque jam *Eliæ*, & *Eliſæi* temporibus floruiſſe ſanctiſſime jurant.

M. Monachos, & Canonicos Regulares in communitate viventes Apoſtolorum imitatores eſſe, adeoque illorum inſtitutionem hoc in ſenſu *Apoſtolicam* nuncupari poſſe, haud ægro animo conceſſerim. Aſt, Inſtitutum Monachorum, & Canonicorum Regularium, qui communi domo, communi menſa, communibus bonis utuntur, quique peculiares Conſtitutiones, & Regulam vel S. Benedicti, vel S. Franciſci, vel S. Auguſtini profitentur ab Apoſtolis ſumpſiſſe initium, difficile adducor, ut credam. Similiter Monachos, qui Carmelum incolunt, *Eliæ*, & *Eliſæi* imitatores eſſe, & ob hanc vitæ ſimilitudinem diſcipulos Eliæ, & Eliſæi latiori ſenſu appellitari poſſe, non inficias iverim; ſed Eliam, & Eliſæum hujuſmodi Inſtituti Auctores, & Parentes fuiſſe, hactenus in animum meum inducere non potui, maxime, poſtquam legi Reſponſiones Papebrochii doctiſſimi Jeſuitæ, & Controverſias Romæ Typis excuſas Eminentiſſimi Cardinalis *Raymundi Capiſucchi*, qui Controverſia decima ſexta §. 2. ſolide probat ex S. Thoma, & ex communi Theologorum ſententia, ſtatum Religioſum, ſeu Monachatum per tria vota, obedientiæ videlicet, paupertatis, & caſtitatis non fuiſſe in lege veteri, ſed in lege dumtaxat Evangelica ſumpſiſſe exordium. Et §. 5. oſtendit idem Cardinalis, Eliam, Eliſæum, filioſque Prophetarum hiſce votis non fuiſſe obſtrictos. Monaſticæ itaque vitæ inſtitutio ad quartum dumtaxat ſæculum referenda eſt, Auctoreſque habuit Pachomium, & Antonium,

Digitized by Google

tonium, ut videre eſt in vita S. Pachomii die XIV. Maji in Actis Sanctorum Bollandianis illuſtrata. Ordo vero Canonicorum Regularium S. Auguſtini Regulam profitentium cœpit tantummodo undecimo Eccleſiæ ſæculo. Nulla quippe ante hoc ſæculum Inſtitutionis Clericorum Regularium in Scriptoribus Eccleſiaſticis apparent veſtigia, ſicut latius examinabimus in noſtris Colloquiis XI. ſæculi.

D. Alia ſi quæ ſint, percenſe diſciplinæ quarti Eccleſiæ ſæculi capita, quorum narrationem non minus jucundam quam utilem eſſe experior.

M. Alia diſciplinæ quarti Eccleſiæ ſæculi capita paucis obſervationibus complectar. Mos erat in Oriente, non ſecus ac in pluribus Eccleſiis Occidentis, jejunandi diebus Mercurii, & Veneris; exceptis tamen Romæ, & aliquot Italiæ Eccleſiis, quæ loco diei Mercurii obſervabant die Sabbati jejunium, quod cum abſtinentia a carne, & a vino tum temporis ſervabatur, & per totum diem productum ad veſperam tantum ſolvebatur. Mos quoque a primordiis Eccleſiæ receptus erat pervigilia celebrandi nocte ſcilicet, quæ præcedebat magnam ſolemnitatem, vel diem Dominicam, in qua Synaxis habenda erat, & populus in Eccleſias confluebar, pernoctabatque in Orationibus, & Pſalmis vacans. Cœmeteria loca ſacra erant, in quibus Catholicorum tantum corpora humari licitum erat. Signum Crucis paſſim uſuveniebat, & hoc ſalutifero ſigno ſancti viti ad res mirabiles patrandas, Dæmoneſque fugandos utebantur. Quotquot Tyrannorum Chriſtianæ Religionis furorem declinantes profugi moriebantur, Martyrum loco habebantur. Eodem ſæculo quarto in uſu eſſe cœperunt peregrinationes ad luſtranda loca Sacra. Sed quia nonnulli Chriſtiani ejuſmodi peregrinationes ex ſuperſtitione quadam, potius quam ex ſobria, & ſolida pietate ſuſcipiebant, Sanctus Gregorius Nyſſenus in Oratione ſeu in Epiſtola *de iis, qui adeunt Hieroſolymam*, declarat, haſce peregrinationes multis noxias eſſe, & præſertim mulieribus Chriſtianis, quarum honeſtas & caſtitas tam prolixis itineribus periclitari poſſunt. Abuſus itaque, qui in illas peregrinationes irrepſerant, optimo jure reprehendit Sanctus ille Doctor, ſacrarum tamen peregrinationum Religionem in hac Epiſtola nec carpit, nec improbat, quidquid contra obſtrepant Heterodoxi veræ pietatis oſores. Sunt & alia politiæ, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ capita, quæ quarto ſæculo obſervata fuerunt, & Conciliorum Canonibus ſancita, quæ fuſo & erudito calamo Cl. *Thomaſſinus* proſequitur in libro jam laudato, quibus tamen ipſe, brevitatis ergo ſuperſedebo, cum hæc tibi abunde ſufficere poſſit Generalis Idea diſciplinæ Eccleſiaſticæ quarti ſæculi, quam levi brachio delineavi.

D. Circa diſciplinam quarti Eccleſiæ ſeculi mihi cumulatiſſime feciſti ſatis; nunc paucis expone, quænam fuerit apud Chriſtianos ejuſdem ſæculi doctrina Moralis.

M. De doctrina Morali quarti Eccleſiæ ſæculi plura occurrerent dicenda, quæ tamen fuſius proſequi cum non ſinat Colloquiorum noſtrorum brevitas, multa paucis complectar. In primis, doctrina Moralis apud Chriſtianos quarti Eccleſiæ ſæculi avitam ſuam integritatem retinuit, nec ad laxitatem, aut ad nimiam ſeveritatem deflexit. Fuerunt quidem aliqui Hæretici, *Novatiani* nimirum, *Encratitæ*, *Euſtathiani*, & *Luciferiani*, qui cum eſſent rigidiſſimi morum Cenſores, ſeveriorem Moralem libertati Evangelicæ oppoſitam inducere tentarunt, ſed Eccleſia nimii illius rigoris impatiens, peccatoribus ſpem fecit conſequendæ veniæ, eiſque, poſt emenſum luctuoſæ ſtadium pœnitentiæ, reconciliationem, & indulgentiam nunquam denegavit. Solemne erat Epiſcopis frequentes Catecheſes, & Conciones habere ad populum, in quibus eos præcipua moralis Chriſtianæ dogmata edocebant, atque ad Chriſtianarum virtutum praxim, ad amorem Dei, ad rerum caducarum contemptum, & ad omnium operum veræ pietatis exercitium vehementer adhortabantur. Peccatorum vitia, nulla habita ratione dignitatis Perſonarum, magnis animis, & totis eloquentiæ ſuæ viribus inſectabantur, omneſque ad meliorem frugem ardentiſſimo zelo adducere ſatagebant. Singulis Chriſtianis cujuslibet ætatis, ſexus, & conditionis accommodatiſſima præſcribebant officia bene beateque vivendi, & ut eos ad ineundam perfectiorem vitam provocarent, libros *de Aſcetica*, ſeu Spirituali vita, conſcribebant. Spectacula omnia, in quibus tragicæ Hiſtoriæ, vel Comicæ, oculis ſubjiciuntur, diſtricte Chriſtianis prohibebant, quia hujuſmodi Spectacula cupiditates excitant, ac fovent, animos emolliunt, & a Deo, atque bonis operibus avertunt corda ad voluptates, & ad vitia eo periculoſius alliciunt, quo honeſtiora videntur. Verbo dicam, hæc Spectacula Mundi & Diaboli pompæ ſunt, quibus dum interſunt Chriſtiani, iiſque delectantur, fœdus ſolemne, quod cum Deo in Baptiſmo pepigerunt, renunciantes Diabolo, & pompis ejus, nullum quodammodo, & irritum reddunt. Hæc fuit doctrina Moralis Sanctorum Patrum quarti Eccleſiæ ſæculi.

Quod ſpectat ejuſdem ſæculi Chriſtianorum mores, facile ex Sermonibus, Homiliis, Orationibus Parænecticis Sanctorum Patrum colligi poteſt, multos fuiſſe tum temporis degeneres Chriſtianos, quorum flagitioſa vita a nomine, & a ſanctitate Religionis, quam profitebantur, longe diſtabat. Quod ſane tibi mirum videri non debet, cum id ætatis Chriſtiani in immenſum numerum excreviſſent, paucique admodum in ampliſſimo Imperio Romano reperirentur, qui non eſſent Religionis Chriſtianæ cultores. At, quamvis negari haud poſſit, complurium Chriſtianorum quarti Eccleſiæ ſæculi mores fuiſſe corruptos, certiſſime tamen conſtat, multo plures eodem ſæculo extitiſſe Chriſtianos, tum Laicos, Monachos, & Virgines, tum Clericos, & Catholicos Epiſcopos, quorum ſi vitam contempleris, nihil ſanctius; ſi doctrinam, nihil purius; ſi mores, nihil incorruptius; ſi zelum pro defenſione Eccleſiæ, & ſalute Animarum, nihil ardentius eſſe poteſt; quorum doctrina, ac inculpatæ vitæ exemplis munitur etiamnum, defenditur, &

ru-

Digitized by Google

roboratur fides illa adamantina, cui Chriſtus promiſit Claves Regni Cælorum, & cui ſuperſtruxit Eccleſiam ſuam nullis ventorum turbinibus, nullis undarum, & Inferorum inſultibus ceſſuram. Depravatos tamen mores Epiſcoporum Arianorum, & aliquot etiam quarti ſæculi Catholicorum Antiſtitum, qui ſibi, & non ſuis ovibus conſulebant, graphice ſic deſcribit S. Gregorius Nazianzenus in libro de Epiſcopis: *Talia ſunt*, inquit, *horum ornamenta* ——— *abundans item cupediariorum, ac temperaturarum argutiis* ——— *abundans item unguentis, riſu, cantilenarum concentibus, qui & cimbala, & ſtrepitus pedum ſaltantium requirunt* ——— *Nitida cute conſpicui, corpore juvenes, moribus, & affectibus juniores, vel etiam antiquorum dierum vitiis referti, Præfecti ſcilicet, ac Antiſtites fiunt liberum, quos ſpiritus gignit* —— *alienis in vitiis ſuimet ipſorum patroni, concedentes peccandi licentiam aliis, itidem ut eam ſibi ſumant.* Ex quibus S. Gregorii Nazianzeni verbis patet, fuiſſe quarto Eccleſiæ ſæculo præter Arianos Epiſcopos, aliquos Catholicos Antiſtites, qui ſuis commodis inſerviebant, praviſque moribus, & mundana converſatione contemptibiles facti, quærebant quæ ſua erant, non quæ Jeſu Chriſti.

D. Haud levem animo meo injeciſti ſcrupulum, dum Chriſtianis quarti Eccleſiæ ſæculi omnia Spectacula, in quibus Tragicæ, vel Comicæ exhibentur Hiſtoriæ, tamquam illicita a Sanctis Patribus prohibita fuiſſe affirmaſti. Ipſe quippe multorum ſecutus opinionem, hiſce ſpectaculis perſæpe interſum, nec quemquam hactenus vidi, vel audivi, qui inductum Comœdiarum uſum reprobaret: immo, hoc nemo non facit, ſic vivitur a Magnaribus, his veſtigiis majores mei ſunt ingreſſi, hoc Magiſtratus, & Principes approbant.

M. Comœdias illicitas eſſe, & Chriſtianæ innocentiæ periculoſas probat conſtans, & perpetua Sanctorum Patrum, & Conciliorum doctrina, quorum hic teſtimonia, & decreta referre prolixioris eſſet operæ, & a meo Inſtituto alienæ. Sed ne hanc auſteriorem putes SS. Patrum, & Conciliorum doctrinam moralem, lege, ſi placet, Acta Synodi Mediolanenſis tertiæ S. Caroli Borromæi, ubi Sanctus ille Antiſtes de Officio Concionatoris hæc habet: *Spectacula, ludos, ludicraſque res id genus, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, diſciplinæque Chriſtianæ adverſantur perpetuo deteſtabitur, execrabitur, demonſtrabitque incommoda, publicaſque ærumnas inde in Populum Chriſtianum dimanare, in quam ſententiam valde Populum confirmabit argumentis, quæ graviſſimi viri Tertullianus, Cyprianus Martyr, Chryſoſtomus, & Salvianus aſſerunt, in eoque argumenti genere nullum aliud omittet, quo tanta corruptela radicitus extirpetur.* Viden, quo pacto *S. Carolus* majorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, Spectaculorum originem ab Ethnicorum moribus accerſat, ac ſubinde a Chriſtianis, qui ab Ethnicorum moribus prorſus abhorrere debent, non adiri, nedum frequentari oportere, conceptis verbis aſſerat? S. Caroli hac in re zelum æmulatus eſt Illuſtriſſimus, juxta ac Doctiſſimus D. *Boſſuet* Meldenſium Epiſcopus qui Spectacula Chriſtianis prohibita eſſe, eximio, quod edidit, Opuſculo invicte demonſtravit. Quapropter, Cariſſime Diſcipule, ſatius eſt per arctam, & arduam viam, quæ dicit ad Cælum, ſecure incedere, quam tritam, & latam viam inſequendo æternæ ſalutis irreparabilem jacturam facere. Peſſimus jam olim tum vivendi, tum ſentiendi Auctor vulgus eſt, neque unquam tam bene actum eſt cum rebus humanis, ut non peſſima placuerint plurimis. Cave igitur, ne ſic cogites: hoc factitant omnes, quid ni ego faciam? Abſurdum ſiquidem eſt, Chriſtum ad hominum vitam inflectere velle, cum potius hominum mores ad Chriſtum exigi debeant. Nec ideo rectum aliquid puta, quia primores, quia maxima pars hominum id factitat, ſed id rectum eſſe dicito, quod quadrat ad Regnum Chriſti, & hoc ipſo tibi aliquid ſuſpectum eſſe incipiat, quod placet plurimis. Unum itaque vitæ tuæ tutiſſimum Ducem ſequere Chriſtum, qui, ut recte obſervat S. Cyprianus, non dixit: *Ego ſum multitudo*, vel, *Ego ſum conſuetudo*, ſed dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita* (*a*).

,, (*a*) Ego vero, quod pace viri ſummi dictum
,, accipi volo, non omnes prorſus comœdias ſeu
,, tragœdias indiſcriminatim damnarem, ſed
,, eas ſaltem exceptas ab hac cenſura optarem,
,, quæ de ſacro argumento erant, & nihil in
,, iis, quod alendæ pietati non juvaret, conti-
,, nebatur. Numquidne religioni duxiſſent vete-
,, res illi Chriſtiani in theatro repræſentare,
,, quod ſcribere illis interdictum minime fuit?
,, Auctori tragœdiæ *Chriſtus patiens* inter opera
,, Nazianzeni vulgatæ, Apollinario Seniori,
,, nunquam vitio datum legimus, quod genus
,, illud poetices coluerit. Licuit ergo illi de ſa-
,, cro argumento tragœdiam ſcribere & evulga-
,, re; cur non & licuiſſet illam in ſcena repræ-
,, ſentare? An forte Apollinarius ſenior in ex-
,, emplum adducendus non fuerit, quod Chri-
,, ſtianus vitam non Chriſtiano more geſſerit,
,, ut a Theodoto Laodiceno anathemate puniri
,, meruerit? Fateor ſed & reſipuit, nec ſcimus
,, coactum unquam fuiſſe, ut ſcriptum illud
,, ſuum revocaret. Quin & in pretio habitum
,, poema illud apud veteres inde deduco, quod
,, ad noſtram uſque ætatem ſuperſtes unicum
,, hoc ex ſcriptis ab eo carminibus ſervaretur.
,, Dedit etiam alias ejus indolis lucubrationes ſa-
,, cras, de quibus hæc habet Sozomenus l. VI.
,, cap. 25. Scripſit etiam comœdias inſtar fabula-
,, rum *Menandri*; *Euripidis quoque tragœdias &*
,, *Pyndari lyram imitatus eſt. Denique, ut com-*
,, *pendio dicam, ſumptis e ſacra ſcriptura argu-*
,, *mentis liberalium diſciplinarum brevi tempore*
,, *lucubrationes compoſuit & numero & præſtantia*
,, *æquales iis, qui apud Græcos æquales extitere.*
,, Dicta tamen hæc a me ſint de ſacris, vel ho-
,, neſtis argumentis, quæ pro dignitate tracta-
,, ta ſunt, nihilque in iis admiſcetur quod mo-

,, ri-

„ tibus & religioni officiat, cujuſmodi plane ſunt
„ tragœdiæ, ſive comœdiæ plures a recentioribus
„ ſcriptæ, quæ per vulgi manus circumferun-
„ tur.

„ Neque dixeris alia plane mente, quam ut in
„ theatris repræſentarentur, hæc ab Apollinario
„ ſcriptis mandata fuiſſe. Fateor, ſed hæc ad
„ modum theatralis ſcenæ elucubrata a ſuo au-
„ ctore ſunt; cur vero ſicut legi a fidelibus ſine
„ noxa poterant, ita & in theatro recitari non
„ potuiſſent? Profecto ſicut ab oſoribus comœ-
„ diarum damnantur repræſentationes theatrales:
„ ita & earum Scriptores male apud illos haben-
„ tur. Inſuper ſi veterum mores ſpectentur,
„ lucubrationes iſtæ multo ad ſpectacula accede-
„ bant propius; legebantur enim ab auctore ſuo
„ palam in theatro in frequentia audientis populi,
„ uti de Arati poemate ſacro factum conſtat.

D. Primævum igitur meum de Spectaculis, ſeu de Comœdiis ſenſum lubentiſſime depono, iiſque æternum valere juſſis, ludum dumtaxat literarium deinepcs frequentabo.

MENS

Digitized by Google

MENS AUTHORIS

Circa quædam Capita ad Hiſtoriam, aut Critices Diſciplinam ſpectantia, quæ in hoc primo HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ TOMO, jam publici juris facto, aliqua explicatione digna cenſentur.

PRimo, pag. 17. & ſequentibus, ad probandum, Epiſtolas Decretales, quæ ſub Veterum Romanorum Pontificum, a *Clemente I.* uſque ad *Siricium* Papam, nominibus circumferuntur, non eſſe genuinas; eadem adduxi momenta, quibus id evincunt doctiſſimi Cardinales de Sede Apoſtolica optime meriti, *Baronius*, *Bellarminus*, *Perronius*, *Bona*, *Sfondratus*, quibus itidem ſuffragantur Theologi apprime Catholici, *Antonius Auguſtinus*, Archiepiſcopus Tarraconenſis, *Petavius*, *Sirmondus*, *Labbæus*, *Chriſtianus Lupus*, *Schelſtratius*, aliique plurimi, quorum hic Catalogum texere nimis longum eſſet. Horum, inquam, doctiſſimorum Cardinalium, & Theologorum judicio ſubſcripſi; ſed ultro damnavi, & etiamnum damno errorem *Blondelli* Hæretici, qui non ſolum Veterum Romanorum Pontificum Epiſtolas Decretales, tanquam ſuppoſititias, exploſit, ſed etiam (& in hoc ſtat ejus error jure optimo proſcriptus) falſo pertendit, eas Veterum Pontificum Romanorum Decretales Epiſtolas, multorum in Fide & Diſciplina errorum fuligine eſſe conſperſas, a quo errore me vehementer abhorrere palam profeſſus ſum pagina 19. his verbis: *Cum hæ Epiſtolæ Decretales, quæ ſub Veterum Romanorum Pontificum nominibus proſtant, bene multa veritati & pietati apprime conſentanea complectantur, non debent Hæreticorum ſpiritu, quo afflatus fuit Blondellus, conviciis proſcindi ac lacerari*.

Secundo, pag. 19. 64. 134. & alibi, affirmo, Monachorum Inſtitutum in quarto dumtaxat Eccleſiæ Sæculo, imperante *Conſtantino Magno*, ſuam originem habuiſſe. Sed his in locis loquor tantummodo de Inſtituto Monachorum, qui communi domo, communi menſa, communibus bonis utebantur, vel qui eidem Superiori Præfecto parentes, aliquam ſimul Regulam profitebantur. Cæterum, nunquam inficias ivi, fuiſſe in tribus prioribus Eccleſiæ Sæculis Anachoretas, Monachos, ſeu Eremi cultores, qui Vitam Aſceticam in ſolitudine religioſe ducebant.

Tertio, pag. 55. mentionem facio trium tantum Conciliorum, quæ ab Apoſtolis fuerunt celebrata, in quorum primo facta eſt electio Sancti *Mathiæ*, in altero ſeptem electi ſunt Diaconi, in tertio declarati ſunt Fideles immunes ab obſervatione Cæremoniarum Legalium. Horum trium Conciliorum, quæ ab Apoſtolis habita ſunt, dumtaxat memini, quia de his expreſſa in ſacris litteris habetur mentio. Nunquam tamen meum in animum induxi improbare ſententiam illorum Theologorum, qui vel ex Scriptura Sacra, vel ex traditione Sanctorum Patrum colligunt, alia, præter hæc tria mox a me laudata, fuiſſe ab Apoſtolis celebrata Concilia.

Quarto, pag. 63. & ſeq. obiter dico, de Antiquitate, & inſtitutione Subdiaconatus, & alio-

rum

Digitized by Google

rum quatuor inferiorum Ordinum, litem adhuc apud Theologos ſub judice eſſe. Sic ſtylum & ſcribendi modum eo loci duxi eſſe temperandum. Quamvis enim non me lateret, communiorem eſſe doctrinam, quam tradunt S. *Thomas*, S. *Bonaventura*, *Scotus*, *Richardus Paludanus*, & alii, videlicet ſeptem Ordines eſſe Sacramenta a Chriſto Domino inſtituta; nolui tamen hæreſeos notam inurere *Guillelmo Eſtio*, doctiſſimo Theologo, qui in 4. Sent. Diſtin. 24. pag. 202. 203. Editionis Pariſienſis anni 1696. conceptis verbis docet, circa inſtitutionem & antiquitatem Subdiaconatus nihil hactenus ab Eccleſia ſtatutum ac definitum eſſe. Nolui etiam hæreſeos inſimulare clariſſimos Theologos, *Dominicum Soto* in 4. Sent. Diſtinct. 24. *Navarrum* in Manuali cap. 22. *Franciſcum a Victoria* Relect. 2. Propoſ. 3. & alios, qui in eamdem conſpirantes ſententiam, docent quatuor minores Ordines non fuiſſe a Chriſto Domino, ſed ab Eccleſia inſtitutos. Sed, ut ut ſit de his Theologorum opinionibus, hic ex animo proteſtor, circa inſtitutionem & antiquitatem ſubdiaconatus, & aliorum minorum Ordinum, nihil aliud aſſeri, doceri, teneri ac credi debere, præter id, quod Sancta & Catholica Romana Eccleſia docendum, tenendum, atque credendum proponit.

Quinto, Cum aliquibus non probentur conjecturæ, quas in re hiſtorica adduco, ſive dum pag. 89. & ſeqq. aſſero, certa a Viris doctis & Catholicis exhiberi ſuppoſitionis Concilii Sinueſſani, & lapſûs *Marcellini* Papæ indicia: Sive dum pag. 50. & ſeq. dico incertum eſſe Authorem Operum, quæ tribuuntur S. *Dionyſio Areopagitæ*: Sive, dum pag. 107. & ſeq. Symbolum, quod incipit: *Quicumque vult ſalvus eſſe &c.* inter dubia S. *Athanaſii* Opera ablegandum eſſe cenſeo: Sive, dum pag. 116. & ſeq. Cantici, *Te Deum laudamus &c.* Authorem incertum eſſe exiſtimo: Sive denique, dum pag. 120. & 121. obſervo, Acta Sancti *Silveſtri* Papæ a peritis Viris tanquam ſuppoſititia, vel interpolata, rejici; cum, inquam, aliquibus non probentur conjecturæ, quas his in locis in medium hiſtorice adduxi, candide iterum profiteor, circa Concilium Sinueſſanum, & lapſum *Marcellini* Papæ: Circa Opera, quæ Dionyſio Areopagitæ adſcribuntur: Circa Authorem Symboli, quod incipit: *Quicumque vult ſalvus eſſe &c.* Circa Authorem Cantici, *Te Deum laudamus &c.* ac demum circa Acta S. *Silveſtri* Papæ, nihil aliud docendum, tenendum ac credendum eſſe, quam quod tenet, docet, ac credendum proponit Sancta & Catholica Romana Eccleſia, meque hiſtorice tantum locutum eſſe & non alias.

Sexto, pag. 60. & ſeq. dico, humanum eſſe errare, & exceptis ſolis Scriptoribus ſacris, nullum inveniri, qui ſit ab omni nævo immunis. Id autem intelligendum non eſſe cenſeo de nævis, ſeu erroribus, qui ad fidem attinere poſſunt, ſed qui tantum ad Hiſtoriam, ad Critices diſciplinam, ad Chronologiam, ad Geographiam, ad quorumdam nominum Hebraicorum, Græcorumque Ethymologias ſpectare poſſunt, a quibus nævis nullum, exceptis Scriptoribus ſacris, immunem eſſe, inconfeſſo eſt apud omnes Catholicos.

Poſtremo, pag. 131. animadverto, *Scriptores Eccleſiaſticos quarti Sæculi abſtinuiſſe a vanis iſtis atque futilibus quæſtionibus, quas circa Myſteria Fidei noſtræ de poſſibili, ut ajunt, & de quomodo, poſtea in Theologiam intempeſtive intulerunt ſubtilium quorundam hominum ingenia.* Quibus verbis perſtringere dumtaxat volui quoſdam abuſus, & frivolas ac plane inutiles quæſtiones, quas, ut optimo jure conqueritur doctiſſimus noſter *Melchior Canus*, in Theologiam ſubtiliores quidam homines invexerunt, a quibus certe longe lateque diſcrepant perutiles illæ quæſtiones, quas S. *Thomas*, Doctor Angelicus, in Summa ſua Tripartita, & in libris contra Gentes, aliique antiquiores Theologi Scholaſtici, de poſſibilitate Myſteriorum Fidei, & de modo, quo peracta ſunt, graviſſime, ac perdocte ventilarunt. Tantum vero abeſt, ut Theologos Scholaſticos flocci faciam, aut eorum authoritatem elevare velim, ut potius illorum, ſicut & Theologiæ Scholaſticæ, quæ tamen, ut par eſt, cum Theologia Poſitiva, ſeu Dogmatica, amico fœdere ſociari debet, Apologiam, ac vindicias data opera adornaverim ſecunda Parte Tomi IV. Hiſtoriæ meæ Eccleſiaſticæ ubi etiam diluo omnes calumnias,

mnias , quibus Theologos Scholaſticos inceſsere , & Theologiæ Scholaſticæ ſtudium mordaci & virulento calamo repudiare ac carpere Hæreticis ſolemne eſt. Hæc brevis, quam edidi , Theologiæ Scholaſticæ adverſus Hæreticos Apologia mentem meam cuilibet viro docto , & ſincero abunde patefaciet, indeque, ut ſpero , omnes æqui bonique conſulent iſtud qualecumque Opus , quod publica luce donavi. , maxime cum illud (Deus ſcit) nulla ambitione abreptus, nec vana aliqua ſpe inefcatus, lucubraverim, ſed ſolo deſiderio impulſus facilem Theologiæ Candidatis ſternendi viam ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudium, quod Clericis, ac Viris Religioſis, qui Eccleſiæ, uti tenentur, inſervire volunt, omnino neceſſarium eſſe, nemo eſt, qui in dubium revocare poſſit.

FINIS TOMI PRIMI.

C 5645991

Digitized by Google